

1817
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUÆRIS PENINSULAM AMŒNAM
CIRCUMSPICE

H. Dinter.
Gonzalez Lodge
New York 1910

Societas graeca, Leipzig:

ACTA SOCIETATIS GRAECAE.

EDIDERUNT

ANTONIUS WESTERMANNUS

PHILOS. DR. LITTER. GRAEC. ET ROMAN. IN UNIVERS. LIPS. P. P. O.

CAROLUS HERMANNUS FUNKHAENEL

PHILOS. DR. GYMNAS. ISENAC. DIRECTOR.

VOLUMEN II.

LIPSIAE

SUMPTUM FECIT ET VENUMDAT KOEHLERIANA LIBRARIA.

MDCCCXXXX.

CONTINENTUR HOC VOLUMINE.

348.

414.

436.

AUG. GUIL. WINCKELMANNI

PROFESSORIS GYMNASII TURICENSIS

MELETEMATA.

I.

Cum multa sunt in Aristophanis comoediis obscura ambigua et impedita, tum nescio an nulla res legentibus gravius obiiciat incommodum quam illa fictitia nomina, quibus facetissimus poeta vera celandi aut necessitate aut lubidine interdum utitur. Cavendum enim est, ne talia illum, qui nihil inepte et sine ratione molitur, temere arripuisse et confinxisse credas. Latinos poetas, haud dubie graecorum exemplum secutos, iam dudum observatum est praeeunte Appuleio Apol. p. 279. Elm. a viris eruditissimis, ut Bentleio ad Hor. Od. II. 12, 13. Mansone miscell. script. p. 286. et Weicherto poet. lat. fragm. p. 412, solere vera nomina praecipue amorum suorum cum fictis commutare, ita quidem ut ficta non solum numero, sed etiam syllabarum quantitate conveniant et sine versus dispendio vera substitui possint. Sed in Aristophanis fabulis haec res minus virorum doctorum animos et studia advertit, haud dubie quia ne eorum quidem hominum, quorum vera nomina posuit poeta, res et fata satis in clara luce collocata sunt. Nec vero ego is sum, qui mea opera locum, qui est de fictitiis nominibus in Aristophanis comoediis, ita illustrari posse credam, ut nihil desideretur; sed satis habebo uno eoque illustri exemplo docuisse, quam egregie illius poetae ars hac quoque in re versata sit, ita quidem ut semper ea eligeret et fingeret nomina, quae apprime moribus et indoli eorum, quos irridendos spectantibus proponit, convenirent. Agam enim nunc de loco, qui legitur in *Aristophanis Ran.* vs. 348. 49.

ἢ προδίδωσιν φρούριον ἢ ναῦς ἢ τἀπόρρητ᾽ ἀποπέμπει
ἐξ Αἰγίνης Θωρυκίων ὢν εἰκοστολόγος κακοδαίμων.

Nugas agunt Scholiastae h. l. qui si scitius et diligentius superstitibus monumentis uti voluissent, facile hunc locum explicare poterant. Omnium vero ineptissime is versatus est, qui ad *ἀσκώματα* haec adscripsit: *εἰς διφθέρας γὰρ τὰς ἑαυτοῦ διανοίας γράψας ἔπεμπε τοῖς πολεμίοις ἐν τῇ Λακωνικῇ*, haud

dubie veterum Ionum morem pellibus rasis ad rerum memoriam prodendam utendi (v. Herod. V. 58. Nitzsch. de historia Homeri I. p. 70.) recordatus, quanquam solita credulitate eum Suidas ternis locis (v. *ἀσκώματα* T. I. p. 612. Gaisf. v. *διφθέρα* p. 1033. et v. *Θωρυκίων* p. 1907.) sequi non dubitavit. Nihil enim aliud h. l. dicitur, quam improbum quendam vicesimarum exactorem res ad belli usum necessarias, ut picem, qua carinae oblinebantur, ne aqua transmitteretur (v. Hemsterh. ad Lucian. D. Mort. IV. p. 487. T. II. Lehm.), et pelles vel ad remos alligandos vel navium latera defendenda (v. Schneider. ad Xen. Hellenic. I. 6, 19. p. 52. et II. 1, 22. p. 87.) vel ad alios usus (Plut. Symp. Quaest. IV. 2. p. 664.) hostibus advexisse. Sed longe gravior quaestio de eo instituenda erit, quis fuerit ille *Θωρυκίων*, de quo interpretes in diversas partes abire video. Sunt enim qui illi improbo vectigalis exactori hoc nomen fuisse existiment; alii aliquanto prudentiores volunt significari hominem, qui iisdem sit moribus ac Thorycion, qui dux Atheniensium fuerit. Schol.: *οὗτος δὲ ταξίαρχος ἦν ἐν τοῖς Πελοποννησιακοῖς τῶν Ἀθηναίων.* Aliquid veri suboluisse videtur iis, qui in scholiis dicuntur scribere voluisse *Θορυκίων*: *τινὲς δὲ Θορυκίων γράφουσιν, ἀντὶ τοῦ τὰ τῶν Θορυκίων μιμούμενος.* In his, si quidem illi dare voluerunt *Θορικίων*, latere aliquam veri scintillam statim apparebit.

Ac primum quidem designari credo hominem quendam e pago Thorico oriundum, cui similis fuerit ille vectigalis exactor. Photius p. 93, 12. *Θόρικος*: *δῆμος Ἀκαμαντίδος.* En peropportune sese nobis offert *Lycon Thoricius*, qui cum ob alia insignia vitia tum propter proditionis crimen non effugit poetarum comicorum maledicentiam. Schol. Plat. p. 332. Bkk. *Λύκων μέντοι πατὴρ ἦν Αὐτολύκου, Ἴων γένος, δῆμον Θορίκιος, πένης, ὡς Κρατῖνος Πυτίνῃ, Ἀριστοφάνης Σφηξίν. Εὔπολις δ' ἐν Φίλοις καὶ ἐπὶ τῇ γυναικὶ Ῥοδίᾳ κωμῳδεῖ αὐτόν, ἐν δὲ τῷ πρώτῳ Αὐτολύκῳ εἰς ξένον, Μεταγένης δ' Ὁμήρῳ εἰς προδότην· καὶ Λύκων ἐνταῦθά που προδοὺς Ναύπακτον ἀργύριον λαβὼν ἄγαλμ' ἀγορᾶς ξενικὸν ἐμπορεύεται.* Praecipue vero illius uxori Rhodiae maledixerunt, ut Aristoph. Lysistr. vs. 270. et Eupolis ap. Schol. ib. Eundem inter protervos convivas recenset Aristoph. Vesp. vs. 1301.

καίτοι παρῆν Ἵππυλλος, Ἀντιφῶν, Λύκων,
Λυσίστρατος, Θούφραστος, οἱ περὶ Φρύνιχον.

cll. Schol. ibid. vs. 1169. de quo disputavit F. V. Fritzsche quaest. Aristoph. p. 287 sq. Lyconis nobilitatem Socrates fortasse irridendi causa praedicat in Xenoph. Symp. VIII, 7. (v. Herbst. p. XI.). Proditionis crimen si vere et iure Lyconi obiectum est, ne illud quidem incredibile est, eum fuisse in triumviris, qui Socratem capitis accusaverunt (v. Plat. Apol. Socr. c. X. Diog. Laert. II. 38. Maxim. Tyr. IX. 3.). Evicimus igitur, comicos Lyconem proditionis insimulavisse. Metagenes enim ap. Schol. Plat. l. c. diserte tradidit, eum pecunia corruptum Naupactum prodidisse. In cuius testimonio, etsi apud rerum scriptores nihil inveni quod huc pertineat, acquiescerem, ni accuratius in hanc rem inquirendo lucem scholio ad nostrum locum perobscuro accendi posse viderem. Suborta enim mihi est suspicio, Lyconem etiam in Asia Atheniensium res prodidisse. Quod ne cui temere opinari videar, afferam Ctesiae locum Pers. c. 52. p. 77. Bähr. *ἀφίσταται Πισσούθνης· καὶ ἀποστέλλεται κατ' αὐτοῦ Τισσαφέρνης καὶ Σπιθράτης καὶ Παρμίσης. ἀντεπεξήει δὲ Πισσούθνης, ἔχων καὶ Λύκωνα τὸν Ἀθηναῖον ἅμα Ἕλλησιν, ὧν ἐκεῖνος ἦρχε. λαμβάνουσι δὲ οἱ τοῦ βασιλέως στρατηγοὶ χρήμασι Λύκωνα καὶ τοὺς Ἕλληνας, καὶ ἀφιστῶσι Πισσούθνου. εἶτα δόντες αὐτῷ πίστεις καὶ λαβόντες ἄγουσι παρὰ βασιλέα. ὁ δὲ εἰς τὴν σποδὸν ἐνέβαλε, Τισσαφέρνῃ δοὺς τὴν Πισσούθνου σατραπείαν. ἔλαβε δὲ Λύκων καὶ πόλεις καὶ χώρας ὑπὲρ τῆς προδοσίας.* De rebus in Asia gestis adire iubeo Krügerum in Commentat. ad Dionys. Halicarn. historiogr. p. 353. et Blumium in libro de Herod. et Ctesia p. 76 sq. Hoc testimonio illustrantur ea, quae in schol. ad *προδίδωσι φρούριον* adscripta sunt: *πρὸς τοὺς ποιήσαντας τοὺς Φερεκράτους Πέρσας.* Neque enim mihi convenit cum Passovio (Opuscul. p. 57.), qui ex fragmentis iure collegisse sibi visus est Pherecrati in comoedia, Persae inscripta, hoc fuisse propositum, ut sub Persarum nomine helluones liguritoresque sui aevi perstringeret. Imo ita ego sentio, Pherecratem Lyconis proditionem in Asia exagitasse ipsumque illud nomen Thoricii usurpasse. Certe huc refero perturbatum scholion ad Aristoph. Vesp. vs. 1549. (1500.) quod insigni laborat obscuritate: *εἰς σμικρὸν τὸν Φιλοκλέα καὶ τὸ φαλάγγιον. δῆλον δὲ ἐκ τῶν Φερεκράτους ἀγγείων. καὶ καρκῖνος μέν τις ἦν ὁ Θωρυκίου υἱός. ἦσαν δὲ αὐτῷ τρεῖς τινες μικροί,* quod aliis emaculandum relinquo. Itaque illud *Θωρυκίων* adnumeretur necesse est

iis nominibus, cuius generis multa excudit Aristophanes, undique iocandi et cavillandi materiam sumens, ut *Ἀττικίων, Ἀθηνίων, Μαλακίων, Ἐργασίων, Σμικυθίων* et al. de quibus F. V. Fritzschius in Cens. ed. Dind. Aristoph. Eccles. inserta Iahnii Annal. T. XIII. 1830. p. 211. disseruit. Adiicere lubet Athen. XIII. p. 584. F. *Μετάνειρα δὲ ἡ ἑταίρα, Δημοκλέους τοῦ παρασίτου Λαγυνίωνος ἐπίκλην, καταπεσόντος ἔν τινι κονιάματι. Λαγυνίων* iste parasitus dictus, ut Dionysus se *υἱὸν Σταμνίου* appellat ap. Aristoph. Ran. vs. 22.

ὅτ' ἐγὼ μὲν ὢν Διόνυσος, υἱὸς Σταμνίου.

Sed nondum sumus perfuncti disputando. Illud enim reliquum est ut quaeramus, cur *Θωρυκίων* iste proditor dictus sit ab Aristophane. Quod si fuisse eum credas metri necessitate coactum, mirum sit, quidni poeta eum salvo metro *Θωρίκιον* appellaverit. Profecto ea difficultas tanta esse videtur, ut veritas explicationis meae admodum labefactetur.

Sed nunc, ne longius orationis ambagibus morer, docebo, plane egregie eam nominis formam elegisse Aristophanem, ut summam proditoris nequitiam notaret et sceleris magnitudinem spectantes mentibus comprehenderent. *Θωρυκίων* enim iste homo dictus est, ut Athenienses hoc nomine audito statim recordarentur infamem quandam proditorum nationem, quae sedem habuit in Cilicia. *Corycaei* enim, a promontorio et antro Ciliciae, secundum alios Pamphyliae, ita dicti (v. Etym. M. p. 117, 42. cll. 551, 45. Pomp. Mel. I. 13, 3. Müller. Dor. I. p. 218; diversum antrum Corycium in monte Parnasso, de quo v. Elmsl. ad Eur. Bacch. vs. 559.), piratis Cilicibus praedae parte praemii loco proposita, quinam illuc mercatores accessissent, quid veherent, quo navigarent, clam enuntiabant. Photius p. 198, 20. *Κώρυκος γὰρ τῆς Παμφυλίας ἀκρωτήριον, παρ' ᾧ πόλις Ἀτταλία· ἐνταῦθα οἱ ἀπὸ τῆς πόλεως, ἵνα μηδὲν αὐτοὶ κακῶς πάσχωσιν ἀπὸ τῶν ἐφορμούντων τὴν ἄκραν λῃστῶν, ὑπαλλαττόμενοι πρὸς τοὺς ἐν ἄλλοις λιμέσιν ὁρμοῦντας κατηκροῶντο καὶ τοῖς λῃσταῖς ἀπήγγελλον καὶ τίνες εἰσὶν καὶ ποῖ πλέουσιν.* cll. Ephori fragm. ed. Meier Marx p. 138. Unde *callidi auscultatores* et *exploratores* dicti sunt *Κωρυκαῖοι*. Cicero epist. ad Attic. X, 18.: *Omnes enim Κωρυκαῖοι videntur subauscultare quae loquor.* Menander ap. Meinek. p. 56.

οὐδ' ἄρ' ὁ Κωρυκαῖος ἠκροάζετο.

Themist. Orat. VII. p. 103, 23. ed. Dindorf. *ὄλεθρος ἐξ ὀλέθρων*

τυφῶν ἀτεχνῶς ἐκ τοῦ Κιλικίου Κωρύκου de homine pessimo. Vide Bergler. ad Alciphr. III. 26. Quae adhibenda sunt ad explicandum Iuvenal. XIV. 267 sq.

quam tu Corycia semper qui puppe moraris
atque habitas Coro semper tollendus et Austro
perditus ac vilis sacci mercator olentis.

Quae si vere et recte a me disputata sunt, sponte intelligitur, illum scelestum vicesimarum exactorem non solum propterea exagitatum esse ab Aristophane, quod merces exportari vetitas hostibus advexerit, sed etiam quod consilia arcana clam iis enuntiaverit. Per quem cum videret poeta patriam in summum discrimen adduci, non mirum est, chorum paucis interiectis post canere haec vs. 371 sq.

ἀλλ᾽ ἔμβα χὤπως ἀρεῖς
τὴν Σώτειραν γενναίως
τῇ φωνῇ μολπάζων,
ἣ τὴν χώραν
σώζειν φήσ᾽ ἐς τὰς ὥρας,
κἂν Θωρυκίων μὴ βούληται.

Hac quaestione absoluta vix mihi temperare possum quin attingam paucis locum, qui legitur in Aristoph. Av. vs. 137 sq.

ὅπου ξυναντῶν μοι ταδί τις μέμψεται
ὥσπερ ἀδικηθεὶς παιδὸς ὡραίου πατήρ·
καλῶς γέ μου τὸν υἱόν, ὦ Στιλβωνίδη,
εὑρὼν ἀπιόντ᾽ ἀπὸ γυμνασίου λελουμένον
οὐκ ἔκυσας —.

Interpretes et vetusti et recentiores incredibilia commenti sunt de illo nomine *Στιλβωνίδης*, quod ludicro modo ad exagitandum turpem puerorum amorem ab Aristophane fictum esse patet. Ac ne Suevernius quidem in Comment. de Aristoph. Av. p. 89. verum vidit, sed ad miras argutias delapsus est. Sed tenebras discutiet Athen. XII. p. 518. F. *ἐπιχωριάζειν δὲ παρ᾽ αὐτοῖς διὰ τὴν τρυφὴν ἀνθρωπάρια μικρὰ καὶ τοὺς σκωπαίους, ὥς φησιν ὁ Τίμων, τοὺς καλουμένους παρά τισι στίλπωνας.*

II.

Böckhius in libro de gr. trag. princ. p. 306. Aristophanem ait, cum in Ranas e Bacchis Euripidis multa transferre liceret, nihil omnino ex iis mutuatum esse, cuius quidem vestigium superesset. Concedo, rarius integros versus sententias et dictiones

ex Bacchis desumtas in Ranis irrideri; cuius rei haec potuit causa esse, quod Euripides minor in sua recensione, quae Aristophanes exploserat, resecuit. Sed profecto mirum esset, si eam Euripidis fabulam, quae cavillaturis tam largam irridendi praeberet materiam, comicus poeta in Ranis, haud multo post Bacchas doctis, vellicare noluisset. Nam etsi plurima insunt, ex quibus praeclarum Euripidis ingenium eluceat, tamen sive spectes totius fabulae oeconomiam, sive legem carminis liberiorem et negligentiorem, sive terriculamenta inepta, quibus plebeculae imperitae horrorem incuteret, sive ridiculam mythi de Dionyso in Iovis femore latitante explicationem, sive foedissimam caedis per furibundas mulieres perpetratae descriptionem, ut in carnificina potius quam in theatro versari tibi videare, sive indignas Dionysi partes, ut alia silentio praeteream, qui vel leviter gustaverit graecam poesin Bacchas non in primis sed in postremis Euripidis fabulis habendas esse intelliget, cum quae in prioribus tragoediis rara deprehenduntur vitia in hac cumulata reperiantur. Quae quis credat Aristophanis, acuti poeticae virtutis existimatoris, aciem effugere potuisse? Imo ita equidem sentio, eum multo saepius quam vulgo creditum est Euripidis Baccharum rationem habuisse, ita quidem, ut in iis taxandis non singulis versibus et sententiis inhaereret, sed totum opus animo complexus aliquanto melius et acutius quae in eo vituperanda essent perspiceret, quam nostri aevi quidam iudices, qui sententiarum luminibus et verborum magnificentia in multis locis conspicua capti summis laudibus hanc tragoediam ornaverunt. Sed haec quaestio longiorem requirit disputationem, quam ut hic absolvi possit. Pauca nunc delibasse sufficiet, ut permulta in Aristophanis Ranis intelligi non posse, nisi explicatio petatur ex Euripidis Bacchis, ostendam. Primum illustrabo locum, qui legitur *Ran.* vs. 316 sq.

τοῦτ᾽ ἔστ᾽ ἐκεῖνο, δέσποθ᾽, οἱ μεμυημένοι
ἐνταῦθά που παίζουσιν, οὓς ἔφραζε νῷν.
ᾄδουσι γοῦν τὸν Ἴακχον ὅνπερ Διαγόρας.

Merito iam veteribus explicatoribus mirum hoc et incredibile visum est, quod initiati dicuntur canere carmen in honorem Bacchi, quod cecinerit Diagoras. Ecquis enim credat, Diagoram, qui deos esse negavit et propter contemta mysteria ab Atheniensibus solum vertere coactus est, tale carmen composuisse, aut, si composuit, id sacrum initiatorum coetum apud

inferos decantasse? Aristarchi sententia, in scholiis prodita et a Bothio comprobata, haec est, ironice illa verba accipienda esse. Schol.: *Διαγόρας μελῶν ποιητὴς ἄθεος, ὃς καὶ καινὰ δαιμόνια εἰσηγεῖτο. καὶ ὁ μὲν Ἀρίσταρχος Διαγόρου νῦν μνημονεύειν φησί, τοὺς θεούς, οὐχ ὡς ᾄδοντος αὐτοῦ, ἀλλ' ἐν εἰρωνείᾳ κειμένου τοῦ λόγου, ἀντὶ τοῦ χλευάζοντος, ἐξορχουμένου.* Alii recentiores poetam Diagoram diversum esse volunt ab impio philosopho. Sed his admotis machinis et interpretandi artificiis non erit opus, si carmina quaedam sacri enthusiasmi plena nuper in theatro audita tangi tenueris. Mihi enim haec videtur loci sententia esse: *canunt initiati* Ἴακχον *quem nuper cecinit Euripides, qui alter est Diagoras.* Diagorae enim nomine inde ab Aristophane, qui in Nubibus Socratem nuncupavit *τὸν Μήλιον*, usque ad patres ecclesiasticos quivis ἄθεος (v. C. Fr. Hermann. histor. Abderae in Annal. scholast. 1830. Nr. 63.) vocatus est. Sed dubitantibus de veritate meae explicationis omnem scrupulum evellere conabor. Euripides, qui profectus e rhetorum et sophistarum scholis in prioribus tragoediis deos populares irriserat et vulgi de rebus sacris opiniones insigni petulantia conviciis iuvenilem institutionem redolentibus prosciderat, in Bacchis a se ipso videtur descivisse, plane alius factus. Nam hoc patet in ea fabula componenda illum spectasse, ut mysteriorum sanctimoniam concelebraret splendide, pietatem adversus deos commendaret nervose, caecam nullisque argutiis et ratiocinationibus convellendam fidem suaderet religiose, carminibus in honorem Bacchi pulcherrimis intextis (v. Musgrav. Emend. Eurip. p. 151. Valcken. Diatrib. p. 38. a.). Quam repentinam animi mutationem nostrates non mirabuntur, quippe qui experientia edocti sciant, eos, qui iuvenes rerum sacrarum contemtores et osores fuerunt, persaepe ingravescente aetate impietatis poenitere et omnem superstitionem cupide amplexos diligenter publicis supplicationibus interesse. Sed Aristophani, acerrimo religionis publice receptae vindici et defensori, credibile est, illam sive sinceram sive simulatam et ementitam pietatem ita bilem movisse, ut ne defuncto quidem Euripidi parceret sed aculeatis verbis insultaret. Hoc igitur mihi videor probasse, verbis quae supra posui perstringi acerbe hominis impietatem, qui alios fallendi causa sanctitatis speciem prae se fert. Similiter, ut h. l. Euripidem dici puto alterum Diagoram, explicandum duco *Ranarum* vs. 142.

Θησεὺς ἤγαγεν

i. e. *Pericles*, quem constat ita rem publicam administrasse, ut merito dici potuerit rex Atheniensium, *alter Theseus*, cll. Thucyd. II. 65. Plut. Pericl. c. 9. Sed quae de hoc loco dicere constitueram, ea in aliud tempus seponenda, ne longius abducar a proposito meo.

Aliud enim est, de quo monitos volo Ranarum amatores, ut quam utilis sit comparatio Baccharum interpretantibus Aristophanis comoediam intelligant. Saepe numero quaesitum est, cur Aristophanes in Ranis Dionysum, deum in mysteriis sanctissime cultum, omnem modum excedente procacitate tantopere irriserit et omnibus flagitiis coopertum in scenam produxerit. Nam sane impudentissimi scurrae non faceti poetae videtur esse, otiosae plebis oblectandae causa deum popularem ludibrio exponere. Cuius rei quae causae allatae sunt non satisfaciunt, ut poeta generosae indolis a crimine impietatis defendatur (v. Böttiger. in dissert. de Aristophane impunito deorum gentilium irrisore. Opuscul. p. 64—96.). Sed tenendum est, non id agere Aristophanem, ut deum summum, quem vulgus maxima religione venerabatur, irrideret, sed ut ad exemplar dei Euripidei in Bacchis propositi suum fingeret. Euripides enim, a vera poesis sublimitate alienissimus, eos deos fingebat, in quibus nihil plane divinae maiestatis inesset, sed iisdem cupiditatibus agitatos atque homines; homines autem tales fingebat, non quales esse deberent, sed quales essent re publica in peius et exitium ruente, pessimos, molles, timidos, paternae et avitae virtutis immemores et degeneres, dolos suere cupidos. Genellius in libro de theatro Attico sub Dionysi persona Calliam irrideri dixit: potuit dicere, omnes Athenienses. Nam illud ipsum indignatus est Aristophanes, quod tragicus deos finxerit ab aequalibus hominibus non diversos. Qua in re admiror Aristophanis subtile iudicium. Sic in Bacchis quam indignas deo partes sustinet Dionysus, qui semper crepans divinam suam maiestatem tamen nihil faciat quod ea sit dignum; qui indignis modis a Pentheo tractatus, vinctus in stabulum ad pecora abduci se passus tandem ridiculo miraculo e vinculis erumpat; qui quem potuit deus uno ictu ob contemta sacra prosternere, de eo vindictam sumendam relinquat furibundis mulieribus, scilicet ut poetae copia fiat caedis foedissime factae splendide describendae; denique qui caedem, cuius ipse auctor fuit, exsecutas severissime puniat. Sed longum est, omnes ineptias hic enumerare nec satis mirari possum, permultos, inter quos Goethium esse scio (v. Meyer. de

Euripidis Bacchabus p. 22.), tam magnifice de hac Euripidis fabula sentire. Ad huius igitur dei exemplar Aristophanes, sano et recto iudicio usus, suum finxit deum mollem, effeminatum, timidum, ad quemvis strepitum contremescentem, imbellem, gloriosum, magniloquum, libidinosum, stupidum, plagipatidam et ab ipso servo irrisum. Nam illud quoque belle et facete inventum est ab Aristophane, quod tam misellum deum consociavit cum Xanthia, vili et improbo mancipio, ut utriusque nequitia magis eluceret. Tum nec hoc silentio praetereundum, quod Dionysus prodit crocotae leonina Herculis pelle superiniecta, qua conspecta statim spectantes recordari debebant asini in fabula leonina induti alios terrentis et proverbii notissimi. Plat. Cratyl. p. 411. A. *ὅμως δὲ ἐπειδήπερ τὴν λεοντῆν ἐνδέδυκα, οὐκ ἀποδειλιατέον*, ubi vide intt. Sed alio tempore et loco quam orsus sum telam detexere commodius et quaestionem de ratione, quae inter Aristophanis Ranas et Euripidis Bacchas intercedat, institutam absolvere licebit.

III.

Uti qui vincere vult miles, ante omnia arma et artificia adversarii nosse debet, quo tutius plagas declinet et eludat, ita callidi est artificis, non solum quae recta sunt artisque legibus convenientia praecipere et facere, sed etiam quae minus recta aut prava notare et fingere, quo facilius errores caveantur. Quod is optime faciet, qui ipse per anfractus et devia ad summa artis tanquam verticem montis enisus sit, unde late pateat prospectus et facile errantibus viae compendia monstrare possit. Quo in genere duumviri principes antiquo tempore excelluerunt, Plato et Aristophanes, quorum ille in *ἐπιδείξεσιν* ad morem et exemplum sophistarum et rhetorum mira arte elaboratis ita adversariorum vitia cumulavit et quasi in unum coegit, ut pravitas methodi et disserendi et cogitandi sponte in oculos incurreret, hic autem ita omnia poesis genera tenuit et tanta facilitate in studia et artes aequalium poetarum se insinuavit, ut irridendos promte imitari posset. Haec praefanda erant, ut melius iudicari posset de carmine ad irridendum Euripidem composito in *Ran.* vs. 1324 sq.

ἵν᾽ ὁ φίλαυλος ἔπαλλε δελ-
φὶς πρῴραις κυανεμβόλοις,
μαντεῖα καὶ σταδίους.

οἰνάνθας γάνος ἀμπέλου,
βότρυος ἕλικα παυσίπονον.

Haec non intellecta esse docet prava interpunctio, ex qua etiam in ed. optima Dindorfii verba *οἰνάνθας — παυσίπονον* divulsa sunt maxima incisione facta a *μαντεῖα καὶ σταδίους*, uti in libris scriptis. Bothii melius haec distinguentis laus propter perversam quam proposuit explicationem loci valde imminuitur. Sed qui veterem interpunctionem amplexi hic centonem versuum Euripideorum ab Aeschylo consui statuunt, nae illi parum Aristophanis artem et consilium perspexerunt. Euripides quidem, quae est eius imperitia, irridendi Aeschyli causa, ut carmen efficeret obscurum perplexum et contortum, undique versuum frusta temere sine ulla orationis perpetuitate corrasit et consarcinavit, quod minutal pro germano Aeschyli carmine venditare ausus est (vs. 1293—1302.). Aristophanes autem quanto melius rem instituit supra, carmen fundens plane Aeschylea Musa dignum et spiritu divino tacti poetae gravitatem spirans (vs. 822—837.). Stat igitur mihi haec sententia, voluisse Aristophaneum Aeschylum hoc cantico versibus Euripideis orationi perpetuae et continenti intextis huius poetae, largioris quam prudentioris suarum divitiarum dispensatoris, aucupium sententiolarum acutularum, dicendi genus nimio ornatu obrutum et artificiis corruptum, praecipue vero translationum audaciorum immodicum usum perstringere. Sed adiectis verbis *οἰνάνθας γάνος — παυσίπονον*, quae a prioribus male divulsa erant, quaeritur, quid sibi haec velint: *ubi delphinus*, *tibiae amans*, *alludens ad proras caeruleis rostris saltat vaticinia et stadia*, *oblectamentum labruscae vitis*, *uvae volumen a labore recreans.* Quae leviter intuenti deliramenta febriculosi hominis videbuntur, ego statuo egregie referre morem Euripidis, qui ab alia similitudine ad aliam quasi volatu fertur, quo necessario oratio fit tumida obscura et ridicula. Sed expendamus singula. Sermo est de *delphinis*, *qui incitati et alacres rostris perfremunt* (Attius ap. Cic. de nat. deorum II. 35.). Ex eorum variis saltibus cum futura praesagirent v. c. felicem cursum, tempestatem, pluviam, facile intelligi potest, quid sit *ἔπαλλε μαντεῖα.* Theophrast. *περὶ σημει.* T. I. p. 787. ed. Schneid. *δελφὶς παρὰ γῆν κολυμβῶν καὶ ἀναδυόμενος πυκνὰ ὕδωρ ἢ χειμῶνα σημαίνει* (cll. IV. p. 730.) v. Eur. Helen. vs. 1454 sq. Schneider. eclog. physic. p. 41. Creuzer. Symb. II. p. 600 sq. Iidem quod alacres et incitato cursu feruntur, comparantur cum iis, qui in stadio

cursu certant (*ἔπαλλε—σταδίους*); quae comparatio inprimis in deliciis est Euripidi, cll. Hercul. fur. vs. 775.

οἵ' ἐγὼ σταδιοδρ αμοῦμαι στέρνον εἰς Ἡρακλέους

et vs. 999. *ἦλθον — Εὐρυσθέως δίαυλον*. Iam accedamus ad verba postrema; quae sensu aliquo minime destituta esse docebo. Illi navem circumsilientes delphini circumvolvuntur et in spiram atque in orbes se colligunt; qui volvendi modus comparatur cum pampineis vitibus, cum volumine vitium, quibus semel memoratis poeta inhaeret ita, ut earum et naturam et utilitatem praedicet. Obscuritas igitur nostri loci quamvis studiose quaesita inde nata est, quod verba praepostere collocata sunt et quod illa *οἰνάνθας γάνος ἀμπέλου* appositionis loco ad *βότρυος* adiicienda addita sunt illi *ἕλικα*, cui adhibendus est Nonnus 38. 370.

κυβιστητῆρι δὲ παλμῷ
ἕλιξ ὠρχήσατο δελφίς.

Animi causa ridiculam Bothii interpretationem memorare lubet: *vaticinia et cursus atque vinum saltare dicitur delphinus*, i. e. *vaticinia de cursu sive navigatione Graecorum vinoque bibendo.*

IV.

Satis purus et integer ad nostra tempora *Luciani* dialogus, qui inscribitur *Τίμων*, pervenit. Sunt tamen inveterata quaedam vitia, quae relicta esse a criticis aegre fero, ut §. 14. quae leguntur mendi non videntur expertia: *καὶ προσέτι γε καὶ κατεγέλας αὐτῶν φειδομένων καὶ φυλαττόντων καὶ τὸ καινότατον αὐτοὺς ζηλοτυπούντων, ἀγνοούντων δὲ ὡς κατάρατος οἰκέτης ἢ οἰκονόμος ἢ παιδότριψ ὑπεισιὼν λαθραίως ἐμπαροινήσει.* Quod enim Hemsterhusius *παιδότριβα* voluit esse in familia servulum, qui curam habeat puerorum, in eoque munere operam conterat, id non possum calculo comprobare, analogiam vocabulorum *οἰκότριψ, ἀστύτριψ* (v. Bach. ad Crit. fragm. p. 118.) reputans. Sed facile opera macula poterit elui. Aut enim egregie fallor aut scribendum est: *πεδότριψ*. Lucian. Saturn. §. 8. *ἐγὼ δὲ, ὦ Κρόνε, καὶ τοῦτο εἴκαζον εἰς τοὺς δούλους καὶ πεδότριβας φιλάνθρωπον ἐκ τοῦ μύθου ἐκεῖνον ποιεῖν σε, τιμῶντα τοὺς τὰ ὅμοια πάσχοντας, ἅτε καὶ αὐτὸν δουλεύοντα μεμνημένον τῆς πέδης.* Photius p. 404, 6. *πεδότριψ: ὁ πολλοὺς χρόνους ἐν πέδαις γεγονὼς καὶ πέδων ὁ αὐτὸς καὶ ὀψιπέδων* (cll. p. 367, 1.). Similis farinae voc. est *τριπέδων* ap. Eustath. Il. 8. p. 116.

V.

Plutarchi Symposiacas Quaestiones, inexhaustum graecae eruditionis thesaurum, pessime depravatas ad nos pervenisse constat, quas emendaturis mea opera nunquam deerit. Conabor hic a duobus locis maculam abstergere, quorum alter legitur in lib. V. c. 3. p. 676. E. *καὶ τοῦτο δὴ σκολιὸν ἐπίγραμμα δῆλον κεραμέα νομίζει διαβεβυσμένην σελίνῳ. σύγκειται δὲ οὕτω·*

χθὼν ἡ Πελασγὴ πυρὶ κατηθαλωμένη
κεύθει κελαινὸν αἷμα Διονύσου θοοῦ
ἔχουσα κλῶνας Ἰσθμικοὺς ἀνὰ στόμα.

Hoc elegantissimum carmen scriptum esse in amphoram testaceam vino repletam ipse Plutarchus verbis corruptis, quae nunc intacta relinquere malo, testatur. Sed quis feret portentosam illam scripturam *χθὼν ἡ Πελασγή*, quae videtur metro consulturis deberi. Nam Ald. Bas. vitiato metro exhibent *ἡ Παλλὰς γῆ*, Turn. *ἡ πυλὰς γῆ*, Hadr. Iun. Animadvers. 3, 7. corrigit *ἡ Παλλάδος γῆ*. Equidem a vana opinandi temeritate alienissimus, ut vera et genuina scriptura eruatur, etiam h. l. religiose librorum scriptorum vestigiis insistendum esse censeo. Iam vero cum ex his nulla varietas sit enotata, sed olim allatum iri vel eandem vel similem scripturam ei, quae exstat in Ald. Bas., augurer, illa depravata lectio *ἡ Παλλὰς γῆ* fundamentum esto, cui coniectura innitatur. Laetor me invenisse, quo et metrum resarciatur et optima sententia recuperetur. Scribendum est certa emendatione:

ἡ Κωλιὰς γῆ πυρὶ κατηθαλωμένη.

Atticorum enim, qui artem vasa e luto ducendi invenisse perhibebantur, satis nobiles erant crateres et amphorae ex *argilla Coliade* factae. Athen. XI. p. 482. B. *κρατῆρα γὰρ ἵστασαν τοῖς θεοῖς οὐκ ἀργυροῦν οὐδὲ λιθοκόλλητον, ἀλλὰ τῆς Κωλιάδος γῆς.* ib. I. p. 28. C. *καὶ ἐπαινεῖται οὕτως ὁ Ἀττικὸς κέραμος.* Plut. de rect. aud. rat. p. 42. D. *τῷ μὴ βουλομένῳ πιεῖν ἀντίδοτον, ἂν μὴ τὸ ἀγγεῖον ἐκ τῆς Ἀττικῆς Κωλιάδος ᾖ κεκεραμευμένον.* V. Iacobs. Anthol. Gr. Vol. I. P. II. p. 141.

VI.

Reconditius latet vitium in altero loco, qui reperitur in lib. III. c. 1. p. 645. *καὶ τὴν διὰ τῶν ὤτων ἀποκλείει τρυφὴν καὶ ἡδυπάθειαν καὶ ταύτην κατὰ τὰ ὄμματα καὶ τὰς ῥῖνας*

ὥσπερ καθ᾽ ἑτέρας. θύρας ἐπεισάγων τῇ ψυχῇ. Corruptelam arguit et sententia et librorum scriptura. *Καὶ* ante *ταύτην* Reiskius deletum voluit, suffragantibus Ald. Bas. Wyttenb. simplex *τὴν* ex Bas. Xyl. Mez. dedit pro *ταύτην*. Sed hoc est ulcus emplastris tegere, non sanare. Veram scripturam commonstrant libri Ald. E. Venet. Palat. Vat. qui exhibent *ταῦτα τὴν κατὰ* —. Qua usus emendandum censeo: *ἡδυπάθειαν τῇ αὐλείῳ κατὰ τὰ ὄμματα*. Plut. vit. Pompei. p. 643. E. *τοῖς ἥκουσιν ἀποκλείσας τὴν αὔλειον ἑτέραις θύραις ᾤχετο ἀπιών*. Symp. Quaest. I. 2. p. 617. A. *δέδια μὴ δοκῶμεν τῇ αὐλείῳ τὸν τῦφον ἀποκλείοντες εἰσάγειν τῇ παραθύρῳ*.

VII.

Foedissime corruptus *Plutarchi* locus legitur in libro *de cupiditate divitiarum* p. 525. A. *Βυζάντιόν τινα λέγουσιν ἐπὶ δυσμόρφῳ γυναικὶ μοιχὸν εὑρόντα εἰπεῖν· Ὦ ταλαίπωρε, τίς ἀνάγκη, σαπραγόρα προίξ.* Hic locus, quia Plutarchi oratio iusto brevior est et adstrictior librorumque scriptura misere depravata, dici vix potest, quot et quanta negotia interpretibus facessiverit. Sed ut recto stet talo nostra disputatio, ante omnia exquirenda erit sententiarum connexio. Plutarchus ait, avari cupiditatem nunquam expleri, cum alii, qui vel naturae vi vel ambitione ad facinora turpissima patranda incitentur, ubi iis quae concupiverint potiti sint, quietem agant et partis fruantur. Iam pro eo, quod dicere potuit uberius, multos, qui rem habeant cum mulieribus deformibus, naturalis appetitionis et libidinis immoderatae vi (*ἀνάγκῃ*, v. Ast. ad Plat. Phaedr. p. 254. 462.) ad id stimulari, sed tamen voluptatem percipere, more suo quibusdam omissis doctus scriptor exemplum posuit Byzantii cuiusdam, qui adultero cum uxore deformi deprehenso dixerit: *o miser, quae necessitas te adegit?* Conf. Lacon. Apophth. p. 235. E. *λαβών τις μοιχὸν ἐπ᾽ αἰσχρᾷ γυναικί· Ἄθλιε, εἶπε, τίς τοι ἀνάγκα;* Hoc modo sententia constituta tutius progredi licebit, ut genuinae lectionis restituendae via inveniatur. Nam uti nunc locus in edit. scriptus exstat, neque monstrum scripturae *σαπραγόρα*, quod inficete quidam explicare aut emendare aggressi sunt, ullo modo tolerari potest, neque illud *προίξ* explicatum habet idoneum. Sed interpretum satis mirabilia commenta silentio premere et sine ullis ambagibus id quod res est dicere praestabit. Ac primum quidem in illo corrupto *σαπραγόρα*

latere contendo σαπρᾷ γραΐ. Quam emendationem paucis exemplis confirmare liceat. Aristoph. Pac. vs. 698.

ὅτι γέρων ὢν καὶ σαπρός.

Eccles. vs. 1098.

ὢ τρισκακοδαίμων, εἰ γυναῖκα δεῖ σαπράν.

cll. vs. 884. 926. Plut. vs. 1086. de vetula:

ἀλλ᾽ ἔστι κομιδῇ τρὺξ παλαιὰ καὶ σαπρά.

Thesmoph. vs. 1024. 25.

μόλις δὲ γραῖαν ἀποφυγὼν
σαπρὰν ἀπωλόμην ὅμως.

Alexis ap. Athen. X. p. 441. de vino:

ἡδύς γ᾽ ὀδόντας οὐκ ἔχων, ἤδη σαπρὸς
λέγων, γέρων γε δαιμονίως.

Plato ib. VII. p. 315. C.

σὲ γάρ τίς, ὦ γραῦ, συγκατῴκισεν σαπράν;

Hermippus ap. Polluc. VII. 202. σαπρόγηρος est ap. Nicet. Annal. X, 2. v. Lobeck. ad Phryn. p. 377. Tum illud προίξ, quoquo te vertas, non potest explicari, neque quomodo emendandum sit certa ratione dicere habeo, etsi quid sententia exigat intellexisse mihi videor. Fac enim scripsisse Plutarchum τίς σ᾽ ἀνάγκη σαπρᾷ γραῒ συγκατῴκισεν s. συνήγαγεν, ac nihil desiderabis ad loci integritatem. Nunc vero cum haec longius recedant a vulgatae ductibus, quamvis dubitans in προίξ latere censeo χροΐζειν vel tale quid, ni malis τρυγί. Igitur emendandum esse nostrum locum iudico hunc fere in modum: τίς σοι ἀνάγκη σαπρᾷ γραῒ χροΐζεσθαι. Suspicor enim Byzantium illum hominem adhibuisse alicuius poetae comici nobilem quendam versum, cuius vestigia ab hominibus metrorum peritioribus facile investigabuntur. Theocrit. Idyll. X, 18.

μάντις τοι τὰν νύκτα χροΐζεται ἁ καλαμαία.

ubi Schol. γράφεται καὶ χροΐξεῖται, ἀντὶ τοῦ συγχρωτισθήσεται καὶ συγκοιμηθήσεται. Conf. Intt. ad Eur. Heraclid. vs. 915.

VIII.

In multis veterum scriptorum locis nondum omnia, quae ex poetis hausta sunt, reperies notata. Sic, ut pauca delibem exempla, in Themist. Orat. XVI. p. 245. (p. 200. A.) ἤδη δὲ ἐπὶ τούτοις προθυμουμένῳ προσάγειν τὴν χεῖρα τῷ γραμματίῳ καὶ ἀναπειρᾶσθαι—ἐπάγει βασιλεὺς ἑτέραν γλυκεῖαν ἀνάγκην, non viderant, Bacchylidis versum respici (Athen. II. p. 39. E.):

γλυκεῖ' ἀνάγκα σευομένα κυλίκων θάλπησι θυμον.

In Plat. Theaet. p. 162. A. *εἰ ἀληθὴς ἡ ἀλήθεια Πρωταγόρου, ἀλλὰ μὴ παίζουσα ἐκ τοῦ ἀδύτου τῆς βίβλου ἐφθέγξατο* profecit philosophus ex Eurip. Androm. vs. 1147.

πρὶν δή τις ἀδύτων ἐκ μέσων ἐφθέγξατο
δεινόν τι καὶ φρικῶδες.

Sed haec levioris sunt momenti. Insignius vero, quod Euripidis esse quovis pignore posito contendo, fragmentum detexisse mihi videor in Platonis libris de legibus. Ibi enim VIII. p. 844. E. haec leguntur: *ὀπώρας δὲ χρὴ κοινωνίαν ποιεῖσθαι πάντας τοιάνδε τινά· διττὰς ἡμῖν δωρεὰς ἡ θεὸς ἔχει χάριτος αὕτη, τὴν μὲν παιδείαν Διονυσιάδα ἀθησαύριστον, τὴν δ' εἰς ἀπόθεσιν γενομένην κατὰ φύσιν.* Qui locus interpretibus et veteribus et recentioribus crux fuit. Ficinus illud *παιδείαν* plane omisit in vertendo. Cornarius perverse *Πανδείαν* correxit. Astius uncis inclusit *παιδείαν*, sed in annotationibus *γενναίαν* coniecit. Sed *παιδείαν* sanissimum esse mihi videtur. Gnarus enim quo studio noster philosophus poetas lectitaverit eorumque dicta adhibuerit, quo maiorem orationi suae conciliaret venustatem, explicandum censeo: *uvam, quae non servatur, Dionysi vini inventoris quasi alumnam eiusque curae commissam.* Accipe, quibus rationibus Euripidei cuiusdam versus rationem a Platone haberi evinci possit. Euripides in Troad. vs. 128. de rudente nautico ait

πλεκτὰν Αἰγύπτου παιδείαν
ἐξηρτήσασθ',

ubi ille poeta, nimis artificiosum et subtile dicendi genus vehementer amans, funes tortos, Aegyptiorum inventum, appellavit *tortam Aegypti disciplinam.* Idem dixit Electr. vs. 492.

παλαιόν τε θησαύρισμα Διονύσου τόδε,

et Hercul. fur. vs. 891.

οὐχὶ τᾶς Διονυσιάδος
βοτρύων ἐπὶ χεύμασι λοιβᾶς.

De qua forma v. Eustath. ad Hom. Il. λ', 658. Polluc. VII. 30. Non plane dissimile est, quod Chaeremon ap. Athen. XIII. p. 608. E. rosas dixit *τιθήνημ' ἔαρος ἐκπρεπέστατον.* Quae si vere disputavi, noster locus fragmentorum Euripidis collectionem aucturis commendandus erit.

IX.

Reprehensus, quod in meo Euthydemo nimis anxie codicum vestigia legi, novo eoque illustri exemplo docebo, librorum scriptorum negligentes gravissimas dare poenas ubique. In Plat. Gorg. p. 512. E. leguntur haec: *ὅρα μὴ ἄλλο τι τὸ γενναῖον καὶ τὸ ἀγαθὸν ᾖ τοῦ σώζειν τε καὶ σώζεσθαι. μὴ γὰρ τοῦτο μέν, τὸ ζῆν ὁποσονδὴ χρόνον, τόν γε ὡς ἀληθῶς ἄνδρα ἐατέον ἐστὶ καὶ οὐ φιλοψυχητέον, ἀλλὰ ἐπιτρέψαντα περὶ τούτων τῷ θεῷ καὶ πιστεύσαντα ταῖς γυναιξὶν κ. τ. λ.* **Quem locum corruptum esse ad unum omnes confessi ad sanandum lenissima opus esse medela non intellexerunt. Quod supra posui** *ἐατέον* **scriptum exstat in omnibus codicibus retentumque est a Bekkero et Stallbaumio. Pro eo Stephanus ex coniectura reposuit** *εὐκτέον.* **Qua coniectura admissa etsi et sententia prodit satis bona et ipsa forma** *εὐκτέον* **immerito a quibusdam in suspicionem adducta, tamen assensum cohibere nos iubet librorum mirus consensus. At ne illud quidem, quod e libris omnibus revocaverunt illi duumviri, ferri potest, quoniam contraria requiritur sententia. Hinc Stallb. in ed. Goth. unice sibi probari ait Buttmanni coniecturam:** *καὶ γὰρ τοῦτο μὲν — ἐατέον.* **Astius probato** *ἐατέον* **in explicando** *μὴ* **operam perdidit. Recte vero supra dixi, non impune librorum scriptorum fidem deseri. In quam enim coniecturam incidi nostro loco obiter inspecto sedem mali alibi quaerens, eam egregie confirmatam post vidi aliquot optimae notae libris. Nam Clark. et** *Δ* **exhibent** *ὁπόσον δέ,* **BEF (***δὴ* **superscr.) Flor. adfx.** *ὁπόσον δεῖ,* **Ald. Bas. 2.** *ὁπόσον δή.* **Unde enitescit genuina lectio et interpunctio haec:** *μὴ γὰρ τοῦτο μὲν τὸ ζῆν, ὁπόσον δὲ χρόνον τόν γε ὡς ἀληθῶς ἄνδρα ἐατέον* **i. e.** ***non hoc quidem est negligendum, vivere, sed quam diu vivas, id non est curandum ei, qui vere vir est.*** **Vides nunc esse quod commode respondeat illi** *τοῦτο μέν,* **ad quod nihil referri potest in vulgata. Ad orationis conformationem apte contendere licet Hipp. Mai. p. 299. D.** *μὴ γὰρ εἰ μείζων τις ἡδονὴ ἢ ἐλάττων ἢ μᾶλλον ἢ ἧττόν ἐστιν, ἀλλ' εἴ τις αὐτῷ τούτῳ διαφέρει τῷ ἡ μὲν ἡδονὴ εἶναι, ἡ δὲ μὴ ἡδονὴ τῶν ἡδονῶν.*

Etiam in aliis Gorgiae locis incusanda est interpretum negligentia. Sic p. 473. D. *εὐδαιμονέστερος μὲν τοίνυν οὐδέποτε ἔσται οὐδέτερος αὐτῶν, οὔτε ὁ κατειργασμένος τὴν τυραννίδα ἀδίκως, οὔτε ὁ δίκην διδούς,* **-** *δίκην* **ante** *διδούς,* **quod non casu excidit in libris optimis et plurimis, furca expellendum esse**

censeo. Corrige enim: *οὔτε ὁ ἀλούς*. Similiter in Demosth. adv. Androt. §. 7. p. 595. pro *δίκην δῷς* Gellius X. 19. habet *ἁλῷς*.

Aliud exemplum leviter inspectorum et consultorum librorum promo ex eodem dialogo, ubi p. 506. D. haec habes: *ἀλλὰ μὲν δὴ ἥ γε ἀρετὴ ἑκάστου καὶ σκεύους καὶ σώματος καὶ ψυχῆς αὖ καὶ ζώου παντός, οὐχ οὕτως εἰκῇ κάλλιστα παραγίγνεται, ἀλλὰ τάξει καὶ ὀρθότητι καὶ τέχνῃ, ἥτις ἑκάστῳ ἀποδέδοται αὐτῶν.* Illud *οὐχ* ante *οὕτως* abest ab optimis libris, pro *οὕτως* exhibentibus *οὐ τῷ*. Corrige igitur: *οὐ τῷ εἰκῇ κάλλιστα παραγίγνεται.* Vide Phileb. p. 28. D. *τὸ καλούμενον ὅλον ἐπιτροπεύειν φῶμεν τὴν τοῦ ἀλόγου καὶ εἰκῇ δύναμιν.* Timae. p. 34. C. *μετέχοντες τοῦ προστυχόντος τε καὶ εἰκῇ.*

X.

Ad *Convivium Platonis* emendandum etsi viri acutissimi studia sua contulerunt, tamen plurimas maculas opus illud aureolum foedantes relictas esse non mirandum. Facile igitur veniam me impetraturum spero, si hac oblata occasione duobus locis manum emendatricem admovero. Primum dicam de verbis, quae habentur p. 212. E. *ἐγὼ γάρ τοι, φάναι, χθὲς μὲν οὐχ οἷός τ' ἐγενόμην ἀφικέσθαι, νῦν δὲ ἥκω ἐπὶ τῇ κεφαλῇ ἔχων τὰς ταινίας, ἵνα ἀπὸ τῆς ἐμῆς κεφαλῆς τὴν τοῦ σοφωτάτου καὶ καλλίστου κεφαλήν, ἐὰν εἴπω οὑτωσί, ἀναδήσω.* In his verba *ἐὰν εἴπω οὑτωσί,* quae satis moleste cursum orationis sine ulla salebra fluentis interrumpant, merito criticis corrupta visa sunt. Nam quem F. A. Wolfius inesse credidit sensum: *ut ita dicere liceat*, ut taceam tale dictum temulento Alcibiadi minime convenire, ei vel loquendi consuetudinem adversari iam alii monuerunt. Dicendum enim erat: *οὑτωσὶ εἰπεῖν* vel *οὐδεὶς ἂν εἴη φθόνος λέγειν.* Astius violenta facta transpositione loco mederi studuit. Stallbaumius uncis illa verba sepsit. Neutrum mihi probatur. Invenisse enim mihi videor, quod et lenissima mutatione consequamur et festivitatem loci mirifice augeat. Corrigendum est: *ἐὰν ἀνείπω οὑτωσί* (ni forte malis *ἀνειπὼν* deleto *ἐάν*), *ἀναδήσω,* ita ut Alcibiades sese Agathonis caput coronaturum, ut hominis sapientissimi et pulcherrimi (Euthydem. p. 290. C. *ὦ κάλλιστε καὶ σοφώτατε Κλεινία,* cll. Hipp. mai. p. 281. A.), publiceque id quasi praeconis voce declaraturum esse lepide profiteatur. Vide, si tanti est, de legg.

XII. p. 946. B. κλήρῳ διελόντας τὸν νικῶντα καὶ δεύτερον καὶ τρίτον στεφανῶσαι θαλλῷ καὶ τὰ ἀριστεῖα ἀποδόντας πᾶσιν ἀνειπεῖν. cll. de rep. IX. p. 580. B. Phileb. p. 227. ed. Stallb. ubi qui πάντῃ sollicitavit, non recordatus est Pindar. Olymp. IX. 24. (35.)

Alter locus legitur p. 197. B. in Agathonis oratione: ἐπέρχεται δέ μοί τι καὶ ἔμμετρον εἰπεῖν, ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ ποιῶν

εἰρήνην μὲν ἐν ἀνθρώποις, πελάγει δὲ γαλήνην,
νηνεμίαν ἀνέμων, κοίτην ὕπνον τ' ἐνὶ κήδει.

Agathonis, qui nuperrima rhetorum inventa in suam artem transtulit, antitheses, cumulata epitheta et similes verborum sonos praeter modum aucupantis poesin his duobus versibus a Platone egregie irrideri manifestum est (cll. Aristoph. Thesmoph. vs. 43 sq. 52. 108 sq. v. Ed. Müller. hist. theor. artis veterum p. 186—188). Sed secundum versum, qui haud dubie aliquid labis contraxit, alii aliter corrigere conati sunt, quorum a vero proxime afuisse videtur G. Dindorfius, reponens κοίτῃ θ' ὕπνον νηκηδῆ. Libri miro modo fluctuant inter τενικη δεῖ, τενικηδῆ, τενηκηδῆ, τε νηκηδῆ. Ex qua farragine lectionum hoc exsculpserim:

πελάγει δὲ γαλήνην
νηνεμίαν, ἀνέμων κοίτην, ὕπνον λαθικηδῆ.

Homer. Il. XXII. 83.

εἴποτέ τοι λαθικηδέα μαζὸν ἐπέσχον.

Alcaeus ap. Athen. XI. p. 481. A.

οἶνον γὰρ Σεμέλας καὶ Διὸς υἱὸς λαθικαδέα.

Plut. Symp. Quaest. III. 9. p. 147. H. ἡ δὲ δυεῖν πρὸς τρία μουσικωτάτη πᾶσα ὑπνοφόρος καὶ λαθικηδής. Tum νηνεμίην vulgo non recte divulsum erat a γαλήνην. Hom. Odyss. V. 391 sq.

καὶ τότ' ἔπειτ' ἄνεμος μὲν ἐπαύσατο, ἠδὲ γαλήνη
ἔπλετο νηνεμίη.

Ibid. XII. 168 sq.

αὐτίκ' ἔπειτ' ἄνεμος μὲν ἐπαύσατο, ἠδὲ γαλήνη
ἔπλετο νηνεμίη· κοίμησε δὲ κύματα δαίμων.

XI.

Platonis libri de re publica disputandi largam praebent materiam. Quibus qui egregiam operam praestitit nuperrimus editor satisque laudabilem vel eo nomine quod libris turpiter interpolatis, Flor. B. et Monac., ne minimam quidem fidem tribuendam esse evicit, interdum nimis subtilibus argumentis optimas lectiones videtur reiecisse. Sic, ut unum certe promam

exemplum, in lib. II. p. 365. D. ἀλλὰ δὴ θεοὺς οὔτε λανθάνειν οὔτε βιάσασθαι δυνατόν. οὐκοῦν, εἰ μὲν μὴ εἰσὶν ἢ μηδὲν αὐτοῖς τῶν ἀνθρωπίνων μέλει, οὐδ' ἡμῖν μελητέον τοῦ λανθάνειν, bene fecit, quod lectionem ex illis interpolatis codicibus a Bekk. et Stallb. receptam damnavit, non laudandus, quod vulgatam καὶ ἡμῖν οὐ μελητέον revocavit. Equidem lectionem multorum et bonorum librorum auctoritate fultam, τί καὶ ἡμῖν μελητέον, unice veram esse iudico; qua probata interpolatae ratio reddi potest idonea. Librarios enim in quaestionibus per τί propositis, ad quas negans responsio exspectatur, saepe τί mutavisse in οὐ constat (v. Porson. ad Eur. Hecub. vs. 296.). Sed praeterea multis exemplis doceri potest, vel usum loquendi meae lectioni mirifice favere. Plat. Lach. p. 182. E. εἰ δ' ἔστι μὲν μὴ μάθημα, ἀλλ' ἐξαπατῶσιν οἱ ὑπισχνούμενοι — τί καὶ δέοι ἂν αὐτὸ μανθάνειν; de legg. X. p. 891. B. νόμοις οὖν διαφθειρομένοις τοῖς μεγίστοις ὑπὸ κακῶν ἀνθρώπων τίνα καὶ μᾶλλον προσήκει βοηθεῖν ἢ νομοθέτην; Demosth. Philipp. I. c. 14, 3. ὅταν γὰρ ἡγῆται μὲν ὁ στρατηγὸς ἀθλίων ἀπομίσθων ξένων — τί καὶ χρὴ προσδοκᾶν;

De alio *Politiae* loco hic verba facere lubet, ut mihi usum quendam loquendi a nemine quod scio animadversum leviter perstringendi copia fiat. In lib. II. p. 359. C. νόμῳ δὲ βίᾳ παράγεται ἐπὶ τὴν τοῦ ἴσου τιμήν bene cum optimis libris extrusit Schneiderus καὶ, quod vulgo ante βίᾳ legebatur. Similiter in lib. VIII. p. 552. E. οὓς ἐπιμελείᾳ βίᾳ κατέχουσιν αἱ ἀρχαὶ Stephanus de suo καὶ ante βίᾳ invexerat. Sed vide ib. p. 554. C. τὰς δὲ κακούργους κατεχομένας βίᾳ ὑπὸ τῆς ἄλλης ἐπιμελείας. VII. p. 528. C. ὅμως πρὸς ἅπαντα ταῦτα βίᾳ ὑπὸ χάριτος αὔξεται. IX. p. 577. E. ὑπὸ δὲ οἴστρου ἀεὶ ἑλκομένη βίᾳ ταραχῆς καὶ μεταμελείας μεστὴ ἔσται. Politic. p. 309. A. ἀλλ' εἰς ἀθεότητα καὶ ὕβριν καὶ ἀδικίαν ὑπὸ κακῆς βίᾳ φύσεως ἀπωθούμενα. De legg. IX. p. 866. C. κατὰ γῆν δὲ ἂν βίᾳ ὑπὸ τινῶν ἀχθῇ. p. 872. E. αὐτὸ τοῦτο ὑπὸ τέκνων τολμῆσαι βίᾳ πάσχοντα. p. 874. C. νηποινεὶ τεθνάτω ὑπό τε ὑβρισθέντος βίᾳ καὶ ὑπὸ πατρὸς ἢ ἀδελφῶν. XI. p. 919. A. ἢ ὑπὸ χειμώνων ἀγρίων βίᾳ ἐλαυνομένοις εὐδιεινὴν γαλήνην παρασχών. III. p. 701. C. βίᾳ ὑπὸ τοῦ λόγου φερόμενον. Isocrat. περὶ ἀντιδόσ. §. 320. καίπερ ὑπὸ τῆς ὀργῆς βίᾳ φερόμενος (unde recte tutatus est Hermann. in Soph. Electr. vs. 715. πῶλοι βίᾳ φέρουσιν contra Porsonum). Soph. Aiac. vs. 493.

βίᾳ ξυναρπασθεῖσαν Ἀργείων ὕπο.

In his omnibus locis facile patet, βίᾳ adverbii vices sustinere nec vero βίᾳ ὑπό τινος sic dici, ut Graeci δεσμοὶ ὑπό τινος, σβέσιν ὑπ' ἐναντίων et al. dicere consueverunt.

Sed cum semel huc sermo delapsus sit, admoneor ut agam de praepositione ὑπὸ cum substantivis iuncta; quod dicendi genus latius patet quam vulgo opinantur. Falsus enim est Astius, qui sustinuit tentare verba sanissima in Plat. de legg. III. p. 698. A. ὡς ἡ παντελὴς καὶ ἀπὸ πασῶν ἀρχῶν ἐλευθερία τῆς μέτρον ἐχούσης ἀρχῆς ὑφ' ἑτέρων οὐ σμικρῷ χείρων. A quo incepto eum avocare debebat vel illud Thucydidis II. 65. ἐγίγνετο δὲ λόγῳ μὲν δημοκρατία, ἔργῳ δὲ ὑπὸ τοῦ πρώτου ἀνδρὸς ἀρχή. Comparabis Plat. Sympos. p. 216. B. τιμὴ ὑπὸ πολλῶν cll. Xen. Cyrop. III. 3, 2. Plat. Protag. p. 354. Hipp. mai. p. 285. A. Sophist. p. 245. B. 236. D. Lach. p. 183. extr. de rep. III. p. 390. C. Eurip. Androm. vs. 1051. His indubitatis et certis exemplis praemissis (v. Heindorf. ad Plat. Phaed. p. 188.) rectius iudicare licebit de iis locis, in quibus anceps animi haerere possis. Sic in Pindar. Pyth. XI. 17.

τὸν δὴ φονευομένου πατρὸς Ἀρσινόα Κλυταιμνήστρας
χειρῶν ὑπὸ κρατερᾶν ἐκ δόλου τροφὸς ἄνελε δυσπενθέος,

Boeckhius, qui iunxit ἐκ δόλου ὑπὸ χειρῶν *e dolo a manibus parato*, Dissenio rectius iudicasse videtur, sed omisit suam rationem certo exemplo stabilire. Vide enim Soph. Philoct. vs. 1096 sq.

πότμος, πότμος σε δαιμόνων τάδ',
οὐδέ σε δόλος γ' ἔσχ' ὑπὸ
χειρὸς ἐμᾶς,

ubi Wunderi artificiosa explicatio minime probanda. Xen. Anab. VII. 2, 37. ἀλλά τις φόβος ὑπὸ Λακεδαιμονίων i. e. *timor revera a Lacedaemoniis iniectus*. Male Schaefer. Mel. Crit. p. 84. adstipulante Kruegero ἀπὸ edi iussit. Eurip. Androm. vs. 189 sq.

οἱ γὰρ πνέοντες μεγάλα τοὺς κρείσσους λόγους
πικρῶς φέρουσι τῶν ἐλασσόνων ὕπο,

ubi item fuit, qui ἄπο suaderet. Agmen claudat Eur. Helen. vs. 20.

ὃς δόλιον εὐνὴν ἐξέπραξ' ὑπ' αἰετοῦ
δίωγμα φεύγων, εἰ σαφὴς οὗτος λόγος.

Ibi Matthiaeus iure quidem adspernatus Musgravii coniecturam, sed minus recte, ut structuram expediret, ad duarum locutionum commixtionem confugit.

FRIDERICI FRANKII

PHIL. DR., GYMNAS. FULDENSIS MAG. ORDIN.

QUAESTIONES AESCHINEAE.

Quod primum est a *Carolo Scheibio* docte accurateque demonstratum, *Imm. Bekkerum* in recensendis Aeschinis orationibus non ubique ea qua par erat fide et religione ab optimis stetisse codicibus, id quale et quantum sit nondum satis intellectum videtur esse. Nam etiamsi nonnulla spes sit, inter eos codices Aeschinis qui nondum inspecti aut ad emendandum textum adhibiti sunt repertum iri qui his quos nunc optimos habemus, si non praestent, at certe ita se adaequent, ut suae auctoritatis accessione facta solidum inconcussumque reddant emendationis fundamentum: tamen dum illi codices in bibliothecarum latebris absconditi iacerent, aut non suscipi recensionem Aeschinis aut collatorum codicum iis qui optimi sunt religiose obtemperari oportuit. Non ita quidem *Bekkerus*, qui postquam in Timarchea rectam emendandi viam tenuit, in reliquis duabus orationibus tam parum sibi constitit, ut quavis fere pagina haud semel optimorum scripturam codicum postpositam offendas incertusque iudicii aut mirabundus quid caussae sit haereas, dum illum praeiudicata quadam perversaque codicum aestimatione impeditum fuisse intellexeris. Ridiculum sit, si quidquam de meritis laudibus tanti critici detractum velim, cuius operae et labori id ipsum debemus, ut de codicibus Aeschinis paullo rectius iudicare posse videamur. De codicibus enim, de quibus in libello scholastico hoc anno a me edito plura dicta sunt, ita cum *Scheibio* consentio, ut codices *abgm*, quibus in Timarchea *r* (Locker.) et *o* (Havn.), in Ctesiphontea *n* accedunt, praestantissimos esse putem; ad hos proxime accedunt *dfh* cum Helmstadiensi (*p*), Meadiano (*q*) et Vindobonensi (*v*); pessimae notae sunt *ceikl* cum Harleiano (*s*). Horum igitur codicum eos quos primo loco nominavi saepe iniuria a *Bekkero* postpositos esse exemplis quibusdam ostendam. Atque primum quidem satis luculentum exemplum expromam, quo simul appareat, quam non leve debeat hoc genus emendandi

haberi: Aeschines enim quo loco legis de trierarchia a Demosthene rogatae mentionem facit, sic loquitur (III. 222. p. 614. *R.*): τὰ δὲ περὶ τὰς τριήρεις καὶ τοὺς τριηράρχους ἁρπάγματα τίς ἂν ἀποκρύψαι χρόνος δύναιτ' ἄν, ὅτε, νομοθετήσας περὶ τῶν τριακοσίων νεῶν καὶ σαυτὸν πείσας Ἀθηναίους ἐπιστάτην τάξαι τοῦ ναυτικοῦ, ἐξηλέγχθης ὑπ' ἐμοῦ ἑξήκοντα καὶ πέντε νεῶν ταχυναυτουσῶν τριηράρχους ὑφῃρημένος, πλεῖον τῆς πόλεως ἀφανίζων ναυτικὸν ἢ ὅτε Ἀθηναῖοι τὴν ἐν Νάξῳ ναυμαχίαν Λακεδαιμονίους καὶ Πόλλιν ἐνίκησαν; Qui locus cum aliis de causis tum propterea memorabilis visus est, quod non aliunde constat etiam Demosthenem in ordinanda trierarchia illud spectasse, ut, sicubi opus esset, trecenae naves instructae essent et paratae (*Boeckh.* Oecon. pol. Ath. T. II. p. 115, 392.). Sed quotiescunque hunc locum perlegi, semper nescio quid insoliti in eo visum est inesse, quod Demosthenes non de trierarchis trierarchiave, sed de numero navium, qui tamen antea idem fuisse dicitur, de trecentis illis navibus (περὶ τῶν τρ. νεῶν) legem tulisse narratur. Codices autem inspicienti dubium non erit quin vocabulum νεῶν, quod in *aghmn* omissum est, deleri oporteat. Nam de trecenis illis viris qui inter trierarchos ditissimi erant sermonem esse certum est. Vide *Boeckh.* l. l. T. II. p. 69 sq. 103 sqq. *K. Fr. Herm.* Antiqq. Gr. poll. §. 161, 17. Etsi alia quaedam huius generis ex Aeschine afferri possunt, tamen nunc, ne dissimilia inter se et diversa commisceam, eos locos tractabo, quibus praepositiones quaedam et particulae in pristinum statum restituendae esse videantur. Primum dicam de praepositione εἰς, quae ἐς scribitur III. 82. p. 474. καὶ ἐς τοῦτο φέρων περιέστησε τὰ πράγματα κτλ. Est haec scriptura aperte falsa. Nam neque concedi debet oratoribus utramque formam usitatam fuisse, nec, si concederetur, profecto non mirum foret in singulis oratoribus semel fere ἐς scriptum inveniri. Vide *Strange* in *Iahnii* Annall. philoll. Suppl. III. p. 591. Atque ne hoc quidem praetexere licet, quo artificio *Elmsleium* usum esse video, ut priscum ἐς in formulis quibusdam dicendi obtinuisse dicatur: nam Aeschines quidem etiam III. 94. p. 486. εἰς γὰρ τοῦτο προήχθη — ὕβρεως καὶ πλεονεξίας et II. 77. p. 255. τελευτῶντες δὲ εἰς τοῦτο τὴν πόλιν προήγαγον (cf. III. 256. p. 646.) εἰς, non ἐς posuit. Qua re hoc loco duobus codicibus (*ce*), qui alioquin obsequio nostro indignissimi sunt, εἰς praebentibus obtemperandum est, plane ut II. 18. p. 202. iterum ex deterioribus libris

(*ikl*) τῶν κοινῇ συμφερόντων pro τῶν κοινῇ ξυμφερόντων restituendum est, siquidem ξὺν ab Aeschine nusquam positum deprehenditur nisi in locis poetarum, ut Hesiodi (II. 158. III. 135.), Euripidis (I. 152.). Propterea etiam I. 153. τοιοῦτον αὐτὸν εἶναι οἷσπερ ἥδεται ξυνὼν ut ex Euripide repetitum recte scriptum est et quod eadem imitatione posuit I. 154. χαίρει δὲ τῷ ξυνών; non debuit opinor a *Bekkero* mutari. Non absimile est, quod quum in Aeschine vicies sexies ἕνεκα legitur, semel et εἵνεκα (I. 93. p. 114.) et ἕνεκεν (I. 170. p. 166.) invenitur. Illud quidem (οἱ δ᾽ ἐν τῇδε τῇ ἡμέρᾳ ῥηθησόμενοι διὰ τὴν κρίσιν τῆς ὑμετέρας ἀπάτης ἕνεκα) ex *bf*, qui ἕνεκα offerunt, corrigi debuit; hoc (τῶν ὅρκων ἕνεκεν οὓς ὠμόσατε) dubitari potest an ab hiatu excusationem habeat, quam *Bekkeri* fuisse dubitationem inde colligo, quod ille III. 115. ὃν ἐβουλόμην ἂν πολλῶν ἕνεκα ζῆν optimorum codicum (*agmn*) scripturam ἕνεκεν prae vulgata sprevit. Quamquam hiatus in Aeschine editores iure inoffensos habuit: ὧν ἕνεκα οἱ νόμοι III. 41. Cf. I. 41. III. 175. Sed redeo ad praepositionem εἰς. II. 154. p. 319. ἔστι γάρ τις ἐπιδημῶν ἡμῶν εἰς τὴν πόλιν Ἀριστοφάνης Ὀλύνθιος. Quo loco quod *Bekkerus* ex uno *i* recepit: ἔστι γάρ τις ἐν τῇ πόλει ἡμῶν ἐπιδημῶν Ἀ. Ὀ., id nulli placiturum divinans *Scheibius* p. 12. falsus est; nam placuit *Maetznero* ad Lycurg. p. 178, nisi is aliam potius scripturam, cuius auctorem ignoramus, ἔστι γάρ τις ἐπιδημῶν ἡμῶν ἐν τῇ πόλει Ἀ. Ὀ., assensu suo amplexus est. Quicquid est, dubitari non potest quin codicis *i* lectio interpolatori debeatur. Cf. III. 258. Ἄρθμιον τὸν Ζελείτην — ἐπιδημήσαντα εἰς τὴν πόλιν. Itineris enim notio, quam *Maetznerus* desiderat, non abest, quandoquidem Aristophanes ille Olynthius non fixam perpetuamque sedem in urbe Athenarum habere, sed frequentare eam h. e. crebro illuc venire ibique in tempus commorari dicitur. Nam hoc quidem concessum puto, ἐπιδημεῖν ἐν τῇ πόλει dici qui praesens est in urbe nec peregre profectus. Cf. III. 128. p. 519. Itaque cum etiam in collocatione verborum ἡμῶν εἰς τὴν πόλιν (cf. ἡμῶν ἐπὶ τὴν χώραν III. 131. ἡμῶν ἡ πόλις III. 88. *Iahn.* Annall. philoll. Suppl. III. p. 25.) nihil insit offensionis, vulgatam ante *Bekkerum* scripturam non indulgentia quadam (*Bernhard.* Synt. p. 215.) usi sed ipsa iustitia efflagitante restituemus. — III. 154. p. 542. προτρεπτικώτατον πρὸς ἀρετήν. Libri perboni (*gmnp*) εἰς ἀρετὴν habent, quod non dubito praeferre. Cf. III. 139. ἀλλ᾽ ὅμως οὐδεὶς πώποτε αὐτοὺς ἐδυνήθη

προτρέψασθαι εἰς τὴν ὑμετέραν φιλίαν. I. 135. εἰς γέλωτα καὶ λῆρόν τινα προτρεπόμενος ὑμᾶς. I. 171. p. 167. τὸ μειράκιον εἰς τὴν φιλανθρωπίαν ταύτην προσκαλεσάμενος. Sic enim ex *abdfglopq*. *Thom. M.*, non εἰς τὴν φιλίαν scribendum est, ut patet ex I. 137. ὁρίζομαι δ' εἶναι τὸ μὲν ἐρᾶν τῶν καλῶν καὶ σωφρόνων φιλανθρώπου πάθος καὶ εὐγνώμονος ψυχῆς, τὸ δὲ ἀσελγαίνειν ἀργυρίου τινὰ μισθούμενον ὑβριστοῦ καὶ ἀπαιδεύτου ἀνδρὸς ἔργον εἶναι ἡγοῦμαι. Contra ἐπ' ἀρετὴν προτρέψασθε legitur I. 191. — III. 206. p. 595 sq. ὥσπερ οὖν ἐν τοῖς γυμνικοῖς ἀγῶσιν ὁρᾶτε τοὺς πύκτας περὶ τῆς στάσεως ἀλλήλοις διαγωνιζομένους, οὕτω καὶ ὑμεῖς ὅλην τὴν ἡμέραν ὑπὲρ τῆς πόλεως περὶ τῆς τάξεως αὐτῷ τοῦ λόγου μάχεσθε καὶ μὴ ἐᾶτε αὐτὸν εἰς τοὺς ἔξω τοῦ παρανόμου λόγους περιίστασθαι, ἀλλ' ἐγκαθήμενοι καὶ ἐνεδρεύοντες ἐν τῇ ἀκροάσει εἰσελαύνετε αὐτὸν εἰς τοὺς τοῦ πράγματος λόγους καὶ τὰς ἐκτροπὰς αὐτοῦ τῶν λόγων ἐπιτηρεῖτε. Ut nunc hic locus scribitur, nihil est quod iure offendas; nam quod quater idem vocabulum (λόγος) positum est, scilicet non magis Aeschines quam plerique scriptores Graecorum faciendum putarunt ut variandae orationis caussa apta et commoda vocabula spernerent. Sed verba εἰς τοὺς ante ἔξω in codicibus *acdfgmn* et in edd. vulgg. omissa sunt; deinde λόγου, non λόγους, in *dfg* legitur; contra apud Plin. Epist. IX. 26. sic scribitur: καὶ μὴ ἐᾶτε αὐτὸν εἰς τοὺς τοῦ παρανόμου λόγους περιίστασθαι, ἀλλὰ ἐγκαθήμενοι καὶ ἐνεδρεύοντες ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ (ut *ehkl*) εἰσελαύνετε αὐτὸν εἰς τοὺς τοῦ παρανόμου (ut *ehkl*) λόγους cett., ut sat antiquam codicum corruptelam esse appareat. Aperta est autem in his verbis librariorum interpolatio, qui primum λόγου ad vv. ἔξω τοῦ παρανόμου adscripserunt; hoc deinde casu aut errore in λόγους mutatum quasi quandam necessitatem librariis imposuit verba εἰς τοὺς addendi, nisi forte simillimi loci recordatio interpolationem procreavit: ὑμέτερον δ' ἔργον ἐστὶ πρὸς ταῦτα ἀντιτετάχθαι καὶ πανταχῇ παρακολουθοῦντας μηδαμῇ παρεκκλίνειν αὐτὸν ἐᾶν μηδὲ τοῖς ἔξω τοῦ ἀγῶνος λόγοις διισχυρίζεσθαι, ἀλλ' ὥσπερ ἐν ταῖς ἱπποδρομίαις εἰς τὸν τοῦ πράγματος αὐτὸν (an αὐτοῦ?) δρόμον εἰσελαύνετε. I. 176. Itaque nostro loco opinor Aeschines καὶ μὴ ἐᾶτε αὐτὸν ἔξω τοῦ παρανόμου περιίστασθαι scripsit, i. e. ne sinite eum de legis violatione tamquam de statu suo decedere. Nam τὸ παράνομον Demostheni quasi quaedam στάσις est, quam firmiter

tenere iubetur. *Περιίστασθαι* autem non significat *in peius mutari*, quae *Bremii* ad h. l. et *Maetzneri* ad Lycurg. p. 78. opinio est, sed in alium locum ire sive potius *alium statum occupare (umtreten — sich umstellen)*. *Περιστήσειν*, ut hoc in transcursu moneam, *Bekkerus* I. 174. p. 169. ex *hq* intulit: *καὶ περιστήσειν τῷ μὲν φυγόντι θαρρεῖν, ὅταν αὐτὸς δεῦρο παρέλθῃ, ἐκπεπλῆχθαι δὲ τῷ κατηγόρῳ καὶ πεφοβῆσθαι περὶ αὑτοῦ*, quum tamen et codices pene omnes in vulgato *παραστήσειν* consentiant et ipse usus sermonis graeci *περιστήσειν* spernat. Cf. II. 159. *καὶ διαλογισμὸν παρίστησι, μή τι παραλίπῃ τῶν κατηγορημένων*, i. e. iniicit menti cogitationem. Vide *Reiskii* Ind. graec. Dem. s. h. v. et *Dissen.* ad Dem. pro cor. §. 1. p. 159 sq. — II. 118. p. 288 sq. *ἡ μὲν τύχη καὶ Φίλιππός ἦσαν τῶν ἔργων κύριοι, ἐγὼ δὲ τῆς πρὸς ὑμᾶς εὐνοίας καὶ τῶν λόγων.* Scribe *τῆς εἰς ὑμᾶς εὐνοίας* ex *agipv*. Utrumque Aeschineum est: *τὴν πρὸς τὴν πόλιν εὔνοιαν* I. 159. II. 17. et *τέλος δὲ πάντων ἔγραψεν ἡμᾶς στεφανῶσαι θαλλοῦ στεφάνῳ ἕκαστον εὐνοίας ἕνεκα τῆς εἰς τὸν δῆμον* II. 46. Sed hoc loco *Bekkerus* quod deteriorum iussu librorum vocabulum *στεφάνῳ* omisit, vereor ne orationem non graecam fecerit. Cf. III. 187. p. 577. Rectius, opinor, III. 43. p. 433. *τοὺς δὲ ἀνακηρυττομένους ἐν τῷ θεάτρῳ μείζοσι τιμαῖς τιμᾶσθαι* vocabulum *τιμαῖς* (propter *acdfghmn*) omisisset, quia id multo facilius poterat e verbo *τιμᾶσθαι* suppleri. — III. 219. p. 612. *ἀπηνέχθη γὰρ ἡ κατὰ τοῦδε τοῦ ψηφίσματος γραφή, ἣν οὐχ ὑπὲρ τῆς πόλεως ἀλλ' ὑπὲρ τῆς πρὸς Ἀλέξανδρον ἐνδείξεώς με φῂς ἀπενεγκεῖν.* Codices *acdfgmn* *τῆς εἰς Ἀ. ἐνδ.*, quod *Bernhardy* (Synt. p. 217.) defendit. Recte. Nam, nisi fallor, hoc interest inter utramque formulam, ut, qui *πρὸς Ἀλέξανδρον ἐνδείκνυται*, id coram Alexandro et ad eum conversus faciat; qui *εἰς Ἀλέξανδρον*, is illam qualemcunque ostentationem suam ad Alexandrum sive praesentem sive absentem spectare velit. Quod si ita est, hoc loco *εἰς* scribendum fuisse apparet. — III. 131. p. 521. *οὐ τὸ τελευταῖον ἀθύτων καὶ ἀκαλλιερήτων τῶν ἱερῶν ὄντων* (sic *acdfgmn*, cf. 163.) *ἐξέπεμψε τοὺς στρατιώτας ἐπὶ τὸν πρόδηλον κίνδυνον; καίτοι γε πρώην ἀπετόλμησε λέγειν, ὅτι παρὰ τοῦτο Φίλιππος οὐκ ἦλθεν ἡμῶν ἐπὶ τὴν χώραν, ὅτι οὐκ ἦν αὐτῷ καλὰ τὰ ἱερά.* Hoc loco *Bekkerus*, *Bremius*, *Dindorfius* ex *hkl* *ἡμῶν εἰς τὴν χώραν* dederunt, quod per se quidem recte dicitur: non intravit enim in

fines Atticorum Philippus. At vero in scriptura codicis *e*, *εἰς τὴν τῶν κρατουμένων χώραν*, quae verba huc ex sequentibus translata sunt, manifestum est interpolationis factae indicium, ut non dubitem *ἡμῶν ἐπὶ τὴν χώραν* restituere: non est ille infesto exercitu ad fines Atticos profectus (*gegen*), sed in Boeotia in confiniis Atticae substitit. Cf. *ἦλθον ἐφ' ἡμᾶς* III. 87, ubi in ipso *a εἰς* scriptum reperitur.

In praepositione *ἐξ* raro peccatum est. I. 154. p. 156. *ἐκ τίνων ἐστὶν ἐπιτηδευμάτων; ἐκ τούτων, ἐξ ὧν αὐτὸν πράξαντα οἱ νόμοι ἀπαγορεύουσι μὴ δημηγορεῖν.* Ita vulgo editum eodemque modo a *Bekkero* et *Dindorfio* scriptum est; *ἐξ ὧν τὸν πράξαντα* omissis verbis *ἐκ τούτων Bremius* edidit; *ἐκ τούτων ἃ τὸν πράξαντα* est in *bdfhq* et apud *Reiskium*. Attractionem esse omnes consentiunt. Et *Bremius* quidem non erat quod ad rarum illud genus attractionis confugeret, cuius duo exempla attulit, aptum alterum: II. 117. p. 287. *παρ' ὧν μὲν βοηθεὶς οὐκ ἀπολήψῃ χάριν* i. e. *παρὰ τούτων οἷς* cett.; alterum ineptum: III. 233. p. 626. *ἡ δὲ χάρις πρὸς ὃν ἐχαρίζετο ἄδηλος γεγένηται,* i. e. *ἡ δὲ χ., πρὸς ὃν ἐχαρίζετο, τούτῳ ἄ. γ.*; nam qui verba *ἐκ τούτων* delevisset, *ἐξ ὧν* pro *ἐκ τούτων ἃ* usitatissimo genere attractionis positum dicere debuit. *Bekkerus* autem (ad Lycurg. §. 129.) et h. l. et II. 68. p. 245 sq. illud genus dicendi deprehendisse sibi visus est, quo praepositio quae demonstrativo recte praefixa est, eadem relativo quod eam aversatur per attractionem adiungi dicitur. De Aeschine quidem illud *H. Sauppius Bekkero* non concessit (*Iahn.* Annall. philoll. 1832. VI. 1. p. 57.): mihi vero tota illa doctrina adeo mira semper et incredibilis visa est, ut eam, nisi gravissimi auctores testarentur, inter commenta grammaticorum fabulasque referrem. Sed videamus de exemplis, quorum e numero exime II. 68. *ἐν ταύτῃ τῇ ἐκκλησίᾳ Δημοσθένην ἐπιδείξασθαι παρακαθήμενον ψήφισμα γεγραμμένον ἑαυτῷ, ἐφ' ᾧ ἐπεγέγραπτο [τὸ] Δημοσθένους ὄνομα, καὶ ἀνακοινοῦσθαι αὐτὸν αὐτῷ* (imo *αὐτῷ*) *εἰ δῷ τῷ γραμματεῖ ἐπιψηφίσασθαι τοῖς προέδροις, καὶ εἶναι ἐφ' οἷς τὴν εἰρήνην καὶ τὴν συμμαχίαν ἔγραψε ποιεῖσθαι ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς ἐφ' οἷσπερ καὶ Φιλοκράτης ἐγεγράφει.* Incisionem quae in edd. post *ποιεῖσθαι* fit sustuli. Iam quis *ἐφ' οἷσπερ* pro *οἷσπερ* aut pro *ἅπερ* dictum opinabitur? Imo si Aeschines *ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς οἷσπερ* scripsisset, tum vero attractionem quam vocant admisisset. Cf. I. 87. p. 110. 122. p. 135.

Nunc in his verbis, quae ad illum locum Timarcheae comparant, nihil quidquam insoliti est. Cf. III. 81. *συνέβη δ' ἐν τοῖς αὐτοῖς χρόνοις διαφέρεσθαί τι Δημοσθένην καὶ Φιλοκράτην σχεδὸν ὑπὲρ τούτων ὑπὲρ ὧν καὶ ὑμεῖς αὐτοὺς ὑπωπτεύσατε διενεχθῆναι.* Reliqua vero si consideraveris, humile quoddam et tenue genus dicendi demirabere, quod sic fere imitari libet: *und es sei unter denselben Bedingungen unter welchen (dass) er Frieden beantragt habe unter welchen ihn auch Philokrates beantragt hätte.* Porro huc non pertinet Aristot. Magn. Mor. II. 12, quem locum *Bekkerus* Oratt. att. T. V. p. 696. attulit: *πρὸς ὃ ἂν αὐτοὶ ποιήσωσι, πρὸς τοῦτό πως καὶ εὔνοοί εἰσι,* quia enunciato eo in quo attractio est praemisso demonstrativum gravitatis aut perspicuitatis caussa repeti usitatissimum est. Qua re neque ille Aristotelis locus neque qui ex Herodoto et Aristotele apud *Bernhard.* p. 203. aut ex Thucydide ac Demosthene apud *Kühner.* §. 787. not. 1. allati sunt, magis huc faciunt quam Dem. Phil. III. 19. *ἀλλ' ἀφ' ἧς ἡμέρας ἀνεῖλε Φωκέας, ἀπὸ ταύτης ἔγωγ' αὐτὸν πολεμεῖν ὁρίζομαι* (*Kühner.* §. 787. not. 3.). De Lycurgi autem §. 129. *νόμον γὰρ ἔθεντο περὶ ἁπάντων τῶν μὴ θελόντων ὑπὲρ τῆς πατρίδος κινδυνεύειν διαρρήδην λέγοντα ἀποθνήσκειν, εἰς αὐτὸ τοῦτο τὴν τιμωρίαν τάξαντες εἰς ὃ μάλιστα φοβούμενοι τυγχάνουσι, H. Sauppium* animadvertisse audio (*Maetzn.* ad h. l.), *φοβεῖσθαι εἴς τι* dici solitum. Recte id quidem, neque dubitarem hanc rationem amplecti, nisi ille usus poetarum esse videretur. Sed quid est quod grammaticis relucter? adeone vero insanus sum ut, quod in conspectu positum oculis cognosci manibusve deprehendi potest, id aut ipse non cernam aut obstinata quadam mentis voluntate pernegem? Nempe persuasum mihi est Graecos numquam tam temerarios fuisse, ut praepositionem quae prorsus nihil significaret animi caussa usurparent. Qua re quod ex Isocratis Panegyrico §. 140. afferunt, *ἀλλὰ γὰρ οὐκ ἐκ τούτων δίκαιόν ἐστι σκοπεῖν τὴν βασιλέως δύναμιν, ἐξ ὧν μεθ' ἑκατέρων γέγονεν, ἀλλ' ἐξ ὧν αὐτὸς ὑπὲρ αὐτοῦ πεπολέμηκεν,* id sic explico, ut verba *ἐκ τούτων* ad ea quae antea dicta sunt spectare, quae autem sequuntur *ἐπεξηγητικῶς* adiecta esse putem: *aber nicht hieraus (aus diesem) muss man die Macht des Königs schätzen, aus dem was er gewesen ist, sondern aus dem* cett. Nimirum eadem haec repetitio demonstrativi est, quam praemissa enunciatione relativa usu venire vidimus, itemque si minus perspicuitatis, tamen ae-

qualitatis caussa, cuius inprimis Isocratem amantem fuisse scimus, instituta. Non aliter Isocrates de Antid. 187. *λέγομεν γὰρ ὡς δεῖ τοὺς μέλλοντας διοίσειν ἢ περὶ τοὺς λόγους ἢ περὶ τὰς πράξεις ἢ περὶ τὰς ἄλλας ἐργασίας πρῶτον μὲν πρὸς τοῦτο πεφυκέναι καλῶς, πρὸς ὃ ἂν προῃρημένοι τυγχάνωσιν.* Hic quum verba *πρὸς τοῦτο* ad eam rem spectarent, qua quemque in re insignem futurum dixerat, perspicuitatis caussa repetita est praepositio hoc modo: *dass wer sich im Reden — oder sonst worin auszeichnen will, hierzu natürliche Anlagen haben müsse,* (nemlich) *zu* (dem) *was er zu seinem Beruf gewählt hat.* Nam ne quis *διαφέρειν* repetat (qua quisque in re excellere sibi proposuerit), impedit quod supra *περὶ*, non *πρὸς* dictum est. Eodem modo apud Lycurg. l. c. *εἰς αὐτὸ τοῦτο* ad *ἀποθνήσκειν* refero: *eben hierein die Strafe setzen*, nemlich *in* das *was sie am meisten fürchten.* Neque aliter Xenoph. Vectigg. IV. 13. *ἀπ᾿ αὐτῶν μὲν οὖν ἔγωγε ἀφ᾿ ὧν μέλλω λέγειν οὐδέν τι ἀξιῶ θαυμάζεσθαι.* Unus locus superest qui huic rationi repugnet, Isocr. Panath. 68. *ἔτι δ᾿ οὐκ ἐκ τούτων ἔφερον, ἐξ ὧν αὐτοὶ διέσωσαν, ἀλλ᾿ ἀφ᾿ ὧν δι᾿ ἡμᾶς εἶχον,* quia in verbis praedictis non est quo *τούτων* referri possit. Qua re nisi forte Isocrates, ut antitheta aequalia essent, etiam quod ad sententiam ineptum esset scripsisse putabitur, suspicio est ne illum locum librarii vel *ἐκ τούτων* vel *ἐξ* addendo corruperint. Sed quidquid huius rei est, etiamsi ita Isocrates non modo scripserit, sed recte et accommodate scripserit, tamen tanta est eius loci a quo haec digressio profecta est dissimilitudo, quanta maxima potest esse. Nam Aeschines, quum hic locus sic scriptus habeatur: *ἐκ τίνων ἐστὶν ἐπιτηδευμάτων; ἐκ τούτων ἐξ ὧν αὐτὸν* cett., nisi *ἐξ* scriptum quidem, sed non pronunciandum aut interpretandum videbitur, quid aliud dixit quam *ἐκ τίνων ἐστὶν ἐπιτηδευμάτων; ἐκ τούτων, ἐκ τούτων ὧν* cett.? Apud Isocratem verbum saltem inter *ἐκ τούτων* et *ἐξ ὧν* interpositum est, quo auditio parumper inhibetur, ita ut certe quodammodo excusari posse videatur vocabulum nunc ipsum auditum et adhuc in auribus audientium sonans repeti; sed in Aeschine quidnam excusationis est? Profecto nisi dormivisse oratorem dicemus, aliam aut interpretationem circumspiciemus aut scripturam. Nam verba *ἐξ ὧν αὐτόν*, si ab ipso Aeschine profecta essent, eodem modo cum *πράξαντα* coniungi debebant, quo *πράττειν ἔκ τινος ψηφίσματος* sive *νόμου* sive *ἐπιτάγματος* dicitur. Cf. I. 79. *μὴ ἐξῆν δ᾿ ἔκ του νόμου ἢ ψηφίσματος*

μήτε ἐμοὶ κατηγορεῖν μήτε τούτῳ ἀπολογεῖσθαι, ubi invitis libris qui optimi sunt *Bekkerus* vulgatum ἐκ τοῦ νόμου ἢ τοῦ ψηφίσματος retinuit. At vero ἐπιτήδευμα i. e. διατριβὴ (I. 54. τῶν δὲ ἐκ τῆς διατριβῆς ταύτης) non lex quaedam aut norma est vivendi, sed ipsa vita quae vivitur, ut πράττειν ἔκ τινος ἐπιτηδεύματος non magis recte dicatur quam ζῆν ἔκ τινος βίου. Sed πράττειν τι ἐπιτήδευμα recte dicitur: I. 37. p. 64. ἀναγκαζόμενος λέγειν περὶ ἐπιτηδευμάτων φύσει μὲν μὴ καλῶν, τούτῳ δὲ πεπραγμένων. Hoc ignoratum nisi fallor vitium procreavit. Nam quod in *b d f h q* pro ἐξ ὧν αὐτὸν legitur ἃ τόν, id quia et a codicibus commendationem habet et ad sententiam aptum est neque cum grammatica aut sana ratione pugnat, ab Aeschine scriptum videtur. Nam ne quem reliquorum auctoritas codicum fallat, eodem hoc loco in codicibus alioquin praestantissimis *g m o* (*f* et *l*) μὴ ante δημηγορεῖν omissum est, quam particulam iam *Reiskius* recte ex *q r* receperat. Aeschines enim verbum *vetandi* non posuit quin ad infinitivum μὴ adderet. Cf. de ἀπαγορεύω I. 10. 32. 40. II. 106. III. 11. 31. 35. 36. 44. 50. 83. 203, de ἀπειπεῖν I. 29. 138. III. 43. 45. 48. 204. Attractionem autem (ὧν τὸν πράξαντα) hoc quidem loco nemo quisquam exspectaverit, quae etiam ubi iure quodam exspectaretur, multo quam grammatici docent (*Kühner*. §. 787. not. 5.) saepius neglecta reperitur. Cf. III. 57. p. 445. καὶ χρήσομαι τῇ τοῦ λόγου τάξει ταύτῃ, ἣν (ᾗ *e k l*) τοῦτον πυνθάνομαι μέλλειν ποιεῖσθαι. II. 56. p. 236. ἀπὸ τῆς δημηγορίας, ἣν (ἧς *g m v*) εἶπον περὶ τῆς εἰρήνης. Cf. III. 217. p. 518. I. 45. p. 70. Ita οὐκ ἔστι ταῦτα ἀρχὴ III. 13. p. 398. Cf. I. 191. p. 180. II. 38. p. 222. II. 53. p. 232. Vide *Lobeck*. ad Soph. Aiac. 493. ed. 2, *Iahni* Annall. philoll. suppl. IV. 3. p. 356. Sed in attractione saepius apud Aeschinem librariorum culpa peccatum esse videtur. Non cadit quidem opinor haec suspicio in I. 161. p. 161. οὐκοῦν, εἴπερ τὸ πρᾶγμα δίκης προσδεῖται, τοῖς κατὰ γραμματεῖον ἡταιρηκόσιν, ἂν ἀδικῶνται, ἡ τῶν νόμων ὧν οὗτοί φασιν ἐπικουρία καταλείπεται, ubi nulla est attractio. Nam τῶν νόμων οὓς οὗτοί φασι non dicitur, sed τῶν νόμων οὓς οὗτοι λέγουσι, idque et librarius videtur sensisse, qui ἣν pro ὧν scripsit (cod. *l*), et *Reiskius*, qui ἐξ ὧν dedit, et *Bremius*, qui ὡς οὗτοί φ. proposuit. Qua re sic interpretare: *relictum est iis auxilium legum quarum hi putant* sc. auxilium sibi relictum esse. Revera enim nihil auxilii a legibus exspectari poterat,

quia, cum omnino vetitum esset ne quis civem atticum ad explendam libidinem suam conduceret, ne scriptum quidem pactum reum a poena tutum praestabat. Eodem modo explico II. 118. p. 289. *πότερον οὖν ὁ μηδὲν προθυμηθεὶς ἐργάσασθαι ἀγαθὸν δίκαιός ἐστιν εὐδοξεῖν ἢ ὁ μηδὲν ὢν ἦν δυνατὸς ἐλλείπων;* quae verba iam veteribus offensioni fuisse ostendit codex *i*, in quo *δυνατὸς ὢν* pro *ὢν ἦν δυνατὸς* legitur. Tacet ad eum locum *Bremius*, qui arrogantiae speciem ab Aeschine evitatam esse significavit (ad c. 22. s. §. 79. p. 257.), praeterea nihil adnotavit; *Reiskius* autem, qui *δυνατὸς rariusculo sensu pro ἐγκρατὴς* positum dixit, videtur genitivum *ὢν* ex vocabulo *δυνατὸς* aptum esse credidisse; mihi videtur *ἐργάσασθαι* repetendum esse: *ὁ μηδὲν τούτων ἃ ἐργάσασθαι δυνατὸς ἦν ἐλλείπων.* De benefactis autem sermo est. Sed II. 107. p. 279. *οὐδείς με τῶν ὅπλων ἕνεκα τῶν Φιλίππου κρινεῖ, ἀλλ' ὢν ἂν εἴπω τι μὴ δέον ἢ πράξω τι τῶν μὴ προστεταγμένων,* unus *Wolfius* vitium latere sensit, sed, ut erat illa aetas ad removendas huiusmodi difficultates expeditissima, pronomen *τὶ eleganter παρέλκειν* pronunciavit. Agedum, quid tandem illud est quod Aeschines dicit, neminem propter bella Philippi sibi iudices laturum, sed propter *ea quorum aliquid* aliter quam debuit aut dixerit aut fecerit? Minime vero, sed unusquisque a sanis quidem hominibus propter ea quae non recte dixit fecitve accusatur, reliquis verbis factisque quorum nulla reprehensio est omissis. Itaque quia *τὶ* propter verba sequentia *ἢ πράξω τι τῶν μὴ προστεταγμένων* omitti non potest, *ὢν* delendum est: *ἀλλ' ἂν εἴπω τι* cett., quo ducit codex ut antiquissimus sic maxime interpolatus *i*, in quo *ὢν* inter versus est. Nimirum librarii qui *ἂν* pro particula habuissent non poterant quin *ὢν* interpolarent.

Sed redeo ad praepositionem *ἐξ*. II. 34. p. 220. *τελευτῶν δὲ ἐκπίπτει ἐκ τοῦ λόγου.* Praepositio in *g m p v* omissa est, ut III. 7. *ἐκφεύγουσιν ἐκ τῶν δικαστηρίων* in *a*. Sed in hac re vel optimis libris fortiter resistendum est. Aeschines enim verba cum praepositione *ἐξ* composita cum genitivo, nisi ubi improprie loquitur, non coniungit: II. 85. *τῆς συμμαχίας ἐκκλείων αὐτόν.* III. 74. *τὸν Κερσοβλέπτην — ἐξέκλεισε τῶν ὅρκων.* II. 4. *ἐξέστην δ' ἐμαυτοῦ.* Cf. II. 39. Hic non poterat *ἐξ* addi. Cf. II. 9. *ἐκβεβληκέναι δὲ καὶ τῆς ἀρχῆς Κερσοβλέπτην* i. e. de imperio detrusit, non e regno eiecit. Contra I. 179. *ἐξέρχεσθ' ἐκ τῶν δικαστηρίων.* III. 10. et 233. *ἔξεισιν ἐκ τοῦ δικαστηρίου.* I. 179.

ἐκπέφευγεν ἐκ τοῦ δικαστηρίου. III. 209. ἐξορμεῖς ἐκ τῆς πόλεως. III. 256. *Βυζαντίους μὲν ἐκ τῶν χειρῶν — ἐξελέσθαι τοῦ (τῶν B.) Φιλίππου.* III. 23. μηδὲ ἐξαιροῦ τῶν δικαστῶν τὰς ψήφους ἐκ τῶν χειρῶν (cf. III. 7. καὶ τοῦθ' ὑμῶν τὸ δίκαιον μηδένα ἀνθρώπων ἐξαιρεῖσθαι). III. 140. τὸν πόλεμον ἐξήλασεν ἐκ τῆς χώρας (cf. I. 112. II. 29.). III. 258. ἐξεκήρυξαν ἐκ τῆς πόλεως. Itaque recte *Bekkerus* I. 32. p. 56. τούτους οὖν ἐξείργει ἀπὸ τοῦ βήματος praepositionem vulgo omissam ex *ablmopr* restituit (cf. §. 46. p. 72.); nam a suggestu, non e suggestu excludebantur. Magnam autem id ipsum verbum ἐξείργειν dubitationem habet III. 117. p. 509. ἀρχὴν δέ γε, ἔφη, ὦ ἄνδρες Ἕλληνες, εἰ ἐσωφρονεῖτε, οὐδ' ἂν ὠνομάζετε τοὔνομα τοῦ δήμου τῶν (τοῦ B.) Ἀθηναίων ἐν ταῖσδε ταῖς ἡμέραις, ἀλλ' ὡς ἐναγεῖς ἐξείργετ' ἂν ἐκ τοῦ ἱεροῦ. Ita *Bekkerus* ex *chkl* dedit. *Taylorus* autem in eodem *h* et in *Bern. Mor.* et mg *Steph.* ἐξείργετ' ἂν τοῦ ἱεροῦ omissa praepositione ἐκ, de qua re *Bekkerus* et *Bremius* (ad h. l. et p. 272.) tacent, inveniri testatur; in uno codice, qui est ex optimis (*g*), ἐξήγετε (superscr. ειρ) ἐκ τοῦ ἱεροῦ legitur; in reliquis ἐξήγετε ἐκ τοῦ ἱεροῦ, quod libros ante *Bekkerum* editos occupavit. Id quidem *Bremius mitius esse pro loquente* affirmavit. Quid vero? mitiusne est foras educi e templo qui intus sunt an excludi ab introitu templi qui nondum intrarunt? Sed fortasse sensit *Bremius* hominem, quae erat eius importunitas, non educi e templo Athenienses, sed eiici iussurum fuisse. Est enim ita; non ἐξήγετε, sed ἐξηλαύνετε dicendum erat. Scribendum est igitur ἐξείργετε ἐκ τοῦ ἱεροῦ, cui lectioni codex *g* patrocinatur: *excludite ex templo*, quod ille sic dixit, ut hos qui intus essent Athenienses et eiici neque in posterum intromitti velle intelligeretur; nam ἐξείργειν τοῦ ἱεροῦ improprie diceretur: *arcere ab introitu*, non admittere in templum, quemadmodum I. 12. p. 39. in carmine legis scriptum est: ἐὰν δὲ ἐπιτρέπῃ καὶ μὴ ἐξείργῃ τοῦ γυμνασίου. Non est autem quod particulam ἄν, quae a codicibus non magnopere commendatur, toleremus. Quam qui interposuerunt, notissimum illud et in triviis decantatum genus dicendi ignorasse videntur. Vide *Krueger.* ad Xenoph. Anab. I. 6, 2, *Schneider.* ad Platon. Civ. III. 439. B, *Matthiae* Gr. Gr. p. 982. Cf. III. 252. εἰ δὲ μία μόνον μετέπεσεν, ὑπερώριστ' ἂν ἢ ἀπέθανεν. II. 86. εἰ δ' ἄρα ἐγὼ ἐτόλμων τοῦτο ποιεῖν, ἐπέτρεψας ἄν, ὦ Δημόσθενες, καὶ οὐκ

ἐνέπλησας cett. Itaque I. 88. p. 110. scribendum puto: ἔστιν οὖν ὅστις ἂν ἐμαρτύρησεν ἢ κατήγορος ὃς ἐνεχείρησε τοιαύτην ἀπόδειξιν ποιεῖσθαι τοῦ πράγματος (nam ἂν post ὅστις in *abghlmpqr*, ἂν ἢ in *o* legitur): *estne qui ita testatus foret* cett., ita ut ἂν etiam ad verbum ἐνεχείρησε pertineat. Item apud Demosth. Androt. 17. p. 598, 20. οὔτ᾽ ἂν οὗτος ἔχοι λέγειν οὔθ᾽ ὑμεῖς πεισθείητε ἄν, alterum ἂν in *ΣΥΩkrs* omissum deleri oportuit. Quid quod etiam in priorem enunciationem vis huius particulae reflexa esse videtur. Certe apud Demosth. Timocr. 7. p. 702, 2. *Dindorfius* ἐγὼ δ᾽ εἰ κατώρθωσεν ἐκεῖνος ἣν ἐπ᾽ ἔμ᾽ ἦλθεν ὁδόν, οὐχ ὅτι τῶν ὄντων ἂν ἀπεστερήμην, ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ἂν ἔζην cett. particulam quam in *FΣΥΩ* omissam esse vidisset delevit. Improbavit id quidem *Schaeferus*, qui etiam apud Plut. Pompei. c. 51. Πομπήιος εἶπεν, ὡς τάχα μὲν δὴ μετέλθοι, τάχα δ᾽ οὐκ ἂν μετέλθοι pro δὴ voluit ἂν reponi, sed num recte id fecerit, dubitari potest, quum negativae quoque vis interdum extra fines quibus continere se debebat egressa ad priora tendat. De Aeschin. III. 217. p. 611. ἐγὼ δὲ οὔτε τὰς Δημοσθένους διατριβὰς ἐζήλωκα οὔτε ἐπὶ ταῖς ἐμαυτοῦ αἰσχύνομαι οὔτε τοὺς εἰρημένους ἐν ὑμῖν λόγους ἐμαυτῷ ἀρρήτους εἶναι βουλοίμην οὔτε τὰ αὐτὰ τούτῳ δημηγορήσας ἐδεξάμην ἂν ζῆν, quo loco *Bekkerus* ἂν deesse adnotavit, *Hermannus* de part. ἂν p. 156. dixit. Is in eodem libro de aliis locis Aeschinis dixit, quibus ἂν recte omissum est; duos ego addam, alterum III. 123. p. 515. καὶ εἰ μὴ δρόμῳ μόλις ἐξεφύγομεν εἰς Δελφούς, ἐκινδυνεύσαμεν ἂν ἀπολέσθαι, quo loco ἄν, quod *Reiskius* ex *Stephano* receperat posteaque *Bekkerus* in *ehkl* inventum toleraverat, fidenter dele; recte enim et ἐκινδύνευσα ἀπολέσθαι dicitur, h. e. *periculum erat ne perirem, at non perii*, et ἐκινδύνευσα ἂν ἀπολέσθαι, i. e. *periculum fuisset ne perirem, at remotum est periculum* (cf. *Kühner*. §. 822.), ut III. 88. p. 481. καὶ εἰ μὴ πρῶτον μὲν θεῶν τις ἔσωσε τὸ στρατόπεδον, — ἐκινδύνευσεν ἂν ἡμῶν ἡ πόλις αἴσχιστα παθεῖν, eodemque iure Aeschines utrumque usurpavit, quo et ἐβουλόμην (III. 2. p. 382.) et ἐβουλόμην ἂν (III. 115. p. 506.) posuit. Alter est II. 9. p. 193. ὃν δ᾽ οὕτως ἀτιμάζει, πάλιν ἐκ μεταβολῆς, ὅπου τύχῃ, ὥσπερ Ἀλκιβιάδην ἢ Θεμιστοκλέα κρίνων, οἳ πλεῖστον τῶν Ἑλλήνων δόξῃ διήνεγκαν, ἀνῃρηκέναι μὲν αἰτιᾶταί με τὰς ἐν Φωκεῦσι πόλεις cett., quo loco *Bekkero* ἂν visum est deesse. Recte, ut

opinor. Nam in hoc quidem genere dicendi ea est scriptorum consuetudo, ut, sicubi ἂν omissum repereris, statim, ne quid erroris librariorum negligentia commissum sit, suspiceris. Cf. *Kühner*. §. 796, 1. Qua re hoc loco non quidem ὅπου ἂν τύχῃ, sed ὅπου τύχοι, ut est in corr. *a* et in *ehkls Mor.*, scribendum videtur. Quod ne quis miretur aut soloecum esse putet, Aeschines non de re praesenti, sed de criminibus obiici sibi a Demosthene solitis loquitur: *quem sic contemnit*, *eundem rursus*, *ubi visum esset*, *tamquam alterum Alcibiadem accusat* i. e. *accusabat*.

De praepositione εἰς satis dictum est. Addere liceat, cuius rei illa memoriam excitavit, III. 173. p. 563. non recte factum videri ut sic ederetur: πλεῖστον δ' ἐκ τῆς πολιτείας εἰληφὼς ἀργύριον ἐλάχιστα περιεποιήσατο. Nam in optimis codicibus ἐκ τῆς πόλεως legitur; ἐκ τῆς πολιτείας est in *ehkl*, qui codices pleni sunt interpolationum, et in mg. *gm*, unde etiam augetur interpolationis suspicio. Nempe viderunt, quicunque huius interpolationis auctores sunt, Demosthenem h. l. administranda republica lucrum fecisse dici. At enim Aeschines Demosthenem ingentem vim pecuniae *ex aerario* (ἐκ τῆς διοικήσεως III. 31. p. 425.) ad muros reficiendos aliave munera publica nactum bonam partem in suos loculos retulisse dicit (cf. III. 9.). Qua re recte dicitur *ex urbe* multum pecuniae accepisse, ut §. 23. p. 415. δέκα τάλαντα εἰς ταῦτα ἐκ τῆς πόλεως εἰληφώς, ubi iterum in *el* scriptum est ἐκ τῆς πολιτείας.

Praepositioni ἀπό, quod meminerim, rarius a *Bekkero* iniuria illata est. II. 58. p. 238. οὗτος δέ φησιν ἐφεστάναι τὰς ἀπὸ τῶν Ἑλλήνων πρεσβείας. Sic, non παρὰ τῶν Ἑλλήνων, legitur in *agmv*, quorum unus *a* propter non collatum *b* pro duobus est. Apparet autem παρά, quod solenne est in hoc genere dicendi (cf. II. 12. 86. 109. III. 61. 74.), non ἀπὸ a librariis profectum esse. Cf. II. 61. p. 241. πρὶν ἐπιδημῆσαι τοὺς ἀπὸ (παρὰ *ip*) τῶν Ἑλλήνων πρέσβεις. II. 162. p. 326. *Bremi* ad III. 63. p. 453. *Maetzn.* ad Lycurg. p. 204. — II. 97. p. 272. πρῶτον μὲν γὰρ δέκα πρέσβεων ὄντων, ἑνδεκάτου δὲ τοῦ συμπεμφθέντος ἡμῖν ἀπὸ τῶν συμμάχων. Ita codices tantum non omnes (*afghiklmpqsv*); duo (*de*) ὑπὸ τῶν συμμάχων, quod *Bekkerus* retinuit. Iam *Reiskius* Vol. IV. p. 857. ἀπὸ τῶν συμμ. „*a parte sociorum*“ sibi placere significaverat idque et *Bremius* in ordinem recepit nec *Dindorfius* reiecit. Vidit enim

Bremius legatos non a sociis ipsis, sed a synedris sociorum, quorum collegium Athenis erat, *sociorum nomine* missos esse. Cf. II. 143. p. 310. *καὶ τοὺς συμπρέσβεις καὶ τοὺς ἀπὸ τῆς τῶν Βοιωτῶν φυγῆς ᾑρημένους.* III. 98. p. 489. *δεδόσθαι δὲ ἀπὸ πάντων τούτων τὴν ἡγεμονίαν ὑμῖν,* quo loco mea quidem sententia nec *Bremius ἁπάντων,* quod pro *ἀπὸ πάντων* in *e l* legitur, comprobare nec *Maetznerus* ad Lycurg. p. 81. *ἀπὸ vice legitimae ὑπὸ fungi* dicere debuit. Non enim hoc dicit Aeschines, illos populos principatum sive potius imperium ad Athenienses detulisse, sed per eos licere Atheniensibus illo imperio fungi, s. ab iis Athenienses impeditum non iri quominus summum imperium suscipiant. — II. 133. p. 302. *τοῖς τὰς μυστηριώτιδας σπονδὰς ἀπαγγέλλουσι* revocandum esse (cf. 134. p. 303.) *Maetznerus* quoque ad Lycurg. p. 100. animadvertit. Difficilior quaestio est de verbo *ἀπευθύνειν* III. 158. p. 545., quem locum sic scribendum puto esse: *οὔτε πόλις γὰρ οὔτ' ἰδιώτης ἀνὴρ οὐδεὶς πώποτε καλῶς ἀπήλλαξε Δημοσθένει συμβούλῳ χρησάμενος. ὑμεῖς δ', ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, οὐκ αἰσχύνεσθε, εἰ ἐπὶ μὲν τοὺς πορθμέας τοὺς εἰς Σαλαμῖνα πορθμεύοντας νόμον ἔθεσθε, ἐάν τις αὐτῶν ἄκων ἐν τῷ πόρῳ πλοῖον ἀνατρέψῃ, τούτῳ μὴ ἐξεῖναι πάλιν πορθμεῖ γενέσθαι, ἵνα μηδεὶς αὐτοσχεδιάζῃ εἰς τὰ τῶν Ἑλλήνων σώματα, τὸν δὲ τὴν Ἑλλάδα καὶ τὴν πόλιν ἄρδην ἀνατετροφότα, τοῦτον ἐάσετε πάλιν ἐπευθύνειν τὰ κοινά;* Nam quum *ἐπευθύνειν,* ut est in *acfgkmnp* exaratum, aptam ad rem habeat significationem: dicitur enim de gubernatore cursum navis in aliquem locum dirigente (*dass er wiederum darauf los steuere*): non video cur alteram eamque deteriorum librorum scripturam *ἀπευθύνειν* praeferamus. Praeterea tribus in rebus ad eam lectionem, quae ante *Bekkerum* vulgata erat, redii: primum *οὔτε πόλις γάρ,* pro quo *ehkl οὔτε γὰρ πόλις* obtulerunt, revocavi. Quae particulae *γὰρ* collocatio etsi non alio loco Aeschinis reperiatur (nam *πρὸς ἕνδεκα γὰρ ἀμφορέας* II. 126. *δι' αὐτὸν γὰρ* III. 233. alius sunt generis), tamen neque per se, id quod constat, vituperabilis est et in antithesi singularem quandam commendationem habet. Multo vero saepius particula *δὲ tertium* vel a praepositione locum habet (*ἐν παντὶ δὲ* I. 62. cf. I. 51. 109. II. 8. 49. 93. 104. 132. III. 61. 75. 160. 215. 232.) vel ab articulo (*τῷ καιρῷ δὲ* II. 27. cf. II. 66. 138. 178.) vel a negativa (*οὐκ ἀγνοῶ δὲ* I. 4. 67. cf. I. 45. 108. 117. 121. 133.

II. 12.), interdum etiam *quartum*, ut III. 80. *ἐν ταῖς μεγίσταις δ' ἦσαν* et III. 207. *οὐκ ἂν θαυμάσαιμι δέ*, ita ut iure mirere cur *Bekkerus* III. 240. p. 633. optimorum codicum (*acdfmn*), in quibus *διὰ ἐννέα δὲ τάλαντα* legitur, auctoritate posthabita *διὰ δὲ ἐννέα τάλαντα* scripserit. Nam hiatum certe, ut paret, non reformidavit. At vero, nisi forte h. l. *Bekkerus* solitam in indicandis codicum lectionibus diligentiam omisit, illi codices non *διὰ ἐννέα δὲ τάλαντα*, sed *διὰ δὲ ἐννέα δὲ τάλαντα* praebent, unde iure suspicere *δέ*, quod ante *ἐννέα* legitur, priorem syllabam eius vocabuli esse quod ab Aeschine positum esse probabile est. Scripsit enim Aeschines *διὰ δέκα δὲ τάλαντα*. Vide Dinarch. I. 20 sq. *Bekker.* Oratt. att. T. V. p. 698. Praeterea III. 164. p. 551. *αὐτίκα μάλα δέ*, pro quo *Bekkerus* ex *ehkl* *αὐτίκα δὲ μάλα* edidit, restituendum, III. 163. autem *ἅσμενος ἂν δ'*, quod est in optimis libris (*agm*), pro *ἅσμενος δ' ἂν* scribendum est. Eodem modo Aeschines *μὲν* collocavit: *ἐν ἐκείνῃ μὲν οὖν* II. 82. cf. I. 13. 108. 109. II. 99. 146. 163. III. 94. 98. 214. 215. 240. *ὁ θεὸς μὲν* II. 163. cf. I. 91. 140. 177. *μὴ μετελθὼν μὲν* I. 145. 85. Deinde *ἰδιώτης ἀνὴρ* restituo, quum *Bekkerus* propter eosdem *ehkl* alium verborum ordinem in antithesi haud aeque commendabilem (*ἀνὴρ ἰδιώτης*) praetulerit. Nam ubi illa vis orationis deest, *ἀνὴρ ἰδιώτης* non minus recte, quam *ἀνὴρ ῥήτωρ* III. 253. *ἀνὴρ στρατηγὸς* III. 229. *ἀνὴρ πολίτης* II. 87. *ἀνὴρ ποικιλτὴς* I. 97. *ἀνὴρ φιλόσοφος* I. 141. (cf. III. 257.) et similia (cf. I. 103. II. 22. III. 197.), dicitur. Vide III. 233. 252. et 114. p. 505. *ὅτου ἂν προσάψηται ἀνδρὸς ἰδιώτου ἢ δυνάστου ἢ πόλεως δημοκρατουμένης.* Sic h. l. optimi codd. *adfgmn*; *Bekkerus ἀνδρὸς ἢ ἰδιώτου.* Utcunque scribitur, civitatibus singuli homines sive privati sive in imperio constituti ex adverso ponuntur tam apta verborum collocatione, ut non potuerit esse aptior. Denique *ἀνατετροφότα*, quod est in *aclmn Bern.*, pro *ἀνατετραφότα* sola codicum auctoritate motus posui, quam et I. 190. p. 179. tamdiu valituram credo esse, donec quis illam formam vitiosam aut ab hoc genere scriptorum alienam esse certis indubitatisque argumentis demonstrabit. Nunc enim res in ambiguo est. Vid. *Bremi* ad Timarch. c. 76. et *Buttm.* I. p. 423. *). *Kühnerus* enim (157, 4.) hanc quaestionem silentio transiit.

Praepositionem *ἐν* *Bekkerus* III. 125. p. 516. immerito expulit: *τοῦ δόγματος τούτου ἀποδοθέντος ὑφ' ἡμῶν ἐν τῇ βουλῇ καὶ πάλιν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ [τῷ δήμῳ] καὶ τὰς πράξεις ἡμῶν ἀπο-*

δεξαμένου τοῦ δήμου cett. Praepositio est in *acdfgmn* et codd. *Reiskii.* Recte. Nam si quis offendatur, quod decretum illud non ut in concione populo sic in curia senatui redditum esse legit, quum tamen Aeschines non curiam (*τὸ βουλευτήριον*), sed senatum, quo vocabulo illam una complectitur, dixerit: maiore tu quidem iure, cur tandem verba *τῷ δήμῳ* addita sint, demirere, siquidem quae *ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ* redduntur, ea redduntur *populo.* Quamquam quum alibi quoque haud absimilia legantur (vid. *Bremi* ad h. l.), si verum fateri volumus, nulla in his verbis iusta offensio esset, nisi et codex *a*, cui haud dubie Barberinus consentit, iis careret, et quae statim sequuntur verba *καὶ τὰς πράξεις — τοῦ δήμου* factae interpolationis suspicionem admodum augerent. Hanc ob caussam uncos addidi. Deinde post verba *τοῦ δόγματος* vulgo *οὖν* intersertum est. Eam particulam ex *Bekkeri* codicibus tres tantum (*gmn*) tuentur; in duobus (*cp*) est *δέ*; in reliquis (*adefhklq*) omissa est. Qua re quum post recitatas a scriba leges aliave documenta publica consentaneum sit ab oratore *ἀσυνδέτως* pergi, haud cunctanter equidem *οὖν* deleverim. Cf. III. 33. *ΝΟΜΟΣ. οὗτος ὁ νόμος* cett. III. 34. *ΨΗΦΙΣΜΑ. ἀκούετε, ὦ ἄνδρες* cett. III. 113. 188. cett. Etiam II. 145. p. 311. *διοριῶ δ' αὐτῶν ἑκάτερον σαφῶς· φήμη μὲν γὰρ ἐστιν, ὅταν κτλ.* particula *γάρ*, non aliena illa quidem ab Aeschinis usu dicendi (cf. I. 170. 178. III. 32. 195. all.), tamen quum in solis *ip* habeatur, non debuit a *Bekkero Dindorfio*que in ordinem recipi, qui si in eadem oratione §. 147. p. 312. *σὺ μὲν γάρ, ὦ Δημόσθενες κτλ.* contra codices scripsissent aut certe *σὺ μὲν οὖν,* quod ex *psv Reiskius* et *Bremius* receperunt, retinuissent, quia asyndeton hoc loco ferri nequit, non dubito quin assensum intelligentium omnium tulissent. — III. 73. p. 462. *ὁ γὰρ μισαλέξανδρος καὶ μισοφίλιππος ὑμῖν οὑτοσὶ ῥήτωρ δὶς ἐπρέσβευσεν εἰς Μακεδονίαν ἐξὸν μηδὲ ἅπαξ.* Sic *Bekkerus, Bremius, Dindorfius* ex codicibus *ekl* scripserunt placuitque ea scriptura *Reiskio* quoque, qui eam in schedis *Scrimgeri* adnotatam invenisset. In reliquis scriptis et editis *ἐν Μακεδονίᾳ* habetur. Sed quam levis sit istorum codicum auctoritas, altero loco Aeschinis, quo eadem fere verba leguntur, II. 146. p. 312. *ὡς οἴκοι καταλιπὼν εἰς Μακεδονίαν ἐπρέσβευσα,* conspicitur. Hic enim in iisdem illis codicibus et *s ἐν Μακεδονίᾳ* reperitur. *Bekkerus* autem quum h. l. ista auctoritate sibi imponi noluisset, cur voluit altero loco? Tam certum est enim, etiam si exemplis

demonstrari non possit (cf. tamen *Bernhard.* Synt. p. 350.), πρεσβεῦσαι ἐν Μακεδονίᾳ recte dici eum qui in Macedonia legatus fuerit, ut non dubitem quin etiam III. 145. p. 535. πρεσβεύσειν μὲν ἔφη ὅπου ἂν αὐτῷ δοκῇ (sic *aeghlmnp Mor.*, ὁπότ' *cdfq*, ὅποι edd.) reponi debeat. Ceterum Aeschinis quoque ea consuetudo est, ut πρεσβεύειν cum praepositione motum significante coniungat: πρεσβεύειν εἰς Φωκέας II. 134. εἰς Θήβας III. 138. εἰς τὴν Ἑλλάδα I. 120. πρός τινα II. 149. 164. III. 162. ἐπί τινα II. 139. 142. Quod *Bekkerus* et qui ex eo pendent *Bremius Dindorfius*que III. 80. p. 471. e codd. *ekl* ediderunt: ἐν ταῖς μεγίσταις δ' ἦσαν αἰτίαις οἱ πρέσβεις οἱ τὴν εἰρήνην πρεσβεύσαντες, sperandum est fore ut in melioribus libris reperiatur. Nam et aptum est apprime (*legati qui legatione sua pacem conciliarunt*) et usu oratorum receptum (v. *Reisk.* ind. gr. Dem.) et quod haud facile a quoquam vulgatae scripturae substitutum esse videatur. Nihilo minus donec meliores libri reperti erunt, vulgatum περὶ τῆς εἰρήνης optimorum codicum auctoritate fultum tenebitur: *legati qui de concilianda pace missi erant.* Nam non infecta re legatos rediisse nota tum res erat. Πρεσβεύειν ὑπὲρ τῆς σωτηρίας III. 227. dicitur. — II. 109. p. 280 sq. Demosthenes coram Philippo διεξῄει — πρώτην μὲν τὴν ἐν τῷ ψηφίσματι τῷ Φιλοκράτους συνηγορίαν, ὅτε ἔφευγε παρανόμων ἐξεῖναι γράψας Φιλίππῳ πρέσβεις πρὸς Ἀθηναίους ὑπὲρ εἰρήνης πέμπειν. Hoc quid sit nemo dixit, neque quisquam *Hieronymo Wolfio*, qui praepositionem ἐν tolli iusserat, expressis verbis aut oblocutus est aut assensit, praeterquam quod *Bekkerus*, dum coniecturam egregii viri commemorat, et comprobasse eam videtur. Atque dubium non est quin Aeschines hoc loco foede vitiatus habeatur. Nam defensionem plebisciti quae quidem non et ipsa plebiscito fiat, non τὴν ἐν τῷ ψηφίσματι συνηγορίαν, sed aut τὴν τοῦ ψηφίσματος συνηγορίαν aut τὴν τῷ ψηφίσματι συνηγορίαν dici debuisse in propatulo est. At enim, nisi memoria me fallit, Aeschines quidem dativum e substantivo aptum ita sprevit, ut τὴν τῷ ψηφίσματι συνηγορίαν Aeschineum esse ferrique posse summopere negem; alteram autem rationem quae violentior est nemo sanus non repudiabit. Itaque tertia via tentator. In codicibus legitur τοῦ Φιλοκράτους, quod *Bekkerus* propter unum *i* mutavit: genitivo articuli restituto verba ἐν τῷ ψηφίσματι eiiciamus, quae verba super vv.

γράψας Φιλίππῳ scripta, scilicet ne quis literas ad Philippum a Demosthene missas esse opinaretur, post ut fit inter ipsa verba oratoris male interpolata sunt. Accedit quod, quantum ego quidem nunc memini, usitatius dicitur homini quam legi aut plebiscito συνηγορεῖν. Itaque Aeschinem nihil quam τὴν τοῦ Φιλοκράτους συνηγορίαν scripsisse arbitror. Nam quod hoc plerumque sic dicitur, ut genitivo defensor, non reus indicetur (I. 195. ὧν πρὶν τῆς συνηγορίας ἀκοῦσαι. III. 7. τὰς τῶν στρατηγῶν συνηγορίας), h. l. satis cautum est, ne quis reum fuisse Philocratem non videat. Sed etiamsi verba ἐν τῷ ψηφίσματι defendi possent, tamen non erat quod ex uno codice τῷ Φιλοκράτους scriberetur. Omnino vix dici potest, quantopere *Bekkerus* secum ipse pugnaverit, qui in delendo mutandoque articulo libere versatus et ne eorum quidem codicum quibus obstrictus teneri solet auctoritatem firmiter tuitus fecit, ut saepe numero nobis et lege sermonis graeci et librorum scriptorum auctoritate accuratius perpensa ab eius iudicio discedendum esse videretur. Rem exemplis quibusdam demonstrabo. *Bekkerus* cum *Dindorfio* I. 85. ὑπὸ τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων ediderunt pro eo quod praeter *f* omnes codices praestant, ὑπὸ τοῦ δήμου τῶν Ἀθηναίων. Idem ille cum *Dindorfio* et *Bremio* III. 46. ex *ek*, III. 155. ex *cdfq*, et, quibus locis *Dindorfius* a *Bekkero* secessit, III. 116. ex *f*, III. 117. ex *ek*, III. 237. ex *fnp*, III. 258. ex *cdkm* dederunt. Et sane ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων aut in omnibus libris aut in optimis est II. 60. III. 48. 120. 209. Sed eadem auctoritate etiam ὁ δῆμος τῶν Ἀθηναίων I. 25. III. 101. 156. positum est intactumque a *Bekkero* mansit et II. 73. ex *agmpv* (ὁ δῆμος Ἀθηναίων *i* et pr. *m*, ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων ς) restituetur; eadem auctoritate etiam τὸν Ἀθηναίων δῆμον III. 90. defenditur, pro quo *Dindorfius* ex *ekl* τὸν δῆμον τῶν Ἀθηναίων, *Bekkerus* et *Bremius* nullo quod sciam codice addicente τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων scripserunt; eadem denique auctoritate ὁ δῆμος ὁ τῶν Ἀθηναίων III. 49, ut ὁ δῆμος ὁ τῶν Ῥοδίων ἢ Χίων III. 42. nititur. Quid est igitur in hac re quod ab optimis codicibus secedere *Bekkerum Bekkerianos*que fecerit? quid est, ut hoc addam, cur *Bekkerus* cum *Bremio* verba τὸν δὲ ἱερομνήμονά φησι τῶν Ἀθηναίων propter duos codices (*gm*), in quibus est τὸν Ἀθηναίων, III. 126. mutarint, quum tamen statim post (III. 127.) eadem verba in summo codicum con-

sensu intacta immutataque reliquerint? At solet Aeschines gentium nominibus articulum non addere. Recte quidem, sed non ita solet, ut non interdum etiam addiderit. Sic *Βοιωτοὺς* dicit II. 116. et *τοὺς Βοιωτοὺς* III. 142; *οἱ φεύγοντες Βοιωτῶν* II. 142. et *τῆς τῶν Βοιωτῶν φυγῆς* II. 143, *τὰς ἐν Βοιωτοῖς πόλεις* II. 116. 137. et *ἐκ τῆς χώρας τῆς τῶν Βοιωτῶν* III. 140. Sic *Ἐρετριεῦσι* II. 164. et *τῶν Ἐρετριέων* III. 100. Euboeenses (II. 12. III. 84 bis. II. 119. III. 237.), Oritas (III. 100. 101. 103—105.), Persas (II. 75. 149. III. 132. 163. 238.) non nominat nisi adiecto articulo. *Λακεδαιμόνιοι* sine articulo vicies posuit, nisi etiam II. 77. vulgata olim scriptura *παραδεξαμένους φρουρὰν καὶ Λακεδαιμονίων ἁρμοστήν* (*Λακεδαιμόνιον* elm *Bekk. Dind.*) revocabitur; et tamen *οἱ Λακεδαιμόνιοι* legitur I. 181, *τῶν Λ.* I. 180 (bis). et 181, *τοῖς Λ.* I. 180, *τοὺς Λ.* II. 174, ubi *Bekkerus* cum *Dindorfio* articulum propter *iq* deleverunt. *Θηβαῖοι* sexies et tricies absque articulo posuit, articulum addidit II. 105. 136 (bis). III. 84. 116. 239. 240, *Ἴωνας* II. 116. et *τῶν Ἰώνων* ibidem, *Μακεδόνων* II. 27. 138. et *τῶν Μακεδόνων* III. 73, *ἐν Σκύθαις* III. 128. et *τοὺς Σκύθας* III. 129. *Φωκεῖς* vicies bis dicuntur sine articulo, contra articulus praefixus est II. 95. 133. 135. III. 118. *Χαλκιδεῖς* III. 91. 92 bis. et *οἱ Χαλκιδεῖς* III. 86. Eadem inconstantia Aeschinis in nominibus urbium, civitatum, terrarum: *Εὔβοια* II. 169. III. 85. 86. 95. et *ἡ Εὔβοια* II. 120. 175. III. 85. 89. 221. *Θῆβαι* III. 76. 133. 138 bis. 142. 145. 148. 151 bis. et *αἱ Θῆβαι* II. 119. III. 140. 141. 150. 161. *Μακεδονία* duodevicies et *ἡ Μακεδονία* II. 152. *Ἑλλήσποντος* I. 55. 56. [68.] III. 51. et *ὁ Ἑλλήσποντος* III. 132. *Πειραιεὺς* I. 40. III. 209. et *ὁ Πειραιεὺς* II. 173. *Πνὺξ* III. 34. et *ἡ Πνὺξ* I. 81. 82. et si quae alia huiusmodi reperiuntur; eadem inconstantia in nominibus deorum et festorum: *Ἀθηνᾷ Προνοίᾳ* III. 108. 110. 111. 121. et *τῆς Ἀθηνᾶς τῆς Πολιάδος* II. 147, praeterea *ἡ Ἀθηνᾶ* III. 46. 77. 150. 219, ut *ὁ Ἀπόλλων* non sine articulo dicitur; *Ἄρτεμις* III. 108. et *ἡ Ἄρτεμις* III. 110. 111. 121; *νὴ Δία* I. 28. 98. III. 172. 217. et *νὴ τὸν Δία* I. 88. 108, praeterea ubique *ὁ Ζεύς*. *Λητὼ* III. 108. 110. et *ἡ Λητὼ* III. 111. 121. cett. Porro *Ἕρμαια* et *Μούσεια* I. 10; sed *τὰ Ὀλύμπια* III. 179. *τὰ Διονύσια* II. 55. 110. 151. III. 69. *τὰ Δ. τὰ ἐν ἄστει* II. 61. III. 68. et *Διονύσια τὰ ἐν ἄστει* I. 43, ita ut etiam III. 232. *τοὺς κριτὰς τοὺς ἐκ Διονυσίων* ex optimo codice *a* *τοὺς κρ. τοὺς ἐκ τῶν Δ.* reponendum esse videatur.

Denique plus etiam in nominibus hominum propriis Aeschines et omnino scriptores veteres sibi indulserunt, ita ut etiam in hac re, quicunque emendationem scriptoris susceperit, dum ne qua certa et explorata aut lex linguae graecae aut scriptoris consuetudo obstet, codicum auctoritate obstringere se et obligare debeat. Qua re *Bekkerus* haud facile iustam evitaverit reprehensionem, qui multa pro arbitratu suo mutavit. Sic ille III. 67. et 68. propter *ekl* *οἱ Φιλίππου πρέσβεις* pro vulgato *οἱ τοῦ Φιλίππου πρέσβεις* et II. 61. propter *diklq* *τὸ Δημοσθένους ψήφισμα* pro *τὸ τοῦ Δ. ψ.* edidit; at II. 85. *οἱ τοῦ Φιλίππου πρέσβεις* (*τοῦ* om. *a*), quod non minus recte dicitur quam *τὴν τοῦ Δημοσθένους δωροδοκίαν* III. 214, *τὸν τοῦ Πατρόκλου θάνατον* I. 143. 145. 150. cett., retinuit; idem III. 105. *κατηγορία τοῦ Κτησιφῶντος* invitis codicibus *agmnp* articulum sustulit; II. 54. *τὰ ψηφίσματα τὰ Δημοσθένους* propter *ei* (nam *τὰ ψ. τὰ τοῦ Δ.* est in *agm*, *τὰ ψ. Δ.* in *dfhkl*) scripsit, non mutavit autem *οἱ ὑπηρέται οἱ τοῦ Φιλίππου* (*οἱ ὑ. οἱ Φ. i*) II. 137. et *τῷ κήρυκι τῷ ἀπὸ τοῦ Φιλίππου* (*τῷ κ. τῷ ἀπὸ Φ. ae*) III. 63. Huius generis multa afferri possunt, sed sunt alia graviora. II. 19. p. 203. quidem recte, ut opinor, *Bekkerus* optimorum auctoritatem codicum sprevit: *ἵν᾽ εἰδῶσιν οἱ δικασταί, τίς ἦν ὁ τοῦ Φιλοκράτους ἑταῖρος καὶ τίς ὁ τὰς δωρεὰς Ἀριστοδήμῳ φάσκων πείσειν δοῦναι τὸν δῆμον* (sic *eiklps*, dum in *adfm* *τίς ἦν Φιλοκράτους*, in *gh* *τίς ἦν τοῦ Φιλοκράτους* scriptum est): nam et per se patet et elucet ex iis quae sequuntur, non quaeri simpliciter, quem socium i. e. num quem socium et quemnam Philocrates habuerit, sed quisnam ille socius, cuius eum auxilio usum esse constet, fuerit, Demosthenesne an Aeschines. Hoc non potuit aliter dici quam *τίς ἦν ὁ τοῦ Φιλοκράτους ἑταῖρος*. Sed documento est hic locus, ne aliis locis, ubi res tulerit, etiam invitis codicibus articulum delere dubitemus. Nam I. 65. p. 87 sq., cuius loci caussa haec disputavi, sic editum est: *τίς γὰρ ὑμῶν ὃς οὐ πώποτε εἰς τοὔψον ἀφῖκται καὶ τὰς δαπάνας τὰς τούτων οὐ τεθεώρηκεν; ἢ τίς οὐ τοῖς τούτων κώμοις καὶ μοιχείαις περιτυχὼν οὐκ ἠχθέσθη ὑπὲρ τῆς πόλεως; ὅμως δ᾽ ἐπειδὴ ἐν δικαστηρίῳ ἐσμέν, κάλει μοι Γλαύκωνα Χολαργέα τὸν ἀφελόμενον εἰς ἐλευθερίαν τὸν Πιττάλακον κτλ.* Hanc non sanam esse orationem quivis facile intelligit. Nam primum ellipsis verbi *ἐστὶ* hoc quidem loco offendit neque caret reprehensione *ὃς* pro *ὅστις*

positum, ut dubitari non possit quin id quod in optimis libris (*abglmopr*) est, *τίς γὰρ ὑμῶν οὐ πώποτε κτλ.* iure sit a *Bremio* repositum. Cf. 185. II. 151. III. 46. Sed maior est altera offensio, quam habet in sequentibus verbis male repetita negatio. Nam si usquam, hoc loco verum est illud Luciani: *αἱ δύο ἀποφάσεις μίαν κατάφασιν ἀποτελοῦσι,* Aeschinesque, si *τίς οὐ — περιτυχὼν οὐκ ἠχθέσθη* scripsit, contrarium dixit eius quod dicere voluerat, neminem indignatum fuisse, non aliter quam si *ἆρ᾽ οὐ πάντες ὑμεῖς οὐκ ἠχθέσθητε* dixisset. At enim *post interiecta negatio, ne in oblivionem cadat, cum vi repetitur.* Audirem, modo h. l. et interiecta essent quae oblivionem facere negationis poterant, et vis ulla in hac oratione conspiceretur. Omnino quam nobis *Bremius* repetitionem negationis, *haud admodum raram* illam *apud Graecos neque Aeschini inusitatam,* venditat, nullius pretii esse duco, donec, quibus legibus illa negationis repetendae libido circumscripta sit et definita, accurate demonstratum erit. Nunc autem (adhuc enim omnis haec doctrina densis involuta tenebris latet) hoc unum certum est, repeti negationes eadem lege, qua particula *ἂν* solet, quia sententia negans naturam suam cum singulis quibusque partibus suis participat, sed hoc discrimine, quod *ἂν* etiam ante verbum (*εἶτα πῦρ ἂν οὐκ ἂν ἦν*), negativa autem post verbum aut certe post eam negationem, quae ad verbum s. praedicatum i. e. ad totam sententiam pertinet, repetitur. Itaque haec duo: *οὐκ ἐποίησα οὐδὲν κακὸν* et *οὐδὲν κακὸν οὐκ ἐποίησα,* inter ipsa contraria sunt. Cf. III. 198. *ὧν οὔτε αἰτῆσαι οὐδὲν ὅσιον οὐδενὶ οὔτ᾽ αἰτηθέντα ἑτέρῳ δοῦναι.* Recte vero etiam haec, sed sine ulla vi dicuntur: *ἀλλ᾽ οὐκ ἐκεῖνον τὸν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἀναρρηθέντα στέφανον οὐδεὶς καθιεροῖ, ἀλλ᾽ ἔξεστι κεκτῆσθαι* III. 47. i. e. *οὐδὲ ἐκεῖνον — οὐδεὶς καθιεροῖ = ἀλλ᾽ οὐ καθιεροῖ οὐδεὶς ἐκεῖνον;* nam h. l. contraria sunt *καθιεροῖ* et *ἔξεστι κεκτῆσθαι,* non *ἐκεῖνον τὸν στ.* et *τὸν ξενικὸν στ.* Porro *ὃς οὐδ᾽ ἂν ἄκων ἀληθὲς οὐδὲν εἴποι* II. 153. Nam negatio quae est in *οὐδὲ* ad verbum pertinet. Denique *ὁ γὰρ μισότεκνος καὶ πατὴρ πονηρὸς οὐκ ἄν ποτε γένοιτο δημαγωγὸς χρηστός, οὐδὲ ὁ τὰ φίλτατα καὶ οἰκειότατα σώματα μὴ στέργων οὐδέποθ᾽ ὑμᾶς περὶ πλείονος ποιήσεται τοὺς ἀλλοτρίους, οὐδέ γε ὁ ἰδίᾳ πονηρὸς οὐκ ἄν ποτε γένοιτο δημοσίᾳ χρηστός, οὐδ᾽ ὅστις ἐστὶν οἴκοι φαῦλος, οὐδέποτ᾽ ἦν ἐν Μακεδονίᾳ κατὰ τὴν πρεσβείαν καλὸς κἀγαθός* III. 78, ubi quod tertio loco habetur, *οὐκ ἄν ποτε,* nisi pro *οὐδέποτ᾽ ἂν*

dictum videri potest, vitii suspicionem excitat, quam suspicionem etiam codices *aegklmnp*, in quibus ποτὲ omissum est, augent. Sed hoc tamen dubitari potest; certum est autem eos locos, quos *Bremius* I. c. 28. ex Demosthene adscripsit, aut corruptos esse, ut p. 196. (non p. 156.), 21. et p. 532, qui a *Bekkero* codicum auctoritate emaculati sunt, et p. 746, qui emendationem adhuc desiderat, aut alius esse generis, ut p. 767. εὐ γὰρ ἴστ' ὅτι τούτων ὧν διεξῆλθον κτημάτων, οὐδ' εἰ δὶς γένοιτ' ὅσα νῦν ἐστιν, οὐδ' ὁτιοῦν ἂν ὄφελος εἴη: *ne si duplicaretur quidem numerus horum bonorum, ne tantillum quidem utilitatis inde manaturum*; nam vis negandi quae in οὐδὲ inest ad totam sententiam pertinet, οὐδ' ὁτιοῦν ὄφελος autem, quae pars est huius sententiae, recte et ipsa hanc vim quasi repercussam prae se fert; οὐκ ἂν εἴη soloece diceretur. Veruntamen haec omnia nihil ad nostram rem pertinent. Credibile est autem etiam propter vim quandam et gravitatem orationis particulas negantes repetitas esse; sed ea repetitio, nisi iisdem finibus continetur, quibus cuiusvis repetitio vocabuli quae quidem gravitatis caussa fiat circumscripta est, aut temere a scriptoribus commissa videbitur aut ab interpretibus dissimulanter ementita. Sed est haec quaestio amplior et difficilior quam quae nunc accurate satis a me tractari possit. Qua re uno verbo quasi imaginem huius doctrinae delineabo. Quae III. 156. leguntur: μὴ πρὸς τοῦ Διὸς καὶ τῶν ἄλλων θεῶν, ἱκετεύω ὑμᾶς, μὴ τρόπαιον ἵστατε ἀφ' ὑμῶν αὐτῶν ἐν τῇ τοῦ Διονύσου ὀρχήστρᾳ, ea sic dicta sunt, ut statim quivis oratorem et loqui cum gravitate et gravitatis caussa particulam μὴ iterare videat, idemque, si quod aliud verbum Aeschines eadem cum vi efferre voluisset, immutatam huius loci rationem fore intelligat, ut τοῦτο πρὸς τοῦ Διός, τοῦτο τρόπαιον ἵστατε sive ἵστατε πρὸς τοῦ Διός, ἵστατε τρόπαιον. Cf. III. 194. ἀλλ' οὐχὶ ὁ Κέφαλος ὁ παλαιὸς ἐκεῖνος, ὁ δοκῶν δημοτικώτατος γεγονέναι, οὐχ οὕτως. Sed eo loco Timarcheae, in quo emendando versamur, nemo quisquam, nisi ex *Bremio* audierit, aut gravitatem ullam deprehendet aut repetitionem negativae factam esse animadvertet, praesertim si veritatis experiundae caussa ei vocabulo, in quo gravitas illa inesse dicitur, quodvis aliud substituerit, v. c. τίς τούτοις, τοῖς αὐτῶν κώμοις περιτυχών, τούτοις ἥσθη; sive οὐ γὰρ τούτοις, — οὐχ ἥσθη οὐδείς. Quo experimento efficitur, opinor, ut absurdam esse illam repetitionem appareat. Quid multa? obse-

quendum est optimis codicibus *ab*, quorum in altero (*b*) prius *οὐ* scriptum non est, in altero scriptum quidem sed expunctum; scilicet videtur aliquis articulum adiecisse (*τίς ὁ — περιτυχών*), qui etiamnum in *h* conspicitur, indeque nata esse corruptela. Quod deinde sine articulo dicitur, *ἐπειδὴ ἐν δικαστηρίῳ ἐσμέν*, videtur formula dicendi fuisse ex vita communi repetita: *da wir vor Gericht sind* (cf. 45.), recteque abesse articulus. Sed vitium est in verbis *κάλει μοι Γλαύκωνα Χολαργέα*. Nam quum huius Glauconis supra iam mentio facta sit (62.), haud cunctanter repone: *Γλαύκωνα τὸν Χολαργέα*. Item I. 104. p. 124. quod in editis est, *κάλει μοι Ἀρίγνωτον Σφήττιον*, noli diutius tolerare, sed et quia Arignoti iam saepius facta est ab Aeschine mentio et quia ipsa codicum auctoritas hoc efflagitat, scribe: *κάλει μοι καὶ Ἀρίγνωτον τὸν Σφήττιον* (*καὶ* est in *abglmopqr*, *τὸν* in *abghlopqr*). Eadem de caussa post verba *ἔστι γάρ τις — Ἀριστοφάνης Ὀλύνθιος* II. 154. pergendum erat *κάλει μοι Ἀριστοφάνην τὸν Ὀλύνθιον* II. 155, quod ex uno *i* affertur iam *Scaligero* probatum, et invitis codicibus *Ἀμύντορα τὸν Ἐρχιέα* II. 67. et 68. (cf. 64.) scribendum est. Nam et natura rei vetat, ne, quem iam nominarimus, de eo tamquam ignoto homine loquamur, et Aeschines, id quod quavis fere pagina observare licet, quum aliquem de gente aut tribu denominat, etiam si nullam antea eius hominis mentionem iniecerit, tamen articulum fere semper adiicit *), nisi ubi addito etiam patris nomine solennem in legibus aliisque actis publicis formulam imitatur. Itaque ut in testimoniis *Μισγόλας Νικίου Πειραιεὺς* I. 50, *Γλαύκων Τιμαίου Χολαργεὺς* I. 66, *Ἡγήσανδρος Διφίλου Στειριεὺς* I. 68, ita etiam in ipsa oratione I. 53. *Ἀντικλῆς Καλλίου Εὐωνυμεὺς* II. 155, *Δέρκυλλον Αὐτοκλέους Ἀγνούσιον καὶ Ἀριστείδην Εὐφιλήτου Κηφισιέα* recte scribitur. Neque aliter I. 43. *ὅ τε Μισγόλας ὁ τοῦτον ἀνειληφὼς καὶ Φαῖδρος Καλλίου Σφήττιος*; nam quod in editis est, *Φαῖδρος ὁ Καλλίου Σφ.*, optimi codicis *o* auctoritate emendari oportuit. Contra, ut de articulo quaedam adiiciam, in verbis *πρὸς τὸν πατέρα τὸν Πατρόκλου* [*τὸν*] *Μενοίτιον* I. 143. uncos, quos *Bekkerus* et *Dindorfius* propter codices *df* addiderunt, fidenter remove. Nam sunt huius generis etiam alia quaedam Aeschini fere propria, quae, quamvis proba,

---

*) Uno loco excepto III. 115. *ἐπὶ γὰρ Θεοφράστου ἄρχοντος, ἱερομνήμονος ὄντος Διογνήτου Ἀναφλυστίου*, de obscuro ut videtur homine.

tamen improbari a grammaticis solent, quale est I. 171. Ἀρίσταρχος ὁ τοῦ Μόλωνος pro Ἀ. ὁ Μόλωνος (I. 166.). Cf. I. 158. In verbis ὢν εἷς ὢν Ἐπαμεινώνδας ὁ στρατηγός II. 105. articulum in optimis libris omissum *Bekkerus* ex *ip* restituendum esse vidit restituitque *Dindorfius*. Sed ib. II. 142. ὁ μὲν γὰρ Φάλαικος τύραννος ὑπόσπονδος ἀφεῖτο, οἱ δὲ ἀναίτιοι ἀποθνήσκειν ἔμελλον, συναγορεύοντος δ' ἐμοῦ διεσώθησαν, quod *Bekkerus* adscripsit: „ὁ τύραννος *g. aut hoc opus aut expuncto* Φάλαικος", cave viro summo fidem habeas. Nam ea est horum verborum sententia, quae articulum plane spernat, Phalaecum, quum tyrannus esset videreturque in maiori culpa esse, quam subiecti illius imperio Phocenses, de pacto dimissum, cives autem insontes ad mortem designatos fuisse. Supple igitur participium ὤν, cuius omissi etiam alia apud Aeschinem exempla reperiuntur. Cf. I. 54. II. 8. (I. 49.) II. 56. 178. III. 229. Sed haec de articulo dicta sunto.

FRIDERICI KRANERI

PHIL. DR. GYMNAS. ANNABERG. PRAECEPT.

OBSERVATIONES CRITICAE

IN QUOSDAM LOCOS PLUTARCHI.

VIRO DOCTISSIMO

CAROLO SINTENI

S. P. D.

FRIDERICUS KRANER.

Ad acta societatis graecae, quibus qui Hermannum praeceptorem venerantur communi quodam ut viri summi amoris, ita litterarum comprehenduntur vinculo, quum ego quoque meam qualemcunque conferre vellem symbolam, ex Plutarcho pauca depromenda putavi, in quo mea quum maxime versantur studia. Cui quidem scriptori quum tu egregie scriptis ita profueris, ut in eo quasi regnare videare, ad te meam de quibusdam vitarum locis sententiam perscribere constitui, siquidem sperabam, te, quae est tua et doctrina et humanitas, iudicium meum aut correcturum esse, si quid erratum, aut confirmaturum, si quid non improbabiliter dictum videretur. Et profecto est, quod de tua humanitate sperem, quippe cuius nuper admodum insigne mihi documentum exhibueris, quum roganti mihi inter gravissima ac plurima et muneris et studiorum negotia diligenti ipse manu codicis Monacensis scripturas exarares et ultro mihi tua pollicerere subsidia, quibus uterer ad eam quam parare animum induxi vitae Phocionis editionem. Cuius ego benevolentiae quas possum maximas gratias tibi ago. Dicendum autem potissimum videbatur de quibusdam ex illa ipsa Phocionis vita depromptis locis, de quibus plurimum mea interest, ut de tua certior fiam sententia.

Phoc. cap. II. *καίτοι δοκοῦσιν οἱ δῆμοι μᾶλλον εἰς τοὺς ἀγαθοὺς ἐξυβρίζειν, ὅταν εὐτυχῶσιν ὑπὸ πραγμάτων μεγάλων ἐπαιρόμενοι· συμβαίνει δὲ τοὐναντίον.* Ita haec verba exhibuit Reiskius ex editione Iunt., in qua quidem scriptum est *ἐντυχῶσιν* (et legitur *εὐτυχῶσιν* etiam in cod. Monac., certe nihil a te adnotatum video), pro eo quod vulgo legebatur et est etiam in Palatino: *ὅταν δοκῶσιν εὐτυχεῖν.* Quae mira scripturae diversitas ita mihi orta videtur, ut, quod saepe scimus factum esse, semel oblitteratis ipsis scriptoris verbis alio atque alio modo quod vitiosum esset emendaretur. Etenim opinor Plutarchum scripsisse: *ὅταν τύχωσιν ὑπὸ πραγμάτων μεγάλων ἐπαιρόμενοι.* Nam et facile hoc in *εὐτυχῶσιν* poterat mutari, praesertim praecedente simili syllaba, et a librariis corruptum alteram gignere scripturam, si quidem ei, quod per errorem scriptum erat *δοκῶσιν,* addendum videbatur verbum. Peropportunus ad eam rem probandam videtur locus Demosth. in orat. in Androt. §. 55, ubi quum scriptum sit in libris optimis: *καὶ μὴν εἰ θέλετε σκέψασθαι, τί δοῦλον ἢ ἐλεύθερον εἶναι διαφέρει, τοῦτο μέγιστον ἂν εὕροιτε, ὅτι τοῖς μὲν δούλοις τὸ σῶμα τῶν ἀδικημάτων ἁπάντων ὑπεύθυνόν ἐστι, τοῖς δ' ἐλευθέροις, κἂν τὰ μέγιστ' ἀτυχῶσι, τοῦτό γ' ἔνεστι σῶσαι,* quam scripturam ex optimis libris non dubitavit recipere Funkhaenelius, in vulgatis libris exstat: *τὰ μέγιστα τύχωσιν ἀδικοῦντες* (in uno libro est *εὐτυχῶσι*). Pariter enim atque in illo Plutarchi loco v. *ἀτυχῶσι* corrupto *ἀδικοῦντες* addendum videbatur iis qui verba transscripserunt.

Peccatum est in eiusdem generis voce cap. XXVIII. *οὐ μικρὸν δὲ τῷ πάθει προσέθηκεν ὁ καιρός· εἰκάδι γὰρ ἡ φρουρὰ Βοηδρομιῶνος εἰσήχθη μυστηρίων ὄντων, ᾗ τὸν Ἴακχον ἐξ ἄστεος Ἐλευσῖνάδε πέμπουσιν, ὥστε τῆς τελετῆς συγχυθείσης ἀναλογίζεσθαι τοὺς πολλοὺς καὶ τὰ πρεσβύτερα τῶν θείων καὶ τὰ πρόσφατα. πάλαι μὲν γὰρ ἐν τοῖς ἀρίστοις εὐτυχήμασι τὰς μυστικὰς ὄψεις καὶ φωνὰς παραγενέσθαι σὺν ἐκπλήξει καὶ θάμβει τῶν πολεμίων· νῦν δὲ τοῖς αὐτοῖς ἱεροῖς τὰ δυσχερέστατα πάθη τῆς Ἑλλάδος ἐπισκοπεῖν τοὺς θεούς κτλ.* Pro *ἀρίστοις εὐτυχήμασι* Schaeferus, quod alios habere dicit, — est vero solius Anonymi, ut videtur, coniectura — *ἐν τοῖς μεγίστοις ἀτυχήμασι* probat cum Reiskio. Non enim opponi *τὰ νῦν πάθη*

τοῖς πάλαι εὐτυχήμασι, sed componi *τὰ πρεσβύτερα τῶν θείων τοῖς προσφάτοις*, quae non plus ad reprobandam vulgatam scripturam valere puto, quam quae deinde explicandi causa adscripsit ad loci sententiam apte demonstrandam. Neque enim cur illa opponi non possint intelligitur, praesertim quum quod sequitur, *τὰ δυσχερέστατα πάθη*, aperte respondeat *τοῖς ἀρίστοις εὐτυχήμασι*, neque quae sint illa *ἀτυχήματα* perspici potest. Recte omnino stabit vulgata scriptura. Referendum enim est ad id quod Herodotus narrat lib. VIII. c. 65, et ipse Plutarchus refert vit. Themist. c. XV, ante victoriam Salaminiam (*ἄριστον εὐτύχημα*) e regione Eleusinis mysticam vocem auditam (*ὡς ἀνθρώπων ὁμοῦ πολλῶν τὸν μυστικὸν ἐξαγόντων Ἴακχον* Plut. l. l.) et mirabile portentum visum esse, quod Persarum navibus interitum portendere creditum (cf. etiam Schol. Aristoph. Nub. 302.). Horum igitur, quae populi ore ferebantur, memores illo tempore dicit Athenienses conquestos esse, quod, quum olim iis portentis timore perculsi essent hostes, nunc in ipsis Eleusiniis ita non moverentur Macedones, ut nihil ea curantes, diis non prohibentibus, tristissima urbem afficerent calamitate. Simile quid alio tempore factum idem Plut. narrat Agesil. c. XXIV. De eo die, quo Athenienses Macedonum custodiam recipere coacti sunt, dicit etiam Camill. c. XIX, quo quidem capite superstitiosa sedulitate quae certi dies varia fata viderint exponit, ut Aelian. V. H. II. 25. Quam autem Hermannum aliquando proposuisse coniecturam refert Fluegel. (observatt. critt. in Plut. Phoc. p. 78.) *ἐν τοῖς ἀπίστοις εὐτυχήμασι*, eam, ut facillima est, ita necessariam tamen non putaverim. Ceterum qua hoc loco usus est Plut. verborum collocatione: *εἰκάδι γὰρ ἡ φρουρὰ Βοηδρομιῶνος εἰσήχθη*, ea, ut omnino libere traiicit verba, maxime in hisce dierum et mensium notationibus delectatus videtur. Cf. Thes. c. XVIII. *εὐξάμενος δὲ κατέβαινεν ἕκτῃ μηνὸς ἐπὶ θάλασσαν ἱσταμένου Μουνυχιῶνος*, ubi Schaeferus libros velit exhibere: *ἐπὶ θάλασσαν ἕκτῃ μηνός*.

Ib. cap. V. *ὁμοίως δέ πως τοῦ Φωκίωνος καὶ ὁ λόγος ἦν ἐπὶ χρηστοῖς εὐτυχήμασι καὶ διανοήμασι σωτήριος, προστακτικήν τινα καὶ αὐστηρὰν καὶ ἀνήδυστον ἔχων βραχυλογίαν*. Non recte quum habere videretur v. *εὐτύχημα*, ab aliis alia coniecta sunt. Et Coraes quidem reposuit *ἐντυχήμασι*, explicuitque iis,

quae similia putavit esse vv. ἔντευξις, ὁμιλία, διάλεξις. Schaeferus (taceo enim reliquorum criticorum conamina) coniecit εὐστοχήμασι, quae sunt sollerter acuteque cogitata, in quam eandem coniecturam incidit Creuzerus, ut refert Fluegel. l. l. p. 25. Quae quidem mutatio licet facilis et apta sit, si sententiam spectes, acquiescendum tamen puto in vulgata scriptura, defensa illa a te quoque, quamquam non sine dubitatione, in Diar. Schol. a. 1831. No. 36, ubi dixisti idem esse quod nostrum *glücklicher Einfall* — *bon mot* — eique quem attulisti Stobaei loco Phys. I. 7. §. 18. γενέσθαι γὰρ ἐπίπνοιάν τινα παρὰ τοῦ δαιμονίου τῶν ἀνθρώπων ἐνίοις ἐπὶ τὸ βέλτιον ἢ ἐπὶ τὸ χεῖρον, καὶ εἶναι φανερῶς κατ' αὐτὸ τοῦτο τοὺς μὲν εὐτυχεῖς, τοὺς δ' ἀτυχεῖς, ego addo Demosth. Olynth. III. §. 56, ibique cf. Bremi. οὐδ' οὕτως ἄφρων οὐδ' ἀτυχής εἰμι, ὥστε βούλεσθαι ἀπεχθάνεσθαι, de eo qui absurda cogitet. Itaque quum adiectiva εὐτυχὴς et ἀτυχής, quibuscum tu vv. κατατυχεῖν et ἀποτυχεῖν comparas, illa vi a Graecis dicta sint, εὐτύχημα quoque ea qua dictum est sententia retinebitur.

Ib. cap. IX. πρὸς δὲ θυσίαν τινὰ τῶν Ἀθηναίων αἰτούντων ἐπιδόσεις καὶ τῶν ἄλλων ἐπιδιδόντων, κληθεὶς πολλάκις ἔφη· τούτους αἰτεῖτε τοὺς πλουσίους, ἐγὼ δ' αἰσχυνοίμην ἄν, εἰ τούτῳ μὴ ἀποδιδοὺς ὑμῖν ἐπιδοίην, δείξας Καλλικλέα τὸν δανειστήν. Hic Schaef. ex sua coniectura reposuit ἐπιδιδοίην, scilicet ut tempora congruerent. Qui de hac re ita statuit, ut solos codices sequendos pronuntiaret, Fluegel. l. l. p. 32, is a te breviter explosus est in eius libelli censura. Etenim ipsorum temporum ratio spectanda est. Et profecto bene habet aoristus ἐπιδοίην, licet Plut. in eadem re aliis locis praesens posuerit, quandoquidem participio usus est. Reipubl. gerend. praecept. cap. XXXIV. αἰσχυνοίμην ἂν ὑμῖν ἐπιδιδούς, Καλλικλεῖ δὲ τούτῳ μὴ ἀποδιδούς, et in libello de vitioso pudore c. X. καὶ πρὸς τοὺς Ἀθηναίους ἐ π ι δ ο ῦ ν α ι κελεύοντας ἐν ἑορτῇ, αἰσχύνομαι, εἶπεν, ὑμῖν μὲν ἐπιδιδούς, τούτῳ δὲ μὴ ἀποδιδούς. Aoristus enim, ut solet, de re dicitur, quae hoc ipso temporis momento continetur, praesens autem ἀποδιδοὺς de eo, quod, quum non solvendo debitor maneat, duraturum est, ut alio modo conformata oratione similiter dicturus fuerit: ὅτι ἐκείνῳ οὐκ ἀποδίδωμι, ὑμῖν οὐ δύναμαι ἐπιδοῦναι, quemad-

modum in loco supra laudato aoristi infinitivo usus est. Eodem modo errasse Schaeferus videtur cap. XXX. *τὸν δ' Ἀντίπατρον αὐτὸν εἰπεῖν λέγουσιν, ὡς δυεῖν αὐτῷ φίλων Ἀθήνησιν ὄντων, Φωκίωνος καὶ Δημάδου, τὸν μὲν λαβεῖν οὐ πέπεικε, τὸν δὲ διδοὺς οὐκ ἐμπέπληκε,* ubi perperam *δοὺς* praeoptavit, quum tamen dicatur, Demadem dando, i. e. quotiescunque dabat, non explevit Antipater, non autem, dedit, neque explevit, quae aoristi vis esset.

In eodem capite: *πάλιν δέ ποτε τῶν Ἀθηναίων ἐξαγαγεῖν αὐτὸν ἐπὶ τοὺς πολεμίους κελευόντων, ὡς οὐκ ἐβούλετο* (quae librorum scriptura est; Bryanus primus dedit: *ὡς δ' οὐκ ἐβ.*) *δειλὸν ἀποκαλούντων, — εἶπεν,* cod. Monac. *καὶ ὡς οὐκ ἐβούλετο* praebet, sed a secunda manu.

Ib. cap. XII. *εὑρὼν δὲ προδοτῶν ἅπαντα μεστὰ καὶ νοσοῦντα καὶ διορωρυγμένα δωροδοκίᾳ εἰς κίνδυνον μέγαν κατέστη· καί τινα λόφον χαράδρᾳ βαθείᾳ τῶν περὶ Ταμύνας ἐπιπέδων ἀποκρυπτόμενον καταλαβὼν συνεῖχεν ἐν τούτῳ καὶ συνεκράτει τὸ μαχιμώτατον τῆς δυνάμεως.* Vulgatum *ἀποκρυπτόμενον* corruptum visum est interpretibus praeter unum Schaef., qui ita tenere conatus est hanc scripturam, ut diceret, esse collem a campis propinquis ita separatum per alveum profundum torrentis a monte decurrentis, ut a planitie conspici non posset. Cuius rei ut certam mihi et planam proponerem imaginem frustra laboravi; videtur enim finxisse, quae nec Tamynis nec ullo loco esse possunt. Coraes maluit *ἀποκρινόμενον,* eamque coniecturam tuitus est Amyoti interpretatione: *une motte separée de la plaine de Tamynes.* Faciliore mutatione Plut. manus restitui posse videtur, si scribamus: *χαράδρᾳ βαθείᾳ ἀπορυττόμενον,* in quam coniecturam incidit etiam Fluegel. l. l. p. 39, non tamen ut probaret iuxta cum aliis, quae excogitavit, prae eo quod tibi placuisse dicit, *ἀπωχυρωμένον,* quia perfecto opus putat. Sed nec facilis ea est mutatio, nec sane perfectum necessario requiri videtur. Multus autem est Fluegel. in conquirendis exemplis, quibus quam hic putat esse verborum transpositionem, illustret; coniungit enim: *λόφον τῶν περὶ Ταμύνας ἐπιπέδων.* Qua in re inutilem consumsit operam. Quodsi, id quod verum puto, *ἀπορυττόμενον* legas, genitivi *τῶν περὶ Ταμύνας ἐπιπέδων* non

cum *λόφον* coniungendi sunt, sed pendent ex *ἀποῤῥυττόμενον*, i. e. *eine Anhöhe, durch einen tiefen Sturzbach von der Ebene bei Tamynae abgegraben, getrennt*, quae loco optime convenire videbis. Cf. Aeschin. in Ctesiph. §. 86 sq. Bekk. *ἐπειδὴ τάχιστα διέβητε εἰς Εὔβοιαν Πλουτάρχῳ βοηθήσαντες, τοὺς μὲν πρώτους χρόνους ἀλλ᾽ οὖν προσεποιοῦνθ᾽ ὑμῖν εἶναι φίλοι, ἐπειδὴ δὲ τάχιστα εἰς Ταμύνας παρήλθομεν καὶ τὸ Κοτύλαιον ὀνομαζόμενον ὄρος ὑπερεβάλλομεν, ἐνταῦθα Καλλίας — ὁρῶν τὸ στρατόπεδον τὸ τῆς πόλεως εἴς τινας δυσχωρίας κατακεκλεισμένον, ὅθεν μὴ νικήσασι μάχην οὐκ ἦν ἀναχώρησις οὐδὲ βοηθείας ἐλπίς.* Ceterum quod deinde sequitur *συνεκρότει* recte tuiti sunt editores, quum Reiskius coniecisset *συνεκρότει*. Cf. Held. ad Plut. Aemil. Paul. c. XXX. p. 269.

Dirutis Thebis in iis, quos iratus promptis belli suasoribus Alexander ab Atheniensibus tradi sibi iussit, etiam Charidemus fuit, ut narrat Plut. Phoc. c. XVII. Demosth. c. XXIII, Arrian. exped. I. 10, Dinarch. adv. Demosth. p. 156. Bekk. Hic fugit ad Darium regem, qui laesus male libera suada supplicio eum affecit, quum ante magni eum fecisset. Curtius III. 2. Cf. Wieniewski commentar. hist. p. 57. Narrat hoc etiam Diodor. XVII. 30. *Χαρίδημος δ᾽ Ἀθηναῖος, ἀνὴρ θαυμαζόμενος ἐπ᾽ ἀνδρείᾳ καὶ δεινότητι στρατηγίας, συνεστρατεύσατο μὲν Φιλίππῳ τῷ βασιλεῖ, καὶ πάντων τῶν ἐπιτηδευμάτων ἀρχηγὸς καὶ σύμβουλος γεγονὼς ἦν, συνεβούλευσε δὲ τῷ Δαρείῳ* etc. In his magnopere offendit, quod Charidemus dicitur *Φιλίππῳ συστρατεύσασθαι*, quandoquidem hoc prorsus abhorret ab eo qualem novimus Charidemo, qui vel maxime alienus esset a Macedonum partibus. Nimirum v. *Φιλίππῳ* importunum aliunde huc intulit pedem et scripsit Diod. *συνεστρατεύσατο τῷ βασιλεῖ*, i. e. Dario. Ceterum aut iusto negligentius rem consideravit Ellendt. ad Arr. l. l., aut illa ipsa corruptela ad eum errorum deductus est, ut negaret, consentire Diodorum cum Arriano, quos de eodem dicere Charidemo *) apertum est.

Hac occasione quum ad Diodorum delatus sim, alium eiusdem scriptoris locum afferre lubet, qui et ipse miram habet in

*) Ne hic cum altero Charidemo Orita confundi posset cavit Wieniewski l. l. p. 307 sq.

nomine proprio corruptelam, XI. 33. (p. 557, 33. Dind.) τοιοῦτον δὲ πέρας τῆς μάχης λαβούσης οἱ μὲν Ἕλληνες τοὺς πεσόντας ἔθαψαν, ὄντας πλείους τῶν μυρίων· διελόμενοι δὲ τὰ λάφυρα κατὰ τὸν τῶν στρατιωτῶν ἀριθμὸν τὴν περὶ τῶν ἀριστείων κρίσιν ἐποιήσαντο, καὶ *Χαριτίδου κελεύσαντες* ἔκριναν ἀριστεῦσαι πόλιν μὲν Σπάρτην, ἄνδρα δὲ Παυσανίαν τὸν Λακεδαιμόνιον. Quum quem libri offerunt Charitidem nemo esset qui nosset, quod mirum in viro tanta illa auctoritate, ut de praemio victoriae decrevisse dictus esset, verbum hoc corruptum esse intellexerunt editores. Et Rhodomannus quidem coniecit χάριτι δουλεύσαντες, quod non improbabile visum Wesselingio est, iusto citius recepit Dindorfius. Neque enim Graecorum exercitum eum fuisse, qui post pugnam illam gratiae Spartanorum servîret, et per sese consentaneum est et ex loco infra afferendo clare patet. (Aliud quid, si recte memini, coniecit Eichstadius.) Non dubium mihi videtur, quin legendum sit pro Χαριτίδου κ. *Ἀριστείδου κελεύσαντος*, id quod egregie confirmat locus Plut. vit. Aristid. c. XX. ἐκ τούτου *τῶν Ἀθηναίων* τὸ *ἀριστεῖον οὐ παραδιδόντων τοῖς Σπαρτιάταις*, οὐδὲ τρόπαιον ἱστάναι συγχωρούντων ἐκείνοις παρ' οὐδὲν ἂν ἦλθεν ἀπολέσθαι τὰ πράγματα τῶν Ἑλλήνων, ἐν τοῖς ὅπλοις διαστάντων, εἰ μὴ πολλὰ παρηγορῶν καὶ διδάσκων τοὺς στρατηγοὺς ὁ *Ἀριστείδης*, μάλιστα δὲ Λεωκράτη καὶ Μυρωνίδην, ἔσχε καὶ συνέπεισε, τὴν κρίσιν ἐφεῖναι τοῖς Ἕλλησιν, quod idem breviter dicit in libro de malignitate Herodoti p. 507. Wyttb. Ab his propius etiam aberit Diodorus, si quis, quod non ineptum videtur, obsequendum putet editioni Hanoviensi, quae καὶ non ante Χαριτίδου, sed ante ἔκριναν positum habet, ut cum Plutarcho hoc dicat Diod.: περὶ τῶν ἀριστείων κρίσιν ἐποιήσαντο Ἀριστείδου κελεύσαντος, καὶ ἔκριναν ἀριστεῦσαι etc. — Similis corruptela latere mihi videtur apud Plut. Cat. min. c. XIX. μοχθηροῦ δ' ἀνθρώπου καὶ πολυτελοῦς λόγον ἐν συγκλήτῳ διαθεμένου πρὸς εὐτέλειαν καὶ σωφρονισμὸν ἐπαναστὰς Ἀμναῖος, ὦ ἄνθρωπε, εἶπε etc. Eadem res narratur vit. Lucull. c. XL. — νέου τινὸς ἐν τῇ βουλῇ λόγον ἐπαχθῆ — ὑπὲρ εὐτελείας καὶ σωφροσύνης διελθόντος, *ἐπαναστὰς ὁ Κάτων*, οὐ παύσῃ, ἔφη, σὺ πλουτῶν ὡς Κράσσος, ζῶν δ' ὡς Λούκουλλος, λέγων δὲ ὡς Κάτων: additur autem: *ἔνιοι δὲ τοῦτο ῥηθῆναι μὲν οὕτως, ὑπὸ*

Κάτωνος δὲ οὔ λέγουσιν. Iam quum per sese offendere possit, quod alio loco alius dicterii illius auctor perhibetur, quamquam id apud Plutarchum quidem non ita mirum videbitur, hoc tamen iure, credo, male nos habet, quod hic sic simpliciter, ut in re certa et indubitata, ignoto et vix latini nominis homini haec tribuuntur. Quamquam quod certo statuam non habeo, licebit tamen meam quandam proferre suspicionem, quae, si vera ipsa non sit, alios fortasse eo adducet, ut quid verum sit facilius reperiant. Suspicor enim Plutarchum pro *ἐπαναστὰς Ἀμναῖος* scripsisse *ἐπαναστάς τις γενναῖος,* ut accurate viri nomen non significaverit, de quo dubitari illo loco dixit. Ipsa quidem mutatio non admodum violenta videbitur, si reputes, quod posui *τις* propter similem quae antecedit syllabam facile potuisse excidere. Et Plutarchus quidem aliis etiam locis sic nomine non addito ea narravit, quae alibi certo pronuntiavit. Ita Demosth. c. I. *γελοῖον γάρ,* inquit, *εἴ τις οἴοιτο τὴν Ἰουλίδα, μέρος μικρὰν οὖσαν οὐ μεγάλης νήσου τῆς Κέω, καὶ τὴν Αἴγιναν, ἣν τῶν Ἀττικῶν τις ἐκέλευεν ὡς λήμην ἀφαιρεῖν τοῦ Πειραιῶς, ὑποκριτὰς μὲν ἀγαθοὺς τρέφειν κτλ.*, quum tamen Pericl. c. VIII, Apophth. p. 186. C. et Reipubl. ger. praec. p. 803. A. certo hoc tribuat *Pericli.* (Athenaeus quidem III. p. 99. D. Demadi tribuit, ut tu rettulisti ad Periclem p. 96.) Scilicet in Dem. loco non opus erat nomine, et in Cat. loco bene fecit, quod Catonis nomine abstinuit, siquidem ibi narrat, quodammodo in proverbium abiisse — *πολλοὺς ὥσπερ ἐν παροιμίᾳ τινὶ λέγειν* — Catonis iustam severitatem, in qua re Catone auctore uti non poterat. Phoc. c. XXXV. *ἐνταῦθα τῶν ἐπιεικῶν τις ὑπεφώνησεν.* Plut. Agesil. c. XXXVI. *τῇ μέντοι στεφανωτρίδι βίβλῳ φησὶν αὐτὸν ἡσθέντα Θεόφραστος — αἰτήσασθαι καὶ λαβεῖν,* nescio an scribendum sit *Θεόπομπος.* Athenaeus certe XV. 18. p. 676. C. Casaub. *γελοῖοι οὖν εἰσι,* inquit, *Ναυκρατίτην εἶναι στέφανον τὸν ἐκ τῆς βίβλου τῆς στεφανωτρίδος καλουμένης παρ᾽ Αἰγυπτίους στεφόμενον, παρατιθέμενοι Θεοπόμπου ἐκ τῆς τρίτης τῶν Ἑλληνικῶν, ὅς φησιν, Ἀγεσιλάῳ — δῶρα πέμψαι τοὺς Αἰγυπτίους — καὶ τὴν στεφανωτρίδα βίβλον.* Sed redeamus ad Phocionem.

Ib. cap. X. *Ἀριστογείτονος τοῦ συκοφάντου πολεμικοῦ μὲν ὄντος ἐν ταῖς ἐκκλησίαις καὶ παροξύνοντος ἐπὶ τὰς πράξεις*

τὸν δῆμον, ἐν δὲ τῷ καταλόγῳ προσελθόντος ἐπὶ βακτηρίᾳ τὼ σκέλη καταδεδεμένου, πόρρωθεν ἰδὼν — ἀνέκραγε. Sic Corae duce scripsit Schaeferus (eademque coniectura apud Anonymum est, qui habet *τὰ σκέλη καταδεδεμένω*) pro ea quam vulgatam scripturam dicit *καταδεδεμένω*, quae tamen Reiskii coniectura est; ante eum enim in editionibus erat *τῷ σκέλει καταδεδεμένῳ* —, Iunt. habet: *τὼ σκέλη καταδεδεμένῳ*. Levis sane res est, sed tanto magis mirum, in ea haerere potuisse interpretes, quum nulla prorsus sit causa, cur vulgata scriptura, quae etiam in Palat. cod. est, reiiciatur, ut homo miser utroque pede claudus fiat, quum recte dicatur: quum ille accederet, fasciis obligato crure. De articuli enim in talibus usu explicare putidum esset. Et miror hanc dativi mutationem in Schaefero, qui aliis locis participiorum dativis ita abusus est, ut absolute positos putaret, quod nego fieri apud Graecos. Quod autem fuerunt, qui Plutarchum eiusque similes a Latinis hosce dativos doctos esse opinarentur, id vero maxime mirum est, et verbo reiecit Schaef. Tom. V. p. 234. Neque enim ita abusi sunt latinae linguae cognitione. Cogitavit autem de illo dativorum usu Schaef. Caes. c. LIII. *πονουμένῳ δ' αὐτῷ* (*Σκηπίωνι*) *περὶ ταῦτα Καῖσαρ ὑλώδεις τόπους καὶ προσβολὰς — διελθὼν τοὺς μὲν ἐκυκλοῦτο, τοῖς δὲ προσέβαλλε κατὰ στόμα.* Haec enim est librorum scriptura, quam temere Reisk. mutavit in *πονουμένου δ' αὐτοῦ*, idque iusto citius recepit Schaeferus, quamquam in commentariis ad veram scripturam rediit, ita tamen ut de dat. absol. cogitaret. Iniuria id quidem. Aperte enim is est dativus, qui commodi vel incommodi notioni inservire dicitur. Plutarchus enim hoc dicit: Scipioni, quum illo in loco id ageret — quod antea exponitur — incredibili celeritate silvosis locis superatis, alias exercitus partes inclusit et circumcinxit, alias etc. Simillimus est locus Thucydidis VIII. 24, quem certatim afferunt grammatici, rectius autem quam Matthiae explicat Rost. p. 673, etsi de temporis notione non cogitaverim: *εἰργομένοις οὖν αὐτοῖς τῆς θαλάσσης καὶ κατὰ γῆν πορθουμένοις ἐνεχείρησάν τινες πρὸς Ἀθηναίους τὴν πόλιν ἀγαγεῖν.* Et eodem modo explicandus esset l. Romul. c. XXIV. *πρὶν δὲ λῆξαι τὸν λοιμὸν ἐπέθεντο Καμέριοι Ῥωμαίοις καὶ κατέδραμον τὴν χώραν ὡς ἀδυνάτοις ἀμύνασθαι διὰ τὸ πάθος*, si Schaeferum sequeremur hanc codd. Bodl. lectionem praeferentem vul-

gitae ὡς ἀδυνάτων, cuius mutationis iustam causam esse tu iure negasti in epistola ad Hermannum p. 50. Nec longe profecto distat ab illo usu quod legitur Caes. c. LV. τηλικαύτην ἡ στάσις ἀπειργάσατο συμφορὰν καὶ τοσοῦτον ἀπανήλωσε τοῦ δήμου μέρος ἔξω τοῦ λόγου τιθεμένοις τὰ κατασχόντα τὴν ἄλλην Ἰταλίαν ἀτυχήματα καὶ τὰς ἐπαρχίας, ubi recte quidem in universum accipiendum esse dativum τιθεμένοις adnotavit Schaeferus, sed iniuria absolutum dixit. In vita Pomp. c. LXIV. μεγάλη ἦν ῥοπὴ πρὸς τὸ θαρρεῖν τοῖς ὁρῶσι Πομπήιον Μάγνον — ἱππότην ἑλκόμενόν τε τὸ ξίφος ἀπραγμόνως θέοντι τῷ ἵππῳ καὶ κατακλείοντα πάλιν εὐχερῶς etc. dativi θ. τ. ἵππῳ temporis notioni inserviunt, bene igitur ex ipsa dativi natura explicari possunt. Sed ne tuam onerem patientiam, unum tantum addam locum, in quo ab uno omnes se decipi passi sunt editores, ut dativum participii, alia quidem sententia usurpatum, reponerent. Cic. c. VI. ἀποδειχθεὶς δὲ ταμίας ἐν σιτοδείᾳ καὶ λαχὼν Σικελίαν ἠνώχλησε τοῖς ἀνθρώποις ἐν ἀρχῇ σῖτον εἰς Ῥώμην ἀποστέλλειν ἀ ν α γ κ α ζ ο μ έ ν ο ι ς. Ita scripserunt Coraes et Schaeferus ex Reiskii coniectura pro ἀ ν α γ κ α ζ ό μ ε ν ο ς, quae maxime videtur supervacanea, siquidem nihil impedit quominus ipse Cicero quaestor, quum annonae caritas esset, frumentum Romam mittere et ita Siculis negotia facessere coactus fuisse dicatur, quod tanto magis doluit Cicero, quo magis ipse miti et benigno in eos animo fuit.

Ib. cap. XXIII. ὅτι καί φασι τὴν μὲν πόλιν ἐλπίδος μεγάλης γενομένην ἑορτάζειν εὐαγγέλια συνεχῶς καὶ θύειν τοῖς θεοῖς, τὸν δὲ Φωκίωνα πρὸς τοὺς ἐλέγχειν αὐτὸν βουλομένους καὶ πυνθανομένους, εἰ ταῦτ᾽ οὐκ ἂν ἤθελεν αὐτῷ πεπρᾶχθαι, πάνυ μὲν οὖν, φ ά ν α ι, βεβουλεῦσθαι δ᾽ ἐκεῖνα· καὶ πάλιν ἄλλων ἐπ᾽ ἄλλοις εὐαγγελίων γραφομένων καὶ φερομένων ἀπὸ τοῦ στρατοπέδου, πότε ἄρα, φάναι, παυσόμεθα νικῶντες; Prius φάναι dedit Schaef. pro eo quod in libris est ἔφη, quod sane quidem ferri hic non potest, neque tamen, si scriptum fuisset a Plutarcho, immutaturos fuisse credo librarios. Immo additum ab eis puto, qui quum deesse viderent dicendi verbum (scilicet infra statim sequitur — πότε ἄρα, φάναι —, ut supra poni necessarium non fuerit, praesertim verbis πάνυ μὲν οὖν satis aperte responsionem monstrantibus) ἔφη perperam ad-

scripserunt, et in cod. Palat. supra scriptum est. Et multis sane locis a male sedulis librariis illatum est dicendi verbum. De locis Plutarcheis accuratissime a te dictum est in epistola ad G. Hermannum p. XIII sq. et cum nonnullis eorum locorum comparari potest quod Held. proposuit ad Aemil. Paul. p. 203. Cf. etiam Bornem. Xen. Memorab. II. 7, 5. III. 13, 4. IV. 2, 12. Memorabile eius rei exemplum apud ipsum Plutarchum est. Mar. c. XXVIII. ὡς δὲ Ῥουτίλιος ἱστορεῖ, τὰ μὲν ἄλλα φιλαλήθης ἀνὴρ καὶ χρηστός, ἰδίᾳ δὲ τῷ Μαρίῳ προσκεκρουκώς, φησίν, ὡς καὶ τῆς ἕκτης ἔτυχεν ὑπατείας, ἀργύριον εἰς τὰς φυλὰς καταβαλὼν πολύ —. Verba φησὶν ὡς quoniam ὡς ἱστορεῖ praecedit, uncis inclusa sunt a Reiskio et Corae, deleta a Leopoldo. Schaef. ὡς φησὶ scribi voluit, quod utique probari non potest, siquidem haec verba tum ad proxime praecedentia ἰδίᾳ τῷ Μαρίῳ προσκεκρουκὼς referenda essent, ut ipse suas cum Mario simultates narrasse videretur Rutilius, quod apparet quam non aptum sit. Hermannus quam olim in Graeca Societate protulit sententiam eam in novissima Vigeri editione p. 893. proposuit. Recte enim, quas Schaef. somniantem se posuisse uncinas dicit, [τῆς ἕκτης ἔτυχεν ὑπατείας], positas esse putavit; delenda enim censuit haec verba una cum importuno φησίν, et ὡς — ἐκκροῦσαι — λαβεῖν ex notissimo graecae linguae idiomate explicanda, quo cum v. ὡς δοκεῖ, ὡς ἔοικε, ὡς φησί et similibus sequentia verba ita iunguntur, ut infinitivus ponatur quum verbum finitum debuerit. De qua re quum alii explicarunt, tum ipse Hermannus ad Vig. l. l. et p. 744. coll. p. 750. et ad Soph. Trachin. v. 1228. Quam quidem rationem ita ego probo, ut verba καὶ τῆς ἕκτης ἔτυχεν ὑπατείας delenda non censeam. Quemadmodum enim eo quem ipse Herm. affert p. 744. Pseudodemosth. loco p. 1396, 4. dicitur: ὃ δὲ γίγνεται φανερόν, ὅτι διεσώζετο pro ὃ δὲ γίγνεται φανερόν, ἐσώζετο — ita hic quoque dicitur; ὡς Ῥουτίλιος ἱστορεῖ — ὡς καὶ τῆς ἕκτης ἔτυχεν ὑπατείας *). Qui autem sequuntur infinitivi eo, quo saepissime

*) Negat quidem Schaef. ad Dem. c. XIX. (Tom. V. p. 361.), ubi libri praebent τύχῃ δέ τις ὡς ἔοικε δαιμόνιος — ἐναντιοῦσθαι, ὡς autem ab editoribus deletum est, hanc „Herodoteae constructionis insolentiam,“ quam ipse tetigerit ad Soph. Trachin. 1240, ferendam esse in Plutarcheis.

solent, positi sunt modo, ut consilium significent: *argentum per tribus distribuit, ut Metellum a consulatu repelleret.* Ita minus violenta ratione locus sanari posse videtur. *Φησὶ* autem apparet ab iis positum esse, qui *ὡς* sic positum non intelligerent.

Captis Thebis oratores Athenienses et demagogos tradi sibi iussisse Alexandrum narrat Plut. Phoc. c. XVII. Quorum quidem supplicium duas deinceps dicit deprecatas esse legationes, reiectam alteram ab Alexandro, alteram benevole auditam ob praesentiam Phocionis, quam magni fecerit Alexander. Mirum est, alia prorsus narrari ab eodem Plut. Demosth. c. XXIII, ubi Demades quinque talentorum mercede accepta dicitur ad Alexandrum profectus esse virosque illos periculo eripuisse: *ἔπεισεν οὖν καὶ παρῃτήσατο τοὺς ἄνδρας ὁ Δημάδης καὶ διήλλαξεν αὐτῷ τὴν πόλιν.* Idem narrat Diod. XVII. 15. *ὁ δὲ Δημάδης πρεσβεύσας καὶ τῇ τοῦ λόγου δεινότητι πάντα κατεργασάμενος ἔπεισε τὸν Ἀλέξανδρον ἀπολῦσαι τοὺς ἄνδρας τῶν ἐγκλημάτων καὶ τἄλλα πάντα συγχωρῆσαι τοῖς Ἀθηναίοις.* Arrian. I. 10. nomina legatorum non adscripsit.

Omnino non admodum verisimile videtur, eum qui, quum consuleretur de tradendis oratoribus, eam tulerat sententiam, ut nullam suam interpositurus videretur operam, et propterea male habitus a populo erat (Diod. addit: *ὁ δὲ δῆμος τοῦτον — Φωκίωνα — τοῖς θορύβοις ἐξέβαλε, προσάντως ἀκούων τοὺς λόγους*), de ea ipsa causa missum ad Alexandrum esse. Aut igitur memoria lapsus est Plutarchus, aut, quod saepe factum esse demonstrari potest, rettulit ad eum virum, cuius vitam cummaxime scribebat, quae facta ab eo non sunt, sed ad eam quam informavit imaginem apta videbantur, quod mirum non est in eo scriptore, quem in fide eorum quae tradit exigenda non semper subtilem satis et diligentem fuisse constat. Et est in eadem hac vita alius locus, in eo certe similis, quod alia in alia vita narrantur. Phoc. c. XXX. epistola, quae Demadi fatalis et funesta fuit, ad Antigonum scripta esse dicitur, ad Perdiccam Demosth. c. XXXI. *γράμματα γὰρ ἐξέπεσεν αὐτῷ δι᾽ ὧν παρεκάλη Περδίκκαν ἐπιχειρεῖν Μακεδονίᾳ,* et consentit Diod. XVIII. 48, Arrian. apud Phot. bibl. p. 217. Sed haec quidem satis de Phocionis locis.

Cat. min. cap. XVII. ὄντων δὲ πολλῶν, οἷς Σύλλας ἐκεῖνος ἀποκτείνασιν ἄνδρας ἐκ προγραφῆς ἑτέρας ἔδωκεν ἀνὰ μυρίας δισχιλίας δραχμάς, ἅπαντες μὲν αὐτοὺς ὡς ἐναγεῖς καὶ μιαροὺς ἐμίσουν, ἀμύνασθαι δ' οὐδεὶς ἐτόλμα. Dubitatum est a Reiskio et Corae, essetne pro ἑτέρας, quod libri habent, δευτέρας scribendum an ὑστέρας, quarum quidem coniecturarum non debebat mea sententia quaeri utra praestaret, quandoquidem probari neutra potest, et eam quidem ob causam, ob quam et ipsa vulgata damnanda, si vel per grammaticam rationem, quod negatum iure est, stare bene posset. Etenim nisi inducti corrupta librorum scriptura de posteriore aliqua proscriptione non cogitassent viri docti, quam hic dici non posse ipsa Sullae vitae comparatio docere poterat. Scripsit Plut. οἷς Σύλλας ἐκεῖνος ἀποκτείνασιν ἄνδρας ἐκ προγραφῆς γέρας ἔδωκεν ἀνὰ μυρίας δισχιλίας δραχμάς. Cf. Sull. c. XXXI. προέγραψε τῷ μὲν — διασώσαντι τὸν προγεγραμμένον ζημίαν τῆς φιλανθρωπίας ὁρίζων θάνατον —, τῷ δὲ ἀποκτείναντι γέρας δύο τάλαντα τῆς ἀνδροφονίας, κἂν δοῦλος δεσπότην, κἂν πατέρα υἱὸς ἀνέλῃ.

Ibid. cap. II. Romam venerant legati Italorum ad civitatem petendam; cuius voti quo fierent compotes, Catonem eiusque fratrem, apud patruum Livium Drusum commorantes, inter ludos impellere studebant, patruum ut exorarent propitiumque petitis facerent. Quorum hic facile addixit, Cato autem vel imminente quod minati erant periculo fortiter obstitit. Admiratus igitur pueri animum Pompaedius Silo (sic enim scribendum nomen esse tu ostendisti in epistola ad Hermannum p. LXIX.) dixit: οἷον εὐτύχημα τῆς Ἰταλίας ὁ παῖς οὗτός ἐστιν. εἰ δ' ἀνὴρ ἦν, μίαν οὐκ ἂν οἶμαι ψῆφον ἡμῖν ἐν τῷ δήμῳ γενέσθαι. Si vero ita dicere potuit. Dixit enim credo: ὅτι παῖς οὗτός ἐστιν. Profecto enim puer illis non erat εὐτύχημα, sed quia puer, i. e. non vir erat, quoniam, quem puerum adversantem habebant, virum non habituri erant patronum, quod simplici ὁ παῖς dici utique non potest, etsi saepe substantivo simpliciter posito caussa effertur, siquidem id tum demum aptum esset, si Cato ut puer, ipsa sua pueritia utilis Italis futurus fuisset, non eo, quod puer non vir erat. Hoc autem aperte monstrant verba εἰ δ' ἀνὴρ ἦν κτλ.

Nicias cap. XVIII. ὁ δὲ Νικίας εὐθὺς καὶ παρὰ φύσιν ὑπὸ τῆς ἐν τῷ παρόντι ῥώμης καὶ τύχης ἀνατεθαρρηκώς, μάλιστα δὲ τοῖς ἐκ Συρακουσῶν διαλεγομένοις κρύφα καὶ πέμπουσι πρὸς αὐτὸν ὅσον οὔπω τὴν πόλιν ἐνδίδοσθαι κατὰ συμβάσεις νομίζων οὐδένα τοῦ Γυλίππου λόγον ἔσχε προσπλέοντος οὐδὲ φυλακὴν ἐποιήσατο *καταίροντος*. Ita de Corais coniectura scripsit Schaeferus, quum vulgo legeretur *καθαράν*, quod aliis etiam tentatum coniecturis est. Solanus enim legendum putavit esse *ἰσχυράν*, quod ut violentum, ita falsum est, quum Nicias non dicatur non firmas et validas, sed nullas omnino disposuisse excubias propter negligentiam ob res feliciter gestas. Wesseling. ad Herod. IV. 135. καρτερὰν proposuit, quod eodem vitio laborare videtur. Nihil horum placet Schaefero prae Corais coniectura, quam pervelit etiam codd. praebere; quod quum factum non sit, ne nos quidem adducemur, ut ferendam credamus mutationem, quae sola propemodum audacia excellit. Scripsit, credo, Plutarchus non καθαράν, sed οὐδὲ φυλακὴν ἐποιήσατο *καθ' ὥραν*.

Diod. Sicul. XI. 60. (p. 581, 75. Dind.) πλεύσας οὖν μετὰ παντὸς τοῦ στόλου πρὸς τὴν Καρίαν, τῶν παραθαλαττίων πόλεων ὅσαι μὲν ἦσαν ἐκ τῆς Ἑλλάδος ἀπῳκισμέναι, ταύτας παραχρῆμα συνέπεισεν ἀποστῆναι τῶν Περσῶν, ὅσαι δ' ὑπῆρχον *ἐγχώριοι* καὶ φρουρὰς ἔχουσαι Περσικάς, βίᾳ προσάγων ἐπολιόρκει. Haec librorum plerorumque scriptura est, oblitterata ea in tribus codd., quorum cod. H. δίπλωττοι, A. δίπλωτοι, L. δύσπλωτοι habet, ex quibus Wesselingius effecit δίγλωττοι; idque recepit Dindorfius spreto prorsus altero illo verbo ἐγχώριοι. Hanc coniecturam si similibus confirmare studet Wesselingius, ut lib. XII. 68. ὧν αἱ μὲν Ἑλληνίδες ἦσαν, Ἀνδρίων ἄποικοις, αἱ δὲ εἶχον ὄχλον βαρβάρων διγλώττων Βισαλτικῶν, et XVII. 68. ἐν δὲ τούτοις ἧκεν ἀπαγόμενος ἀνὴρ δίγλωττος, εἰδὼς τὴν Περσικὴν διάλεκτον, non ille profecto multum agit. Illo enim, de quo dicimus, loco urbibus ἐκ τῆς Ἑλλάδος ἀπῳκισμέναις sic simpliciter opponi πόλεις διγλώττους, ita debet offensui esse, ut cum eo quem attulit Wessel. loco lib. XII. comparari prorsus non possit, ubi discernuntur urbes graecarum coloniarum et urbes in quibus narrantur bilingues barbari habitasse, ut non opponantur Graeci et bilingues, sed Graeci et barbari, qui fue-

rint bilingues. Quo minus etiam alterum exemplum in censum venire potest. Itaque quum nulla caussa videatur esse, trium librorum auctoritate, qui ne incorruptam quidem prae se ferunt scripturam, reliquos spernere omnes, tenendum erit *ἐγχώριοι*, quod aptissime opponitur Graecorum coloniis, ut commode comparare possis Herod. I. 174. *οὔτε αὐτοὶ οἱ Κᾶρες, οὔτε ὅσοι Ἑλλήνων ταύτην τὴν χώρην οἰκέουσι.* Quod si quis non omnino relinquendos putet esse tres illos codices, quorum scriptura vix mera oriri corruptela potuit, non ineptum videtur coniicere, alteram utram vocem in utraque codicum familia omissam esse, et, praesertim quum unus habeat *δύσπλωτοι*, hoc fortasse scripsisse Diodorum: *ὅσαι δ' ὑπῆρχον ἐγχώριοι καὶ δυσάλωτοι φρουρὰς ἔχουσαι Περσικάς.* Apte certe id respondet antecedentibus; facile enim persuasit Cimon graecis in illa terra colonis, ut a Persis deficerent; quae tamen urbes indigenae erant, neque ita sine negotio ut graecae, quae ultro sese obtulerant, capi poterant, quum a Persis custodirentur, eas summa vi obsedit. Et habet ea suspicio eo maiorem excusationem, quo magis Diodori codices lacunis sunt corrupti. Idque in iis ipsis, quae statim praecedunt, verbis factum videtur: *τότε μὲν ἐξέπλευσεν ἔχων τριήρεις διακοσίας· ὕστερον δὲ μεταπεμψάμενος παρὰ τῶν Ἰώνων καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων τὰς ἁπάσας εἶχε τριακοσίους.* In his iidem illi codices A et L cum cod. F a caeteris libris recedunt in eo, quod *ἄλλας* ante *ἁπάσας* omittunt, sequutusque est Dindorfius. Mihi vero, etsi ea vox poterat sane a librario addi, non improbabile videtur, scripsisse Diodorum: *ὕστερον δὲ μεταπεμψάμενος παρὰ τῶν ἄλλων ἁπάντων ἄλλας* (praeter eas ducentas quas habuit), *τὰς ἁπάσας εἶχε τριακοσίας.* Quo simul id efficitur, ut *μεταπεμψάμενος* obiecto non careat.

Plut. Sept. Sap. Conviv. p. 157. D. *ἆρ' οὖν, ἔφη, καὶ τὸν ἑταῖρον ἡμῶν, Σόλωνος δὲ ξένον, Ἐπιμενίδην, νόμος τις ἀπέχεσθαι τῶν ἄλλων σιτίων κελεύει, τῆς δ' ἀλίμου δυνάμεως, ἣν ἡδονὴν αὐτὸς συντίθησι, μικρὸν εἰς τὸ στόμα λαμβάνων διημερεύειν ἀνάριστον καὶ ἄδειπνον.* In v. *ἡδονὴν* omnes offenderunt editores (in quattuor codicibus omissum est) variasque emendandi vias inierunt; Wyttenbachius enim aut *ἰδίαν* aut *ἣν δὲ αὐτός*, Meziriacus autem *ἰδίᾳ* scribi voluit. Equidem ar-

bitror Plutarchum scripsisse non ἡδονήν, sed ἐδωδήν, probantque eam coniecturam Herodori verba apud Proclum et Demetrii apud Diogenem Laert., quos locos attulit Wyttenbachius.

Sed haec quidem sufficiant. Quae si minus gravia tibi videbuntur, propterea ne repudies, si minus vera, benevole corrigas. Cura ut valeas.

LUDOVICI ROSSII

HOLSATI

PHIL. DR. IN UNIVERS. ATHEN. PROF.

INSCRIPTIONUM AMORGINARUM

PARS PRIOR.

CAROLO HERM. FUNKHAENEL

ACTORUM SOCIET. GRAEC. LIPS. EDITORI

S. P. D.

LUDOVICUS ROSSIUS.

Petenti tibi, amicissime Funkhaeneli, ut ad secundum actorum societatis graecae, quae auctore et praeside summo nostro praeceptore Godofredo Hermanno Lipsiae floret, volumen concinnandum ego quoque *ex Academi silvis* aliquam συμβολὴν mitterem, quum propter plurimas alias rationes ut obtemperarem facili negotio animum induxi, tum vero perquam mihi gratum evenit, ut ea scribendi occasione oblata illius quoque temporis, quod tecum et cum optimis amicis, Ioa. Henrico Neukirchio et Hermanno Sauppio, eadem studiorum ratione coniunctus suaviter quondam Lipsiae transegi, monumentum hoc exsisteret qualecunque. Licet enim ex illo inde tempore unusquisque non solum in alias terras, sed in alia etiam, quamvis inter se communi quadam affinitate coniunctissima, studia abierimus, mansit certe consortii nostri φιλέλληνος καὶ φιλομούσου haud iniucunda memoria, quam vel Athenis degentem subinde animo recolere iuvat. Circumspicienti autem mihi, ecquid in penu mea haberem, quod vestris illis actis haud plane indignum iudicaretur, non abs re fore visum est, si ex inscriptionibus *Amorgi* insulae, terrae vel propter Simonidis famam pie colendae, sed ad hanc usque diem prorsus neglectae ignotaeque, titulos aliquot seligerem et quantum per eam, qua hic loci vexamur, subsidiorum litterariorum penuriam licuisset perpolitos et explicatos vobis proponerem.

Noli autem exspectare, mi Funkhaeneli, me iis titulis aliquam de Amorgi situ, historia et antiquitatibus disputationem esse praefixurum: quod quo minus hoc loco faciam gravissimas habeo rationes. Nam quae apud veteres scriptores de ista insula tradita reperiuntur et pauca sunt et vero satis iam nota tritaque; quae autem ex antiquis lapidibus ad illustrandas Amorginorum res civiles divinasque addisci possunt adeo sunt multa et insignia, ut pleniorem titulorum Amorginorum collectionem instituendam mihi fore videam antequam satis tute et copiose de illis rebus disputari queat. Cuius consilii mei causas ut tibi quoque persuadeam probemque, prolusionis loco breviter iam narrabo, quando et quam brevi temporis spatio has quas nunc edo aliasque Amorginas inscriptiones colligere mihi contigerit.

Appulimus igitur pridie Non. Sept. sub occasum solis ad Amorgi insulae eum portum, quem hodie *τὰ Κατάπολα* appellant; idcirco, ni fallor, quod *κατὰ τὴν πόλιν* situs est. In ipso littore visuntur antiquae *Minoes* rudera; collem a meridie portui imminentem arx occupaverat. Hodiernum autem oppidum tria circiter M pass. a portu abest, in medio montuosae insulae iugo situm. Vix satis diei supererat, ut delubri Apollinis Pythii (inscr. IV. V.) deformia rudera lustraremus et aliquot titulos transscriberemus. Postera luce, quo vitaremus aestivos calores et caetera terrestris viae incommoda, lembo remisque vehimur *Aegialen*, quae a Minoe septentrionem versus quatuor circiter horarum navigatione distat. Aegiales quoque haud paucae supersunt, sed nimium eversae dirutaeque reliquiae; in sacellis autem aediculisque, quae circa oppidum et per vicinum campum dispersae iacent, sat multum titulorum. Hos dum transscribimus, teritur dies, neque usque ad vicinos pagos (*τῆς Αἰγιάλης τὰ χωρία*) in montibus sitos progredi licuit, ubi postmodo comperimus templi Minervae Poliadis vestigia quaedam exstare (inscr. VIII.); sed paene noctu in Catapolorum portum revertimur. Hinc VIII. Idus Sept. in oppidum ascendimus, ubi Amorginorum demarchus, *Demetrius Gauras*, complurium titulorum antigrapha, a fratre olim ludimagistro aliisque confecta, liberaliter mihi transscribenda concessit; alios lapides, ab oppidanis ex Arcesines vel Minoes ruderibus apportatos, ipse transscripsi: longe autem plures in Aegialensium vicis caeterisque insulae partibus exstare certo comperi. Sed quid facerem? Octo ad minimum dies in insula bene perscrutanda mihi consumendos videbam,

socios autem itineris nihil erat quod hic cum utilitate quadam sua morari posset; et in conspectu erat Thera, ἡ καλλίστη, navigationis satis longae promissus exoptatusque finis. Ne multa, alio posthac tempore Amorgum reverti constitui, tertioque iam die ab adventu nostro Theram vela damus ne salutatis quidem nisi e longinquo *Arcesines* reliquiis, quae in promontorio quodam a Minoe meridiem versus sitae esse dicuntur. Ex tribus autem et triginta titulis longioribus brevioribusve, quos illo triduo collegi, vix dimidios nunc publici iuris facio, sperans fore ut reliquorum quoque, qui nunc nimium laceri ac mutili sunt, Amorgum ipse reversus meliora antigrapha nanciscar. Sed iam ad rem veniendum est.

I.

Basis quadrata ex albo marmore; *Catapolis* (*Minoae*) inter ruinas parvuli templi, quod *Apollinis Pythii delubrum* fuisse testatur titulus quartus cum quinto. Aetatem lapidis, quem sub finem secundi p. Chr. n. saeculi positum esse censeo, praeter litterarum formam prodit Aurelii nomen ab utroque Euodo, et patre (v. 2.) et filio (v. 10.), adoptatum. *)

ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος ὁ Μει-
νοητῶν Αὐρ. Εὔοδον
Λεοδίκου βουλευτὴν ἐτεί-
μησεν τῇ ἀναστάσει τοῦ
ἀνδριάντος κατὰ τὸ γενό-
μενον αὐτῷ ψήφισμα,
ἐπιμελησαμένου τῆς
κατασκευῆς καὶ ἀναστά-
σεως τȣ̃ ἀνδριάντος
Αὐρ. Εὐόδου (τοῦ δευτέρȣ) τοῦ υἱοῦ
αὐτοῦ, τοῦ τότε βουλάρχου.
μετέσχαν δὲ ἑκάτεροι

---

*) Cum typi ad ductus litterarum antiquarum recte exprimendos idonei deessent, ipsum inscriptionum textum in lapidem quam accuratissime inscriptum sub finem commentationis inseri curavimus.
Editores.

καὶ τῆς ἱεροσύνης τοῦ
συνεδρίου τῆς βουλῆς
ψ[ηφίσματι] β[ουλῆς καὶ] δ[ήμου].

Scripturam *Μεινοητῶν*, quae est v. 1, facile Stephano auctore *) in *Μεινωιτῶν* vel certe in *Μεινωητῶν* mutare sustinuissem, nisi etiam inscriptionis tertiae v. 1. doceremur, hanc veram et genuinam scripturam esse. Videndum igitur, ne forte ipse Stephanus, et si quis alius ex antiquis scriptoribus graecis Minoae in Amorgo mentionem facit, ex his inscriptionibus corrigendi sint; quamquam obscurum est, a qua radice *Μεινόης* nomen sic scriptum derivandum sit.

Quae sequuntur satis plana ac trita sunt, praeter siglum post Euodi filii nomen (v. 10.). Quod siglum noli dubitare quin legendum sit τοῦ δευτέρου (cf. infra n. 4. v. 6.); sed incertum restat, num secundus dicatur, qui in eadem gente eo nomine secundus est, an qui ex eadem gente inter complures fortasse cognomines secundo loco senatorios honores assecutus sit.

II.

In basi marmorea quadrata, ut praecedens titulus; *ibidem*, prope templum Apollinis.

ἀγα]θῇ τύχῃ.
Αὐτοκ]ρ[ά]το[ρ]α Καίσαρα
Μ]άρκο[ν] Αὐρήλιον
Ἀντωνεῖνον Εὐσεβῆ
Σεβαστὸν τὸν γῆς
κ]αὶ θαλάσσης
δ]εσπότην ω Γάϊοι
. . . ίννιοι Πρότειμος
Κο]υαδράτ[ο]ς καὶ Ῥοῦφος
οἱ] κράτιστοι ἀδελφοὶ
τὸν κτίστην κ]αὶ σωτῆρα
καὶ εὐεργέ]την.

Res Amorginorum vel certe Minoëtarum sub Antoninis satis florentes fuisse praeter hunc titulum testantur et praecedens et qui proxime sequitur. — V. 8. videtur scribendum esse *Λικ]ίννιοι*;

*) Steph. Byz. v. Ἀρκεσίνη. Cf. id. v. Ἀμοργὸς et Μινῴα.

sed possis etiam suspicari *Ἐρέ]ννιοι*. Protimorum autem gentem inter Amorginas familias vel maxime insignem fuisse demonstrat frequens huius nominis mentio (cf. n. IV et IV a.). — Post v. 12. sequebatur fortasse unus adhuc versus: *τῆς πατρίδος*, vel similе quid; sed extrema marmoris pars terra et ruderibus erat cooperta.

III.

Marmor quadratum, *ibidem*, in domo Limenarchae. Vocabulum *Εὐσεβεῖ* in fine versus 5. dedita opera est deletum, sed ita ut legi etiamnum possit.

Διονύσῳ Μεινοήτῃ καὶ
τῇ γλυκυτάτῃ πατρίδι . . . . .
καὶ Αὐτοκράτορι Καίσαρι
Μαρ. Αὐρ. Κομμόδῳ Ἀντω-
νείνῳ Σεβαστῷ (Εὐσεβεῖ)
Εὐτυχεῖ — Συντύχη Ἡγέ-
ου τὸ ἄγαλμα τῆς Τύχης
ἀποκατέστησεν καθὼς
ὁ πατὴρ αὐτῆς Ἡγέας Ἀντι-
όχου στεφανηφορήσας ὑ-
πέσχετο. — καθιερώθη ἐ-
πὶ ἄρχοντος Γ. Σεστιλίου
Βερενεικιανοῦ.
ἐπιμεληθέντος τῆς ἀναστάσεως
Ἀντιόχου τοῦ Ἐπιγόνου,
ἀνδρὸς τῆς Συντύχης.

Dionysus Minoëtes s. Minoëta, qui v. 1. occurrit, aliunde haud notus est; cognomen autem a loco, ubi colebatur, inditum, quemadmodum memoratur Dionysus *Ἐλευθερεύς*, *Μηθυμναῖος* cett. Delubrum eius fuisse putaverim ducentis fere passibus a fano Apollinis orientem versus, ubi intra vineam grandia quaedam marmora, quae ad templi crepidinem pertinuisse viderentur, nuper effossa fuerant.

V. 7. *Fortuna* (*Τύχη*), cuius statuam ab Hegea Antiochi f. votam, a Syntyche Hegeae f. erectam hic titulus memoriae prodidit, colebatur etiam in Pholegandro insula. Vid. C. I. G. II. n. 2446, qui titulus etiamnum Pholegandri superstes est. Suspicari autem

possis, Fortunae quoque simulacrum positum fuisse in aede Dionysi, nisi inscriptione sexta probabile redderetur, exstitisse apud Minoëtas aliud quoddam *deorum geniorum delubrum*, quibus Fortunam nostram adnumerare licebit. — Maritus Syntyches est (v. 15.) Antiochus Epigoni f. Ad eandem nobilem divitemque gentem pertinere crediderim quendam *Ἐπίγονον Ἀντιόχου*, qui memoratur in fragmento vehementer mutilato in sacello D. Michaelis (*τοῦ Ἀσωμάτου*) apud Aegialenses.

IV.

In basi marmorea quadrata, sed admodum mutilata; *ibidem*, inter rudera aedis *Apollinis Pythii*.

. . . .
στα[ὶ
τῶν πε]ρὶ τὸν Πύθι-
ον Ἀπόλλωνα κορ-
δάκων
Πρότειμον (τὸν τέταρτον) θέσει δὲ
. . . . . *ο]υ φιλοσέβα-*
στον τὸν ἑ]αυτῶν εὐ-
εργέτην] χορηγήσαν-
τα] . . . .

In primo versu quid fuerit non assequor; in secundo possis suspicari: *ὀρχη]στα[ὶ* vel *κορδακι]στα[ί*; certe enim quovis modo in litteris *ΣΤΑΣ* errasse mihi videor, et rescribendum erit *ΣΤΑΙ*. De cultu Apollinis Pythii apud insulanos graecos dixi nuper in prolusione academica: *ἀρχαιολογία τῆς νήσου Σικίνου*, quae praefixa est indici scholarum universitatis Othoniae per semestre hibernum $18\frac{37}{38}$ habendarum, p. 11. 12. Hoc autem, in quo reperta est inscriptio, templum Apollinis esse testatur proximus quoque titulus (n. V.). In Dianae honorem cordaces saltari solitos, unde ipsa etiam dea apud Eleos *Κόρδακος* cognomen acceperat, auctor est Pausanias VI. 22, 1; sed etiam ad Apollinem idem saltationis genus pertinuisse hoc primum, ni fallor, titulo docemur. Choreutis autem, qui cordacem saltaverant, sumptus praebuerat (v. 9. *χορηγήσαντα*) Protimus, qui *quartus* designatur, sive quod, ut supra monuimus, eius nominis in eadem gente quartus esset, seu quod quar-

tus foret eorum Protimorum, qui senatorios gessissent honores (vid. ad n. I.). Hic vero Protimus adoptatus fuerat ab alio quodam cive, cuius nomen in lacuna versus septimi intercidit. Ni maior litterarum numerus obstaret, supplerem [*Σωσιμάνδρο*]*υ*, ex titulo sepulcrali, quem IV^a. designabimus, sub anaglypho male habito, in aedibus Demetrii Gaurae in hodierno Amorginorum oppido:

IV^a.

Πρότειμος Σωσιμάνδρου.

Versu denique 10. post v. *χορηγήσαντα* deesse aliquid videtur, velut: *λαμπρῶς καὶ φιλοτίμως*, seu rectius secundum orthographiam illius aetatis, *φιλοτείμως*.

V.

***Catapolis* (*Minoae*), in marmore oblongo, quod inaedificatum est in muro horrei Antonii Zani, ad littus maris. Lapis pertinuisse videtur ad aliquam antam templi Apollinis: quam consuetudinem titulos in antis templorum exarandi, memoratam a Polybio XII. 12, 2, praeprimis in insulis graecis obtinuisse monui in *diario artium* (Kunstblatt) 1836. n. 13. p. 50. Exemplis, quae ibi attuli, desumptis illis a templo Pythii Apollinis apud Carthaeenses et a templo Aesculapii in Paro insula, tertio iam loco accedit hic titulus. Sed obiter moneo, reperisse me etiam in *Io* insula marmor quadratum de aliqua anta templi Apollinis Pythii, tribus proxeniae decretis insignitum. Adde denique quintum exemplum inscriptionis in anta agoranomii apud Astypalaeenses exaratae, in C. I. G. II. n. 2483. v. 24. *ἐς τὰν φλιὰν τοῦ ἀγορανομίου*.**

. . . . προ[ξένους εἶναι καὶ εὐεργέ-
τας] τοῦ δήμου καὶ αὐτο[ὺς καὶ ἐκγόνους . . . .
κ]αὶ εἶναι αὐτοῖς εἴσπλουν κα[ὶ ἐμ πολέμῳ κ]α[ὶ] ἐν ἐ[ιρήνῃ
ἀσυλεὶ καὶ ἀσπονδεί, καὶ πρό[σοδον πρὸς τ]ὴν βουλὴ[ν
καὶ τὸν δῆμον ἐάν του δέωνται πρώτοις μετὰ τὰ ἱ-
ερά· στεφανῶσαι δὲ αὐτοὺς χρυσῷ στεφάνῳ
ἀπὸ δραχμῶν ἑκατόν· δοῦναι δὲ καὶ εἰς θυσίαν καὶ ξέ-
νια αὐτοῖς δραχμὰς πεντήκοντα· ἀνακηρῦξαι δὲ καὶ
τὸν στέφανον καὶ τὰς τιμὰς τὰς ἐψηφισμένας
τοῖς δικασταῖς τοὺς στρατηγοὺς τοὺς περὶ Πάγκριτον
τοῖς τε Διονυσίοις καὶ τοῖς Ἡραίοις· ἀναγράψαι δὲ τόδε τὸ

ψήφισμα εἰς τὸ ἱερὸν τοῦ Ἀπόλλωνος· ἐπιμεληθῆναι δὲ τῆς ἀναγραφῆς τοὺς πρυτάνεις τοὺς περὶ Ἀ . . . . . ον . . . . ῆσαι τοὺς [ν]ε[ω]ποι[οὺς? . . . .

Plebiscitum (Minoëtarum, ut videtur), quo iudicibus quibusdam (v. 10. τοῖς δικασταῖς) proxeniae ius et corona aurea cum aliis honoribus decernuntur. Eos autem iudices non Amorginos, ex reliquis insulae oppidis, sed prorsus peregrinos fuisse patet ex v. 3, ubi iis belli pacisque tempore libera in Minoën navigatio promittitur. Missi, credo, fuerant ab alia quadam civitate vel insula, quae cum Minoëtis foedere coniuncta esset, ad diiudicandas communes sociorum causas, eoque officio honeste et integre defuncti a Minoëtis meritis honoribus afficiuntur. Similis argumenti decretum perquam memorabile exstat Megaris, quo Orchomenii iudices quosdam Megarenses eo tempore, quo Megarenses Boeotici foederis participes fuere (cf. Polyb. XX. 6.), ad se missos summis laudibus prosequuntur: quem titulum mox cum plurimis aliis in secundo fasciculo inscriptionum mearum graecarum editum iri spondeo. Sed revertimur iam ad hanc, quam nunc tractamus, inscriptionem. Versu decimo habemus *τοὺς στρατηγοὺς τοὺς περὶ Πάγκριτον*, et v. 13. *τοὺς πρυτάνεις τοὺς περὶ Ἀ . . . . . ον*, eodem circumlocutionis genere, quo etiam Sicinetae in plebiscitis suis utebantur (vid. Praef. ind. schol. Athen. $18\frac{3}{3}\frac{7}{8}$. p. 11.). Praeter autem praetores et prytanes alii etiam magistratus memorari videntur v. 14: fortasse *νεωποιοὶ* s. templi curatores, quemadmodum in titulis Pariis in C. I. G. II. n. 2391 — 96. Ex versu denique 11. discimus, *Iunonis* quoque delubrum fuisse Minoae, vel certe ludos in Iunonis honorem celebrari solitos.

VI.

Marmor oblongum, *ibidem*, in aedicula beatae Virginis Centiportae (*Παναγίας Ἑκατονταπυλιανῆς*), prope rudera templi Apollinis.

θεοῖς δαίμοσι
Ἐπαφρόδειτο[ς.

Inter *θεοὺς δαίμονας*, ut supra iam monuimus, probabile est etiam Fortunam comprehendi, ad cuius signum a Syntyche

Hegeae f. positum pertinet titulus tertius. Elide certe Fortuna commune habuit delubrum cum Sosipolide, qui ἐπιχώριος Eleorum genius vocatur (Paus. VI. 25, 4. coll. ib. 20, 2.); Thebis celebratissimum fuit signum Fortunae Plutum puerum in sinu gestantis (id. IX. 16, 1.); Lebadeae denique ad antrum Trophonii in eodem fano colebantur Bonus Genius et Bona Fortuna (id. ib. 39, 4.). Aedicula autem b. Virginis fortasse exstructa est in fundamentis huius sacelli θεῶν δαιμόνων.

VII.

In ruderibus *Aegiales* urbis, supra portam aediculae b. Virginis, prope reliquias antiqui alicuius delubri, ad quod ipsum hic titulus pertinere videtur.

Κριτόλαος
Ἀλκιμέδοντος
τὸν ναὸν θεοῖς καὶ τῷ δήμῳ.

Fortasse fuit templum omnium deorum commune.

VIII.

Hunc titulum non ipse transscripsi, sed antigraphum ab Aegialensium paredro diligentissime confectum per Demetrium Gauram Amorginorum demarchum accepi. Exstare autem lapis dicitur εἰς τῆς Αἰγιάλης τὰ χωρία, prope rudera *templi Minervae Poliadis.*

Ἔδοξεν τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ·
Σωτ]ηρίδης (?) Φείδιος Κοσυλλίτης
ἐπε]στάτει, Φειδόξενος Φιλοθέμιος
Νη]σίτης (?) εἶπεν· ἐπειδὴ πειρατῶν εἰς
τὴν χώραν ἐμβαλόντων νυκτὸς καὶ
ἁ]λουσῶν παρθένων τε καὶ γυναικῶν
καὶ ἄλλων σωμάτων καὶ ἐλευθέρων καὶ δού-
λων τῶμ πάντων πλειόνων ἢ τριάκοντα·
ἔτι ἐπὶ τοῦ λιμένος πλοῖα ἐξέκοψαν
κ]αὶ ἔλαβον τὸ πλοῖον τὸ Δωριέος ἐν ᾧ
ἔτυ]χόν τ' ἔχοντές τά τε σώματα καὶ τὰ
ἄλλα ἃ ἔλαβον· τούτων δὲ συμβάντων
Ἡγήσιππος καὶ Ἀντίπαππος οἱ υἱοὶ

Ἡγησιστράτου, ὄντες καὶ αὐτοὶ αἰχμάλωτοι, συνέπεισαν τὸν ἐπὶ τῶν πειρατῶν ἐπιπλέοντα Σωκλείδαν ἀπολῦσαι τά τε ἐλεύθερα σώματα καί τινα τῶν ἐξελευθέρων καὶ τῶν δούλων· αὐ]τοὶ δὲ ὑπὲρ τούτων προῄρηνται ὁμη]ρεύειν, ἐνδεικνύμενοι πᾶσαν φιλ]οτιμίαν ὅπως μήτε τῶμ πολιτίδων μήτε τῶμ πολιτῶν μηθεὶς ἀχθῇ ἐπὶ τ]ὸ λάφυρον, μηδὲ πραθῇ, μηδὲ ἐν ἀνάγκαις καὶ κακοπαθίαις γένηται, μηδὲ διαφωνήσῃ σῶμα μηθὲν πολιτικόν, ἀλλὰ διὰ τούσδε σέσωσται τὰ αἰχμάλωτα σώματα εἰς τὴν οἰκε]ίαν ἀπαθῆ· δεδόχθαι τῷ δήμῳ στεφανῶσαι Ἡγήσιππον καὶ Ἀντίπαππον ἑκάτερον θαλλοῦ στεφ]άνῳ ἀρετῆς ἕνεκεν καὶ φιλοτιμία]ς ἣν τυγχάνουσιν πεποιημένοι εἰς] τοὺς γενομένους τῶν πολιτῶν αἰ]χμαλώτους· ἀνειπεῖν δὲ τόδε τὸ ψήφισμα Διονυσίοις ἐν τῷ ἀγῶνι τῶν τρ]αγῳδῶν· ὁ δὲ κῆρυξ ἀναγορευέτ]ω ὅτι ὁ δῆμος στεφανοῖ Ἡγήσιππον καὶ Ἀντίπαππον ἀρετῆς ἕνεκεν καὶ φιλοτιμίας τῆς εἰς τοὺς ἁ]λόντας με[τ’] αὐτῶν· ἀναγρά[ψαι δὲ τόδε τὸ ψήφισμα εἰς στήλην κ[αὶ σ]τῆσαι εἰς τὸ ἱερὸν τῆς Ἀθηνᾶς τῆ[ς Πολιάδος· τῆς δὲ ἀναγραφῆς ἐπιμεληθῆναι Ἡγησίστρατον.

Plebiscitum haud dubie *Aegialensium*, aut *Μιλησίων τῶν Ἀμοργὸν Αἰγιάλην κατοικούντων* (qui praeter C. I. G. II. n. 2264. memorantur etiam in alio titulo inedito); decernuntur autem honores Hegesippo et Antipappo, quod civibus e piratarum captivitate liberandis bene de republica meruissent. Simillimi argumenti est decretum Syriorum de honoribus in Onesandrum Siphnium conferendis, olim a me ipso in *Iahnii* Archiv f. Philol. u. Paedag. vol. I. fasc. 2. p. 197 sqq., melius autem a

summo talium rerum iudice *Aug. Boeckhio* in C. I. G. II. n. 2347. c. editum. Uterque titulus clarissime demonstrat, quam infestum proximis a. Chr. n. saeculis mare Aegaeum fuerit a piratis. Etiamsi enim de Syria inscriptione et de alia quadam Tenia (ib. n. 2335. v. 8.) Boeckhio assentiendum esse video *), qui propter nimiam loquendi prolixitatem et plurima menda orthographica utramque ad piratarum incursiones postmodo a Magno Pompeio compressas referendam esse putat: huic tamen Amorgino decreto quominus eandem aetatem assignemus vetant praeter limatius dicendi genus inprimis antiquioris orthographiae haud spernenda vestigia (e. gr. iota subscriptum ubivis additum; v. 8. *τῶμ πάντων*; v. 21. *τῶμ πολιτίδων*; v. 10. *Δωριέος*; v. 22. et 23. *ἀχθεῖ* et *πραθεῖ*, cett.). Quodsi litterarum quoque forma, in antigrapho ceteris in rebus satis diligenter facto, fideliter expressa est, non dubito quin hic titulus ad Achaici foederis tempora sive ad finem tertii vel ad principium secundi a. Chr. n. saeculi pertineat. Namque ne Macedonum quidem aetate neque Achaici foederis temporibus piratas in Aegeo mari defuisse satis luculento testimonio (ut alia taceam) comicorum sunt reliquiae, Plautique et Terentii fabulae superstites. Sed videamus iam singula.

V. 2. haud improbabiliter supplevi *Σωτηρίδης*. Genitivus *Φείδιος* in eodem versu est a nominativo *Φεῖδις*, ut *Φιλοθέμιος* v. 3. a *Φιλόθεμις*, et *Θεοθέμιος* in titulo Theraeo inedito a *Θεόθεμις*. Soterides autem est *Κοσυλλίτης*, quod est haud dubie nomen demoticum, quemadmodum . . *σιτης* (fort. *Νησίτης*, a parvulis insulis Amorgo proxime adiacentibus) in v. quarto. Huiusmodi demotica reperiuntur in plurimis insularum civitatibus, v. c. *Ναξίτης* in decreto Syrio supra laudato, *Ὑλιχίδης* in titulo quodam Ceo, ex Iulide, quem nuper in *diar. archaeol. Halensi* edidi, cett. — In iis quae proxime sequuntur nota anacoluthon: *ἐπειδὴ πειρατῶν ἐμβαλόντων* — — — *ἔτι ἐξέκοψαν* cett.; sed talia anacolutha in psephismatis graecis tritissima esse nemo est quin noverit. — V. 11. offendimur in particula *τ'* (*τε*) post *ἔτυχον*: sed ab optimo apographo non temere discedendum esse putamus. — V. 20. vix aliud supplementum locum habebit quam *ὁμ*]*ηρεύειν*, quod dedimus. —

*) Quamquam in Tenio lapide litterarum ea est forma, quae Pompeiana etiam aetate recentior haberi possit.

V. 25. in *διαφωνήσῃ* habemus verbum *διαφωνέω* rariore significatu *intercidendi* vel *pereundi*, quem Stephani thesaurus illustrat (cf. etiam Diod. Sic. XVI. 3. extr. et Interpp. ad Hesych. v. *διαφωνεῖν*). Verbum *σῴζω* (v. 26. *σέσῳσται*) et caetera omnia a radice *σῶος* derivata vocabula, velut *Σῳκλῆς*, *Σῴσανδρος* cett., in antiquioribus lapidibus tantum non semper cum iota *παραγεγραμμένῳ* scribi solita satis iam notum est. — In reliquis nihil est quod observemus, nisi quod *μεθ᾽ αὐτῶν* (v. 40.) scriptum est pro *μετ᾽ αὐτῶν*, usu satis trito in antiquis inscriptionibus, de quo dixit Boeckhius l. l. p. 278. Exemplis ibi allatis adde (ex titulo Amorgino inedito) *καθιδόντες*, et ex hodierna graecitate, quae plurima id genus usurpat, quotidiana ista *ἐφ᾽ ἔτος*, *μεθαύριον* cett. — De templo Minervae Poliadis quae fando accepimus supra dicta sunt. Curam autem decreti in lapide exarandi, ut fieri solet, pater eorum, qui a populo honorantur, in se recipit.

IX.

Prope Aegialen; *ibidem*, ubi proximus titulus.

Παρμενίων
τὸν πατέρα.

Basis videtur esse, supposita statuae, fortasse Dionyso Aegialensi dedicatae. Cf. inscriptionem quae proxime sequitur.

X.

In aedicula semiruta b. Virginis (*'σ τὴν Παναγίαν τὴν κρουσμένην*), inter rudera *Aegiales* et vicum Tholaria.

Λεωνίδης [τοῦ δεῖνα
Λεωνια . . . . .
καὶ ἡ γυ[νὴ αὐτοῦ
ἱερατε[ύσαντες
Διο[νύσῳ.

Ad dextram satis multum deesse demonstrant supplementa versus 4. et 5, quae extra dubitationem posita sunt. In primo igitur versu post *Λεωνίδης* patronymicum excidisse putandum est; sed de secundo versu quid faciam nescio, nisi forte in

Λεωνια ..... demi vel tribus eponymon latet. Reliqua facile supplentur. Docet autem hic titulus, *Dionysum* etiam *apud Aegialenses delubrum* habuisse; fortasse in eo ipso loco, in colle vinetis consito, ubi titulum reperimus.

XI.

In *Arcesines* ruderibus, quae memet ipsum non adiisse supra professus sum, reperti esse dicuntur hic et proximus titulus, quorum antigrapha a Demetrio Gaura accepi.

Κλευμάνδρου τόδε σῆμα τὸ[ν] ἐν πόντῳ κίχε Μοῖρα·
δακρυόεν δὲ πόλει πένθος ἔθηκε θανών.

In versu primo metrum postulat *Κλευμάνδρου*, forma Ionica, quemadmodum *Κλευκρίτη* est in lapide Siphnio inedito, *Θευγένης* vero et *Θευγείτων* in inscriptionibus Atticis.

XII.

Ibidem; vide lemma praecedentis tituli.

Ἐσλὸς ἐὼν Πολ[ύ]ιδος Ἐχέ[μμ]ω[νος] φίλος υὸς
οἶκον ἀμαυρ[ώ]σας ὤλετ' ἄωρος ἐών.

Πολύιδος quin legendum sit, quemadmodum reposui, dubitari vix potest. Incertior res est de patris nomine; sed nisi ab antigraphi vestigiis nimis longe recedere velis, vix aliud occurret quam *Ἐχέμμων*. Quod si in lapide simplici tantum littera *M* scriptum fuisse statuas, quae a legentibus demum metri caussa pronuntiando duplicaretur, nihil mirum erit eum, qui titulum transscripsit, unam hancce litterulam praeteriisse.

XIII.

Amorgi, in hodierno oppido; lapis e *Minoes* ruderibus allatus esse credebatur. Litterarum forma est alterius p. Chr. n. saeculi.

Καλ[λ]ικράτης κεῖμαι τύνβῳ τούτῳ, παροδεῖτα,
πεντήκοντα ἕνα ζήσας σεμνῶς λυκάβαντας.
χαίροις, παροδεῖτα.

XIV.

Prope *Aegialen*, in sacello *Παναγίας κρουσμένης* (vid. lemma n. 10.). Titulus sepulcralis.

Φιλόθεμις
Ἀκεσάνδρου.

Philothemin verisimile est ex eadem gente esse, ex qua est Philothemis Phidoxeni pater n. 8. v. 3.

XV.

Prope *Minoch*, ad aediculam D. Georgii.

Ἡραΐς ἐνθάδε κε[ῖ]μαι, ἐτῶν, ξένε, πεντάκις ἑπτά·
[κα]ὶ σοὶ παραινῶ, συν[οδῖ]τα, μή με κλαῖε· Μοι-
ρῶν γὰρ μίτος πάντας καλεῖ.

Primum versum hexametrum esse facile patet; in reliquis autem constituendis nolui ipse quidquam audere, sed haec artis peritioribus in metri formam redigenda relinquo.

Habes, mi Funkhaeneli, quam me daturum esse spoponderam Amorginarum inscriptionum particulam, tanquam *ἀπαρχὴν* quandam laetioris et uberioris messis, quam e proximo meo in inexploratam istam insulam itinere me reportaturum spero. Interea vero, si libet, haec qualiacunque sunt cum illustrissimo societatis graecae praeside et cum eruditis sociis communica, meque, quod semper fecisti, amare perge. Vale.

CAROLI FRIDERICI SCHEIBE

PHIL. DR. SCHOL. LAT. HALENS. COLLAB.

CONIECTURAE

IN

ANTIPHONTIS ORATIONES ET QUAEDAM

LYSIAE FRAGMENTA.

Quod in his actis societatis graecae coniecturas quasdam in Antiphontis orationes et Lysiae fragmenta inserendas curavi, id non feci, quod crediderim me multum emolumenti esse in illos scriptores emendandos explanandosque collaturum, sed maxime quod nullam occasionem vidi magis idoneam, qua possem vel publicum pietatis in dilectissimum praeceptorem edere documentum, vel gratissimi illius temporis, quo disciplina eius et institutione utebar, amicorumque qui una mecum conventibus illis societatis nostrae intererant animo meo renovare memoriam. Itaque hanc scriptionem ita his litteris mandatam volui, ac si eam ipsi illustrissimo praesidi nostro iudicandam tradidissem, unumque ex nostris invenissem, qui mecum in consueto consessu de ea disputaret. Quare veniam me impetraturum esse putavi, quod huiusmodi locos elegi, de quibus largior esset disputandi materies: hoc enim ipsa disputandi ratio fert. In aliis igitur locis, in quibus sunt sola verba corrupta, quid dixerit scriptor pro certo affirmari poterit, aliis, quibus non solum verba depravata continentur, sed etiam per negligentiam erroremve quaedam omissa sunt, nonnisi ex parte subvenire licebit, aliorum denique, qui quoniam solis lacunis laborant persanari omnino nequeunt, sententiam eruisse satis habebimus. Coniecturarum autem ac suspicionum in orationibus Antiphontis et in fragmentis Lysiacis spatiosus patet campus. Antiphontis enim orationes tot ac tantis adhuc contaminatae sunt vitiis, ut sine emendatione hic illic ne intelligi quidem queant. Conanti igitur mihi coniectando ex aliquot harum orationum locis vitia spurcitiasque tollere ne illorum quidem est, ut opinor, invidia reprehensioque timenda, qui coniecturarum hoc tempore parciores eam, quam veteres critici in suspicionibus movendis verbisque corrigendis probaverant, sagacitatem ad rationes expromendas adhibent, ne

dicam extorquendas, quibus suspiciones olim factas amovere, verba tradita conservare religiose magis quam vere studeant. Quod quidem ad permultos Antiphontis locos non pertinere facile sentient qui sunt vel maxime creduli, modo illas orationes penitus habeant cognitas sintque ingenio sincero atque ab omni praeiudicata opinione libero instructi. Quanquam ne istorum quidem eorumque maxime pristinorum criticorum velim observari consuetudinem, qui naturali quidem veri rectique sensu praediti, sed quasi quodam furore abrepti et tanquam ἐνθουσιάζοντες omnia arbitratu suo corrigebant quaecunque innato illi sensui minus placebant. Nimirum facultatis coniectandi nonnunquam similis videtur esse cum poesi ratio: uti enim veras rebusque consentaneas imagines, sic etiam coniecturas interdum quasi volatu aucupamur: quas quidem, ut est humana natura natorum suorum tenaciter amans, dimittimus aegerrime.

Nec minus impedita *fragmentorum* emendatio est, in quibus coniecturarum regnum latissime patet. Primum enim nonnunquam ex paucis verbis iisque variis de caussis a scriptoribus allatis alicuius enunciationis sententia est elicienda, argumentum scripti cuiusdam orationisve construendum: quod vel ipsum tantum paene difficultatis ambiguitatisque habet, quantum cum collectione dispersorum lacerae statuae vel monumenti membrorum est coniunctum. Quo facto de integritate demum singulorum verborum quaerere licet: ex quo consequens est, si minus illud sententiae investigandae successerit negotium, de verborum quoque incolumitate restituenda actum esse. Accedit quod a quibusdam scriptoribus memoriter ideoque negligentius verba proferuntur, a plerisque sententiarum vinculum aut summa rei, de qua agitur, omnino non indicatur, quippe quae, cum adhuc ferrentur integra opera, satis esset omnibus nota. Quid, quod cavendum est, ne ipsis operum antiquorum imprimisque orationum inscriptionibus in errores inducamur, quae modo sic modo aliter memoriae produntur. Sed cum difficile est, omnia huiusmodi frusta congerere, coagmentare, singula singulis accommodare, diversa seiungere, tum difficillimum, Lysiae fragmenta, quae permulta habemus, ea qua laborant obscuritate et corruptela liberare. Ac nos quidem cum iam in observationibus, quas scripsimus de oratoribus Atticis, nonnulla delibaverimus, hic paucis quibusdam aliis, ad quae illustranda et emendanda ne nuperrimus quidem rerum Lysiacarum perscrutator et enar-

rator Hoelscherus, cetera de vita et scriptis summi oratoris meritissimus, quicquam contulit, quantum in nobis erit lucem afferre studebimus.

I.

Coniecturae in Antiphontis orationes.

Τετραλ. Β. β. §. 1. p. 659. *νῦν δὴ φανερόν μοι ὅτι αὐταὶ αἱ συμφοραὶ καὶ χρεῖαι τούς τε ἀπράγμονας εἰς ἀγῶνας [καταστῆναι], τούς τε ἡσυχίους τολμᾶν τά τε ἄλλα παρὰ φύσιν λέγειν καὶ δρᾶν βιάζονται.*

In his Reiskius recte suspicatus est, verbum *καταστῆναι* esse addendum. Sed miror eum non haesisse in iis quae subsequuntur verbis. Quonam enim *τά τε ἄλλα* referri putamus? Num forte ad haec *παρὰ φύσιν λέγειν*? At vide, qualis inde existeret sententia: necessitates cogunt tranquillos homines, ut cum alia praeter naturam suam moresque loqui tum agere conentur. Imo vero tranquilli homines a necessitate praeter naturam suam et consuetudinem pariter et loqui et agere coguntur. Hoc ita esse cum ipsa res fert tum iis arguitur quae ad haec adversarius respondet: hic enim verba rei in hunc ipsum retorquens or. *γ.* §. 1. p. 668. *ὅτι μὲν*, inquit, *αὐτὴ ἡ χρεία παρὰ φύσιν καὶ λέγειν καὶ δρᾶν ἅπαντας ἀναγκάζει, ἔργῳ καὶ οὐ λόγῳ δοκεῖ μοι σημαίνειν οὗτος.* Atqui homines a turbis rixisque alieni non solum ad dicendum agendumque praeter suam naturam a necessitate coguntur, sed etiam ad alia multa incommoda sustinenda. Quid inde? Scilicet scribendum est: *τούς τε ἡσυχίους τολμᾶν τά τε ἄλλα* καὶ *παρὰ φύσιν λέγειν καὶ δρᾶν βιάζονται*: necessitas tranquillos cum ad multa alia adigit conanda, tum eo adducit, ut praeter consuetudinem et naturam suam dicere agereque sustineant. Possis etiam illud *καὶ* ante *λέγειν* inserere. Sive hoc sive illud probabis, ex verbo *τολμᾶν* et accusativus *τά τε ἄλλα* et infinitivi *λέγειν* et *δρᾶν* suspensi sunt.

Τετρ. Β. γ. §. 4. p. 670. *ἡ μὲν γὰρ* (i. e. *ἡ πονηρὰ τῶν λόγων ἀκρίβεια*) *πιστότερον ἢ ἀληθέστερον σύγκειται, ἡ δ'* (i. e. *ἡ ἀλήθεια*) *ἀδολώτερον καὶ ἀδυνατώτερον λεχθήσεται.* Concinnitas et sententiae ratio legendum esse suadet: *ἡ δ' ἀδολώτερον ἢ* δυνατώτερον *λεχθήσεται.* Primum enim praecedit *πιστότερον ἢ ἀληθέστερον*, ad quod ex more Antiphontis concinnita-

tem singulorum membrorum captantis consentaneum est aptum esse quod sequitur: ἀδολώτερον ἢ δυνατώτερον. Deinde orator si καὶ ἀδυνατώτερον veritatem prolatum iri dixisset, ipse se reprehendisset, cum tamen sinceritatem efficaciae orationis ac ponderi praestituram esse submodeste dicere vellet ac deberet.

Eiusdem orat. §. 7. p. 673. ἀλλὰ τίς ὁ βαλών ἐστιν; ὁ φόνος οὖν ἀνήκει εἰς τοὺς θεωμένους ἢ εἰς τοὺς παιδαγωγούς; ὧν οὐδεὶς οὐδὲν κατηγορεῖ.

Extrema corrupta esse facile intelligitur. Haec est enim oratoris sententia: ergone spectatores et paedagogi caedis auctores fuerunt? *quos* (sic enim pergere oratorem oportuit) *nulla res auctores caedis esse arguit.* Itaque οὐδεὶς mutandum est in οὐδενός, qui est genitivus masculini a verbo κατηγορεῖ pendens, scribendumque: ὧν οὐδενὸς οὐδὲν κατηγορεῖ, ut hic sensus sit: quorum nulli quicquam diem dicit i. e. quorum neminem percussorem pueri esse quicquam probabile reddit.

B. δ. §. 9. p. 683. ὁ μὲν γὰρ αὐτὸς τὰς αὐτοῦ ἁμαρτίας φέρων οὐδενὶ οὐδὲν προστρόπαιον καταλείψει· ὁ δὲ καθαρὸς ἐὰν διαφθαρῇ, τοῖς καταλαμβάνουσι μεῖζον τὸ ἐνθύμιον γενήσεται. In his nihil esset, in quo quis offenderet, nisi codices ad unum omnes ante ἐὰν haberent ὅς, quod auctore Reiskio delevit I. Bekkerus. At idem, quod supra in orationibus Antiphonteis inesse observavimus, concinnitatis studium ipsaque sententia efficit, ut suspicemur istud ὅς initio nihil aliud fuisse, nisi ὤν: hoc enim dicit orator: si quis sua ipse delicta fert, is nulli ullum piaculum relinquet, sin vero is *qui culpa vacat* perierit, maiores vos sollicitudines cruciabunt.

Γ. α. §. 2. p. 685. Locus si quis alius depravatus. Rationem enim cur neque sontes sint absolvendi neque insontes in iudicium vocandi afferens: ὅ τε γὰρ θεὸς βουλόμενος ποιῆσαι τὸ ἀνθρώπινον γένος, τοὺς πρῶτον γενομένους ἔφυσεν ἡμῶν, τροφέας τε παρέδωκε τὴν γῆν καὶ τὴν θάλατταν, ἵνα μὴ σπάνει τῶν ἀναγκαίων προαποθνήσκοιμεν τῆς γηραιοῦ τελευτῆς.

Mirum sane est, si orator verbis τοὺς πρῶτον γενομένους ἡμῶν significat maiores suos: certe ἡμῶν parum opportune additum esse videatur: nec minus quod ait deum, cum *vellet* genus humanum facere, progenuisse maiores nostros, incommode le-

gibusque cogitandi haud convenienter dictum videri possit. Quae quidem res me aliquando movit, ut coniicerem legendum esse: *ὅ τε γὰρ θεὸς βουλόμενος εὖ ποιῆσαι τὸ ἀνθρ. γένος,* eaque quae proxime subsequerentur ita depravata esse crederem, ut delitesceret talis aliqua sententia: hominibus primo natis necessaria quaeque progenuit iisque mare terramque tradidit quasi nutrices. At in tali sophista, qualem habemus Antiphontem, nescio an ferri possit huiusmodi sententia: cum deus humanum genus facere animum induceret, creavit maiores nostros. Ac ne quis illa *τοὺς πρῶτον γενομένους ἡμῶν*, quamvis praeter consuetudinem vulgarem dicta sint, prorsus improbanda esse censeat, accipienda ea esse statuat ac si scripsisset orator *τοὺς προγόνους ἡμῶν*: quod si cui durius esse videatur, legat is *τοὺς πρότερον γενομένους ἡμῶν*: deus eos aluit, qui prius quam nos, i. e. ante nos nati sunt. Iam vero delitescit, opinor, vitium in iis quae proxime leguntur verbis: *τροφέας τε παρέδωκε τὴν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν.* Parentesne habeamus terram et mare? Minime vero. Nutrices quidem largior. Nos enim non progenuerunt, sed suppeditaverunt nobis, quae sunt ad victum cultumque maxime necessaria idque confirmatur proximis verbis: *ἵνα μὴ σπάνει τῶν ἀναγκαίων προαποθνήσκοιμεν τῆς γηραιοῦ τελευτῆς.* Legendum igitur: *τροφοὺς τε παρέδωκε τὴν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν.*

Γ. δ. §. 5. p. 698. *τῆς μὲν οὖν πληγῆς βουλευτὴς ἐγένετο, τὸν δὲ θάνατον πῶς ἐπεβούλευσεν, ὃν γε ἀκουσίως ἐπάταξεν;*

Cum *πατάσσειν θάνατον* dici nequeat, perspicuum est, *ὃν* ad hominem referri, quem is occidit, qui defenditur hac oratione. Sed nulla est in iis quae antecedunt personae significatio, atque quod Reiskius *τούτῳ* vel *αὐτῷ* cogitatione supplendum esse indicavit, durius est quam quod probari possit. Nihil igitur reliquum est quam ut aut scribamus: *τὸν δὲ θάνατον πῶς ἐπεβούλευσεν* (aut *ἐβούλευσεν* secundum Reiskium) *ᾧ γε ἀκουσίως ἐπάταξεν*: qui fieri potuit, ut caedem de industria et cum dolo isti pararet, quem inconsulto cecidit: aut *ὃν γε — ἔπραξεν.*

Eiusdem orat. §. 8. p. 700. *ἔστι δὲ καὶ ἡ τύχη τοῦ ἄρξαντος καὶ οὐ τοῦ ἀμυνομένου. ὁ μὲν γὰρ ἀκουσίως πάντα δράσας καὶ παθὼν ἀλλοτρίᾳ τύχῃ κέχρηται, ὁ δὲ ἑκουσίως πάντα πράξας,*

ἐκ τῶν αὑτοῦ ἔργων τὴν τύχην προαγόμενος, τῇ αὑτοῦ ἀτυχίᾳ ἥμαρτεν.

Nec liquet quid sit *προαγόμενος τὴν τύχην*, nec Reiskianum istud *προσαγόμενος* (ad se arcessens, asciscens) habet qui apte explicetur. Atqui hanc fere sententiam subesse oportet: qui non sua sponte nec voluntarie omnia fecit aut passus est, is aliena est usus fortuna: qui autem sua ipsius voluntate omnia perpetravit eo, quod fortunae suae quasi dux est eamque factis suis moderatur et *quasi perturbat ita ut a recta via aberret*, suo ipsius infortunio peccat. Hinc scripsisse Antiphontem colligo *παραγόμενος*. *Παράγειν* enim est ita aliquem ducere et moderari, ut a vera rectaque via declinet. Quod autem medium posuit, id suo iure fecit: significari enim voluit, eo quod fortunam ex suis factis sibi i. e. in suum commodum conturbet istum suo infortunio peccare. Illam notionem inesse in verbo *παράγειν* multi loci testantur, uti Dem. de fals. leg. §. 228. *ἀλλ' ἕτερά ἐστιν ἑκάστῳ προυργιαίτερα, ὑφ' ὧν παράγεσθε πολλάκις, ἔλεος, φθόνος κ. τ. ἕ.* Leptin. §. 132. *μὴ δὴ παραγόντων ὑμᾶς, μηδ' ὅτι δοῦλος ὢν ὁ Λυκίδας καὶ Διονύσιος.* Aristocr. §. 191. *τοιοῦτος λόγος, δι' οὗ προσδοκῶσι παράξειν ὑμᾶς.* Similiter eodem verbo dicuntur contusa ingenia a diis vera via deturbari, irretiri, veluti in Lycurgi Leocr. §. 92. *οἱ γὰρ θεοὶ — τῶν πονηρῶν ἀνθρώπων τὴν διάνοιαν παράγουσιν.*

Orat. 5. *περὶ τοῦ Ἡρώδου φόνου*, §. 12. p. 710. *ἔπειτα κελεύεις τοὺς δικαστὰς ἀνωμότοις πιστεύσαντας τοῖς μαρτυροῦσι φόνου δίκην καταγνῶναι, οὓς σὺ αὐτὸς ἀπίστους κατέστησας παρελθὼν τοὺς κειμένους νόμους, καὶ εἴγε χρῆναι αὐτοῖς τὴν σὴν παρανομίαν κρείσσω γενέσθαι αὐτῶν τῶν νόμων.*

Haec corrupta esse patet. Infinitivi enim ex quo pendeant non est perspicuum. Sed verbis quamvis obscuris haec tamen quasi involuta sententia esse debet. Alloquitur reus actorem suum: postulas, inquit, ut iudices fidem habeant testibus non iuratis, sed his tu insuper fidem eo detraxisti, quod vel ipse leges praeteriisti nec ullo pacto curasti, vel si forte eas usurpasti, tamen effecisti, ut tua legum incuria, despicientia, violatio superior ipsis legibus esset. Ita scribendum videtur: *καὶ εἰ κέχρησαι αὐτοῖς*, aut servata particula *γε*, *καὶ εἴγε κέχρησαι αὐτοῖς*. Deinde verbi participium, quale *ποιήσας*

aut *διαπραξάμενος* alicubi excidisse videtur, ex quo infinitivus *γενέσθαι* aptus esset.

Eiusdem orat. §. 19. p. 714. *οὑτωσὶ μὲν δὴ πολλοῖς ἂν σωθεὶς τῶν νόμων τῶν ὑμετέρων καὶ τοῦ δικαίου καθέστηκα εἰς τὸν ἀγῶνα· ὅμως μέντοι γε καὶ ἐκ τούτων πειράσομαι ἐμαυτὸν ἀναίτιον ἐπιδεῖξαι.*

Haec verba graviore corruptela laborant quam alicui primoribus quasi labiis locum tangenti videatur. Sed quoniam his, quae manca esse demonstrabimus, nihil salutis a codicibus affertur, lacunae autem non queunt nisi codicum ope resarciri: satis nobis erit ea indicasse quae nemo dum in hoc loco vitiosa esse vidit: hinc enim in argumentum totius orationis accuratius perspiciendum dispositionemque rectius describendam aliquantum emolumenti redundaturum esse existimamus. Atque primum quidem orator *contra leges* hanc caussam capitalem sibi intentam esse ostendit inde a §. 8. p. 706. *πρῶτον μὲν οὖν, ὡς παρανομώτατα καὶ βιαιότατα εἰς τόνδε τὸν ἀγῶνα καθέστηκα, τοῦτο ὑμᾶς διδάξω κ. τ. λ.*, usque ad §. 18. *Legibus* enim capitalibus, quas antiquissimas reipublicae severissimasque esse commonstrat, caveri ne cuiquam nisi *κακούργῳ*, qui vocabatur, adhiberetur *ἀπαγωγή*, se autem neque furem neque grassatorem neque sacrilegum neque proditorem esse: deinde sibi aestimationem litis propositam esse, cum *lex* percussorem interfici iubeat: tum contra quam *legibus* constitutum sit sub divo non dici hancce caussam capitalem, neque actorem iusiurandum praestitisse gravissimum illud in caussis *φονικαῖς* legitimum, neque iuratos testes citasse, denique se in vincula esse coniectum, quamvis vades praestitisset. Vides igitur, hunc locum totum esse in legibus. Ex quibus postquam iniuria sibi intentam litem esse effecit, ad ipsius rei narrationem se convertens ostendere studet, se, etiam si *τὸ δίκαιον* et *τὸ εἰκὸς* spectetur, insontem esse. Hanc rem ita se habere ideoque alteram inde a verbis §. 19, de quibus quaerimus, partem ordiri, cum omnia quae sequuntur planum faciunt, tum aperta declarant oratoris verba, veluti §. 25. p. 717. *τὰ μὲν γενόμενα ταῦτ' ἐστίν. ἐκ δὲ τούτων ἤδη σκοπεῖτε τὰ εἰκότα*, et §. 43. p. 725. *καίτοι τὸ εἰκὸς σύμμαχόν μοί ἐστιν*, et §. 45. extr. p. 726. *ταῦτα πῶς εἰκότα, ὦ ἄνδρες, ἐστίν*, imprimisque §. 49. p. 728. *σκοπεῖτε δέ, ὦ ἄνδρες, καὶ ἐκ τοῖν λόγοιν τοῖν ἀνδροῖν ἑκατέροιν τοῖν βασανισθέντοιν τὸ δίκαιον καὶ*

τὸ εἰκός. Ex his omnibus elucet, oratorem nostro loco (§. 19.) non iam de legibus, sed de aequo probabilique loqui ideoque verba τῶν νόμων τῶν ὑμετέρων ad superiora referri oportere, praesertim cum vel his ipsis ὅμως μέντοι γε καὶ ἐκ τούτων πειράσομαι ἐμαυτὸν ἀναίτιον ἐπιδεῖξαι novam orationis partem quaeque cum legibus non iam cohaereat induci facile pateat. Alia igitur corrupta sunt, alia exciderunt. Codices tamen, ut supra dixi, nihil adiumenti afferunt, nisi quod in omnibus Bekkerianis pro πολλοῖς ἂν σωθεὶς τῶν νόμων est πολλοῖς ἔλος σωθείς*), quod nihil aliud esse credo quam ἐγὼ σωθείς: littera enim Σ ex ea quae sequitur Σ nata est, cetera autem sunt per similitudinem litterarum depravata. Sed haec scripturae diversitas ad reliqua corrigenda nullius est momenti, quae ex iis quae disputavimus sic fere resarcienda esse suspicamur: οὑτωσὶ μὲν δὴ πολλοῖς ἐγὼ σωθεὶς ἐκ τῶν νόμων τῶν ὑμετέρων περὶ τοῦ εἰκότος καὶ τοῦ δικαίου καθέστηκα εἰς τὸν ἀγῶνα· ὅμως μέντοι γε καὶ ἐκ τούτων πειράσομαι ἐμαυτὸν ἀναίτιον ἐπιδεῖξαι, ut hic sensus sit: ita multis ego de caussis secundum *leges vestras* culpa vacans iam *de probabili aequoque* in iudicio dicere coactus sum: tamen *ex his quoque* me esse insontem demonstrare studebo. Iam videmus verba καὶ ἐκ τούτων et numerum pluralem τούτων habere quo referantur.

Eiusdem orat. §. 85. p. 750. ὅσα μὲν οὖν ἐκ τῶν κατηγορηθέντων μέμνημαι, ὦ ἄνδρες, ἀπολελόγημαι. οἶμαι δὲ καὶ ὑμῶν ἀποψηφίσασθαι. ταυτὰ γάρ ἐμέ τε σώζει καὶ ὑμῖν νόμιμα καὶ εὔορκα γίγνεται.

Haec corrupta aut manca esse apertum est. Stephanus integrandam orationem sic statuit, ut legeret οἶμαι δὲ καὶ ὑμᾶς ἡμῶν ἀποψηφίσεσθαι. At ea quae sequuntur docent oratorem ostendere, *necesse esse* se absolvant: iisdem enim se absolvi, quae iudices iureiurando confirmaverint ut sancta essent: quibus quidem leges significat. Itaque videtur legendum esse: οἶμαι δ' εἶναι ὑμῶν ἀποψηφίσασθαι: puto vero vestrum esse, ut me absolvatis.

Orat. 6. περὶ τοῦ χορευτοῦ §. 3. p. 762. ἡγοῦμαι μέντοι γε καὶ ὑμῖν τοῖς δικασταῖς περὶ πολλοῦ εἶναι τὰς φονικὰς δί-

---

*) Novissimus Antiphontis editor, Maetznerus, ex codice Oxoniensi dedit πολλοῖς ἐλασσωθείς. Editores.

κας ὀρθῶς διαγιγνώσκειν, μάλιστα μὲν τῶν θεῶν ἕνεκα καὶ τοῦ εὐσεβοῦς, ἔπειτα καὶ ὑμῶν αὐτῶν. ἔστι μὲν γὰρ περὶ τοιούτου αὐτοῦ μία δίκη.

In vocabulo αὐτοῦ iam Reiskius offendit, qui aut αὕτη, quod ut cetera incommoda linquam certe languet, aut πᾶσι aut ἑκάστοις legi suadet, quod quamvis a scriptura codicum nimis recedat quam quod probari possit, a sententia tamen propius videtur abesse: dicit enim, *reis* idque *uni eidemque reo* unam tantum caussam defensionemque in rebus capitalibus concessam esse. Legendum est igitur: ἔστι μὲν γὰρ περὶ τοιούτου τοῦ αὐτοῦ μία δίκη.

Eiusdem orat. §. 10. p. 767. οὔτε ὅστις [οὐκ] ἄλλα κατηγορεῖ ἢ ἃ διώκει ἐν πράγματι τοιούτῳ, πιστεῦσαι δήπου αὐτῷ ἀξιώτερόν ἐστιν ἢ ἀπιστῆσαι.

Particulam infitiantem ut sententiae repugnantem uncis incluserunt Reiskius et I. Bekkerus. Sed ego quidem ita servandam duxi, ut ὁστισοῦν legerem: *quicumque* alia in accusatione sua profert quam quae insectatur in tam gravi re. Idque aptissimum est huic loco. Primum enim singulatim de accusatoribus, quos choragos fuisse ex superioribus conspicitur, loquitur reus (scribendum est enim οὔτε γὰρ δὴ οὐ ἡ πόλις ἐλάμβανεν ἂν δίκην εἴ τι ἠδίκητο, ἐνταῦθα τὴν κατηγορίαν ποιοῦνται, ὥστε χάριτος ἄξιον εἶναι τῇ πόλει, non, uti in edit. Bekkeriana legitur, ποιεῖται), dicens, istos suos accusatores eiusmodi crimina non accusare, quorum poenas respublica sumat: deinde *in universum quicumque* alia accuset quam quae insectetur (cf. §. 7. p. 765.), ei fidem habendam esse negat. Atque negatio οὐκ quidem cum particula οὖν cum alias tum in fragmento Lysiae confusa est, quod est XVI. in collectione Bekkeriana, in Hoelscheriana XXXVI. (de Lysiae vita et scriptis p. 152.) ἐκ τοῦ πρὸς Διογένην περὶ χωρίου: ubi haec leguntur: ἆρα οὐκ ἀπράγμων εἶναι δοκεῖ ὑμῖν Διογένης, ὃς ἐπιδικάζεται μὲν τῶν κλήρων, ἀμφισβητεῖ δὲ τοῖς ὀρφανοῖς ὧν αὐτοῖς οἱ πατέρες κατέλιπον; Requiritur contrarium: vobisne iners et socors videtur Diogenes, qui caussam dicat orbis etc.? Itaque prius coniiciebam audacius: ἆρα οὖν πολυπράγμων εἶναι δοκεῖ ὑμῖν Διογ., quam sensi facilius esse eodemque redire quod Hoelscherus proposuit: ἆρα οὖν ἀπράγμων κ. τ. ἕ.

Sed quoniam disputatio nostra aliquoties ad eos locos delapsa est, in quibus quaedam exciderunt, de alio eiusdem generis loco postremo videamus. Est ille

Τετραλ. Α. β. §. 12. p. 638 sq. *ἐμὲ δὲ ἐκ τῶν προειργασμένων γνώσεσθε οὔτε ἐπιβουλεύοντα οὔτε τῶν οὐ προσηκόντων ὀρεγόμενον, ἀλλὰ τἀναντία τούτων πολλὰς μὲν καὶ μεγάλας εἰσφορὰς εἰσφέροντα, πολλὰ δὲ τριηραρχοῦντα, λαμπρῶς δὲ χορηγοῦντα, πολλοὺς δὲ ἐρανίζοντα, μεγάλας δὲ ὑπὲρ πολλῶν ἐγγύας ἀποτίνοντα κ. τ. λ.*

Verba *πολλοὺς δὲ ἐρανίζοντα* non possunt non esse offensioni, quam ne Reiskii quidem suspicio *πολλοῖς* tollit, cum *ἐρανίζειν*, quod ipse sensit, non *stipem conferre*, sed *colligere* significet, uti translato quidem significatu in Aeschinis orat. in Ctesiph. §. 45. *ἐρανίζων στεφάνους*. Quare scribendum esse censeo *πολλοὺς δὲ ἐράνους ἐρανίζοντα*, idque eo magis commendandum videtur, quod Antiphon alias quoque accuratam et membrorum orationis et verborum responsionem paene anxie curavit. Eademque de caussa pro *πολλὰ δὲ τριηραρχοῦντα* malim *πολλὰς δὲ τριηραρχίας τριηραρχοῦντα*, quanquam non ignarus similiter *λειτουργεῖν οὐδὲν* dici in fragm. Lysiae ex Bekk. Anecd. p. 155, 26. v. *λειτουργῶ* petito, ubi haec sunt: *ὃς λειτουργεῖν μὲν οὐδὲν πώποτε ἐτόλμησε τῇ πόλει.* Praeterea tanta est eiusdem generis locorum in Antiphonteis orationibus multitudo, quanta vix in ullo alio scriptore, oratore dumtaxat Attico.

II.

Coniecturae in quaedam Lysiae fragmenta.

Fragmentum orationis quae fuit *πρὸς Κινησίαν ὑπὲρ Φανίου παρανόμων* ex Athenaeo XII. p. 551. D. depromptum est (Bekk. 31, Hoelscher. 76.), cuius argumentum antea explicabimus, quo iis verbis, quae sola nondum emendata sunt, lux afferatur. Cinesias atheus, quem a comicis poetis saepe multumque traductum esse notum est (cf. Hoelscher l. l. p. 174.), cuiusque ignavia atque mulierosa et effeminata natura fere in proverbium abiit*), accusaverat Phaniam quendam *παρανόμων*,

*) Lysias orat. (21.) *ἀπολ. δωροδοκ.* §. 20. p. 708. R. *καὶ ὢν Κινησίας οὕτω διακείμενος πλείους στρατείας ἐστράτευται, οὗτοι περὶ τῶν τῆς πόλεως ἀγανακτοῦσι.*

uti ex inscriptione huius orationis ipsisque fragmenti verbis ὅτι Κινησίας ἐστὶν ὁ τοῖς νόμοις βοηθὸς conspicere licet, quamvis ipse sceleratissimus esset haberetque cum hominibus nequissimis comissationes et mysteria. Quae cum isti celebrarent pro νουμηνιασταῖς nomen sibi κακοδαιμονιστῶν indiderunt. Sed hoc ominosum nomen vere inditum esse postea praeter opinionem istorum re probatum est. Horum enim quisque miserrimum in modum periit, nisi quod Cinesias conservatus in omnes morbos malaque incidit, ita ut mortem quovis die obire quam vitam turpissimam trahere mallet. Verba autem, quibus nondum medelam adhibitam esse praedixi, haec sunt: ἀντὶ νουμηνιαστῶν κακοδαιμονιστὰς σφισιν αὐτοῖς τοὔνομα θέμενοι, πρέπον μὲν ταῖς αὐτῶν τύχαις· οὐ μὴν ὡς τοῦτο διαπραττόμενοι τὴν διάνοιαν ἔσχον, ἀλλ' ὡς καταγελῶντες τῶν θεῶν καὶ νόμων τῶν ἡμετέρων. Horum quae in medio posita sunt, οὐ μὴν ὡς τοῦτο διαπραττόμενοι τὴν διάνοιαν ἔσχον, neque si grammaticam rationem spectamus legitime iuncta sunt, neque hanc ipsam ob caussam commodam fundunt sententiam. Hoc enim si voluisset orator: nec tamen consilium habebant, i. e. propositum iis fuit, ut hoc (nomen puta) efficerent, h. e. nominis κακοδαιμονιστῶν sensum effectu postea probarent, sed ut deos irriderent: hoc, inquam, si voluisset, essetne, quaeso, mira ista dictione τὴν διάνοιαν ἔσχον usus? Deinde nonne futurum potius ὡς τοῦτο διαπραξόμενοι usurpandum fuisset? Denique non ipsum participium διαπραττόμενοι cum verbis τὴν διάνοιαν ἔσχον coniunctum offensioni esse debebat? Hinc verba corrupta esse elucebit: sed corruptela non adeo gravis est, modo teneas hanc delitescere sententiam: isti indiderunt sibi nomen κακοδαιμονιστῶν, optime illud quidem iis quibus postea tentati sunt infortuniis conveniens: ***nec tamen hoc nomen acceperunt, ut tales, qui sensum eius explerent nomenque istud se sibi iure imposuisse viderentur, sed qui nonnisi deos illuderent.*** Quid multa, legendum est una littera adiecta: οὐ μὴν ὡς τούτου διαπραττόμενοι τὴν διάνοιαν ἔσχον, ἀλλ' ὡς καταγελῶντες τῶν θεῶν καὶ νόμων τῶν ἡμετέρων. Quae verba ita sunt ordinanda, ut sic cohaereant: οὐ μὴν ἔσχον (intellige τοῦτο τὸ ὄνομα) ὡς διαπραττόμενοι τὴν διάνοιαν τούτου (intellige τοῦ ὀνόματος).

Venimus ad fragmenta orationis περὶ τῆς Ἰφικράτους εἰκόνος in collectione Tayloriana fr. 64, in Hoelscheriana fr. 19. πρὸς Ἁρμόδιον περὶ τῆς εἰκόνος inscriptae, ex quibus illud non-

dum emendatum videtur, quod est ex Aristidis orat. 49. de paraphthegm. p. 518. ed. Dindorf. petitum, ubi inter alia haec inveniuntur: λέγει γὰρ ἄλλα τε δὴ τοῖς Ἀθηναίοις οὐ τῆς σῆς ψυχῆς καὶ εἰ, φησίν, ἑπτὰ ὑμῖν ἦσαν τοιοῦτοι στρατηγοὶ οἷος ἐγώ, ἀοίκητος ἂν ἦν ἡ Λακεδαίμων. καὶ μνησθεὶς Ἁρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος, οὓς Ἀθηναῖοι πρώτους ἁπάντων τῶν *ευεργεσιῶν* ἦγον, ἢ παραλαβεῖν ἂν αὐτούς φησιν, ἢ ὑπ' ἐκείνων παρακληθῆναι, εἰ κατ' *ἐκείνους* ἐγένετο. Primum miror, egregiam Tayloris coniecturam λέγει γὰρ ἄλλα τε δὴ τοῖς Ἀθηναίοις οὐ *τῆς Λυσιακῆς* ψυχῆς neque receptam esse et ne commemoratam quidem ab novissimo fragmentorum editore Hoelschero. Lysiae enim ingenio in ceteris orationibus conspicuo haec Iphicratis superbiae arrogantiaeque plena oratio ab Aristide indigna iudicatur. Alterum est, quod deinceps de Harmodio et Aristogitone dicitur, οὓς Ἀθηναῖοι πρώτους ἁπάντων *τῶν εὐεργεσιῶν ἦγον*, idque nec ipsum ab ullo correctum, quamvis τῶν εὐεργεσιῶν mire ac paene soloece dictum esset, sive beneficiorum *caussa* sive principes *in beneficiis conferendis* interpretabere. Est potius scribendum ἁπάντων τῶν εὐεργετῶν. Omnium, inquit, qui beneficiis patriam affecerunt, principes ab Atheniensibus habiti sunt Harmodius et Aristogiton. πρώτους ἦγον autem ita dictum est, uti ἐν τιμῇ ἄγειν, θεὸν ἄγειν τινά, de quibus similibusque loquutionibus Heindorfius ad Plat. Theaet. p. 384. exposuit. Deinde eorum, quae subsequuntur quaeque fortasse obscuriora esse videantur, haec est sententia: dicit Iphicrates futurum fuisse, ut, si illorum temporibus vixisset, aut ipse illos ad facinus ascisceret aut certe ab illis ad communionem facinoris invitaretur.

Orationis Lysiacae contra μισάνθρωπον (ut verisimile est) Timonem fragmentum asservatum est a Suida v. ἐσχηματισμένος (Bekk. 43. Hoelscher. 124.), qui haec habet: ἐσχηματισμένος· ὁ προσποίητον τρόπον ἔχων καὶ δοκῶν εἶναι κόσμιος· ὡς παρὰ Λυσίᾳ ἐν τῷ πρὸς Τίμωνα· οἱ δ' ἀλαζονεύονται μὲν Τίμωνι παραπλησίως καὶ ἐσχηματισμένοι περιέρχονται, ὥσπερ οὗτος. In his παραπλησίως nescio qui ad ἀλαζονεύονται referri possit. Neque enim quidam dici possunt *eadem ratione*, sed *simpliciter* Timoni blandiri: imo vero eadem ratione, qua hic, induti ornatique circumire dicuntur. Itaque παραπλησίως spectat ad verba ὥσπερ οὗτος. Legendum igitur videtur: οἱ δ' ἀλαζονεύονται μὲν Τίμωνι, παραπλησίως δὲ καὶ

ἐσχηματισμένοι περιέρχονται ὥσπερ οὗτος: hi non solum blandiuntur Timoni, sed adeo pari atque hic habitu ornatuque circumeunt.

Denique de fragmento orationis dicamus quae fuit περὶ τῆς ἐγγυθήκης. Est illud servatum ab Athenaeo V. p. 209. F. (Bekk. 18, Hoelscher. 43.) εἰ μὲν δίκαιον ἔλεγεν ἢ μέτριον, ὦ ἄνδρες δικασταί, Λυσιμένης, — οὐκ ἂν ἐσπούδαζον περὶ αὐτῆς τῆς ἐγγυθήκης δικολογεῖσθαι, ἣ οὐκ ἔστιν ἀξία τριάκοντα δραχμῶν. — πέρυσιν δὲ ἐπισκευάσαι αὐτὴν βουλόμενος ἐξέδωκα εἰς τὸ χαλκεῖον· ἔστι γὰρ συνθετὴ καὶ Σατύρων ἔχει πρόσωπα καὶ βουκεφάλια ... ἄλλο ἔτι μέγεθος τὸ αὐτό. ὁ γὰρ αὐτὸς τεχνίτης πολλὰ σκεύη τοιαῦτα καὶ ὅμοια ἐργάζεται.

Huius fragmenti verba etsi non integra possunt restitui, nescio tamen an rei quae tractetur aliquam lucem afferre argumentumque eruere ex verbis illis servatis queamus, ad quod enucleandum ne Hoelscherus quidem quicquam contulit. Quod si contigerit, singulorum quoque verborum vitia si non tollendi at certe indicandi facultas dabitur. Res haec esse mihi videtur. Actor incitegam aliquam opifici, cui nomen Lysimeni fuisse initio fragmenti docemur, reficiendam tradiderat, quam cum ab isto reposceret, similem quidem, sed non suam recepit incitegam. Itaque litem intendit Lysimeni. Quod non fecisset, ut statim principio ait, si iste quicquam probabile protulisset, quo illam incitegam, quam actori reddidisset, revera actoris esse probaret: res enim tanti non erat. Ea autem, quam opifex actori reddidit, ἐγγυθήκη eadem fuit magnitudine (quo quidem referenda sunt verba ἄλλο ἔτι μέγεθος τὸ αὐτό), magna similitudine et ab eodem confecta artifice: quod haec verba testari videntur: ὁ γὰρ αὐτὸς τεχνίτης πολλὰ σκεύη τοιαῦτα καὶ ὅμοια ἐργάζεται. Habemus igitur ex paucis his verbis totam caussam; atque ab ipso Lysia quidem hanc orationem profectam esse ex verborum perspicuitate colligi potest, quibus simplex rei *narratio* continetur, ex qua qualis esset rei conditio continuo ab initio dignoscere poterant iudices. Sed verba ἄλλο ἔτι μέγεθος τὸ αὐτὸ emendatione indigent. Quodsi quae praedixi vere monita sunt, scribendum esse videatur: τῆς δ' ἄλλης ἐστὶ μέγεθος τὸ αὐτό, ita ut ἡ ἄλλη altera falsa, quam opifex substituit, incitega sit intelligenda. Dein pone

βουκεφάλια, quod *βουκέφαλα* scribendum est, aliquid deest, quo *figura bovis caput habens* significetur. Fuit quidem cum *βουκέφαλα* ad *πρόσωπα* referri posse opinatus sum scriptumque fuisse credidi *καὶ Σατύρων ἔχει πρόσωπα καὶ βοῶν καὶ ἐλάφεια* (sive *ἐλάφια*): nemo enim dicat faciem habere boum capita. Sed nunc illud praestare mihi videtur.

CAR. FRID. GOTTH. MEUTZNERI

PHILOS. DR. GYMN. PLAV. PRAEC.

DISPUTATIO

DE LOCIS NONNULLIS ISAEI.

FRIDERICO KRANERO

S. P. D.

G. MEUTZNER.

Libenter et saepe ego illius temporis memoriam repeto, quod olim eodem usi contubernio, iisdem incitati studiis, eandem sectantes disciplinam, omnino multis ac variis ultro citroque implicati rationibus Lipsiae degimus: fuit enim profecto triennium istud mihi quidem plenum et utilitatis et delectationis. Sed quo mihi maiorem felicitatis illius recordatio saepe attulit voluptatem, eo me vehementiore, cum talis amici usum atque consuetudinem denegatam viderem, saepe affecit desiderio. Quod si plerumque factum est, cum rebus, quae ad ipsius vitae usum pertinerent, vehementius agitabar, tamen haud scio an gravius senserim, si quando forte in litteris nostris in quasdam dubitationes incideram. Non quo facilius invenerim, qui vel incommodis me afflictum erigeret adhortatione amica vel prospera conditione laetum delectaret gaudii societate, quam qui libere mecum de litteris vellet confabulari; sed quod animi vehementior agitatio, sive laetamur sive dolemus, brevi plerumque evanescit, — digna enim re si fuit excitata nostra quidem aetas facile assuescit rebus novis, sin frustra accepta vel levem ob caussam, vir mediocriter eruditus non poterit diu in errore versari; — in litteris autem si qua subnata est dubitatio, neque assuescere dubitando possumus, neque contemnere caussam, nec facile ipsi frustra dubitatum esse perspicere. Quare profecto si forte in locos incideram, de quibus rectene an secus viri docti iudicassent dubitari posse censerem, tum maxime desideravi familiarem illum sermonem nostrum, quo et

errantes revocavimus nos et recte iudicata argumentis diligenter explicatis confirmavimus.

Quo ut aliquando mihi vel simulato frui liceret, simulque ut pignus amicitiae qualecunque tibi offerrem, haec de aliquot Isaei locis iudicia mea tibi perscribenda putavi: quae legens tu hodieque me cognosces eundem quem contubernalem probasti. Quoad eius fieri potest, tueor librorum scripturas, rarissime ad coniecturas confugio. Neque ego contemno hominum doctorum studia, quae potissimum in corruptis redintegrandis versantur; sed haec quidem res, si recte munere suscepto fungi velis, non solum ingenii est subtilissimi et doctrinae prorsus singularis, sed temporis etiam. At priora singula sunt in paucis, coniuncta non reperiuntur nisi in principibus quibusdam; huius nobis, qui pueros docemus, ad haec nostra studia saepe parum ac ne illud quidem liberum omnino concessum est. Itaque cum viderem, coniecturas, quas plerisque probatum iri sperarem, difficillime inveniri, immensam autem inutilium copiam a me nollem augeri, talia, nisi sponte se offerebant, declinavi potius et integra servavi iis, qui ad haec ingenio, doctrina, ipsius vitae conditione essent aptiores; mihi vero ea sumpsi horis subsecivis explicanda, de quibus vel iniuria dubitatum vel minus recte expositum ab aliis arbitrarer. Quo in negotio si quid humani mihi acciderit defenderimque quod vel non erat defendendum vel alia ratione, age sis, nota, corrige.

De Meneclis hereditate §. 7 sq. actor, quomodo Menecles uxorem (actoris sororem) dimiserit, his exponit verbis:

καὶ ἐκεῖνος δευτέρῳ μηνὶ ἢ τρίτῳ (postquam actor cum fratre in patriam rediit) *πολλὰ ἐπαινέσας τὴν ἀδελφὴν λόγους ἐποιεῖτο πρὸς ἡμᾶς, καὶ ἔφη τήν τε ἡλικίαν ὑφορᾶσθαι τὴν ἑαυτοῦ καὶ τὴν ἀπαιδίαν. οὔκουν ἔφη δεῖν ἐκείνην τῆς χρηστότητος τῆς ἑαυτῆς τοῦτο ἀπολαῦσαι, ἄπαιδα καταστῆναι συγκαταγηράσασαν αὐτῷ· ἱκανὸς γὰρ ἔφη αὐτὸς ἀτυχῶν εἶναι· — καὶ ἐκ ταύτης τῆς λέξεως δῆλον ὅτι φιλῶν ἀ π ε β ά λ ε τ ο· οὐδεὶς γὰρ μισῶν τινα ἱ κ ε τ ε ύ ε ι α ὐ τ ῷ· — ἐδεῖτο οὖν ἡμῶν δοῦναι χάριν ταύτην αὐτῷ, ἐκδοῦναι ἄλλῳ αὐτὴν μετὰ τῆς γνώμης τῆς ἑαυτοῦ.*

Hoc loco offendit Schoemannus primum v. *ἀπεβάλετο,* quod negavit de divortio posse usurpari, deinde vv. *ἱκετεύει αὐτῷ,* quae pro corruptis habuit, quod Menecles nemini supplicaverit, neque uxori, quacum postea demum fratrum hortatu de divortio agere coeperit, neque eius fratribus; neque vero si supplicaverit,

inde posse probari, Meneclem uxoris amantem fuisse. His adductus rationibus has proposuit emendationes, dubitanter quidem ut decebat tam violentas: *καὶ ἐκ ταύτης τῆς λέξεως δῆλον ὅτι φιλῶν ἀπηλλάττετο· οὐδεὶς γὰρ μισῶν τινα κήδεται αὐτοῦ.* At ut in his, quae vir doctissimus coniectura assecutus est, nihil sit quod displiceat, ego tamen vehementer dubito, an nemo has mutationes sit probaturus, partim quod nimium recedunt ab eo quod libri scripti exhibent, partim quod mutandi rationes vix satis graves ac firmae videntur. Nam quod verbum *ἀποβάλλεσθαι* ad rem eam, qua de nostro loco agitur, significandam aptum esse omnino negavit, equidem non possum assentiri. Est enim *ἀποβάλλεσθαι abiicere, a se reiicere, removere (wegwerfen, von sich werfen),* et refertur etiam ad homines, quorum quis consuetudine non vult amplius uti *(von sich stossen, verstossen)*, cf. Theocr. XI. 19.

ὦ λευκὰ Γαλάτεια, τί τὸν φιλέοντ' ἀποβάλλῃ;

Quare quidni etiam is, qui uxorem a se reiicit, segregat, dicatur eam *ἀποβάλλεσθαι*? Imo nostro quidem loco rectissime hoc potissimum vocabulo Isaeum usum esse iudico, quod non de divortio loquitur, sicut vulgo fieri solet, cum maritus uxoris mores improbans se ab ea vult segregatum et liberatum (*ἀπαλλάττεται αὐτῆς*), sed Meneclem potius dicit a se, utpote marito propter aetatem parum utili tali feminae, removisse uxorem, eamque invitam seque quasi applicantem ad maritum reiecisse. Quod quo nomine significantius potuerit dici quam verbo *ἀποβάλλεσθαι* equidem non habeo dicere. — At nusquam illud vocabulum de tali caussa usurpatum legitur. — Recte quidem, sed ne caussam quidem prorsus similem alibi commemoratam me legere memini. — At acerbius sic actor loqui videtur quam isti convenire videatur conditioni. — Ego vero censeo, omnem istam si qua est verbi *ἀποβάλλεσθαι* acerbitatem non solum satis superque leniri addito v. *φιλῶν*, sed adeo istis coniunctis tam apte, tam commode totam rem esse expressam, ut non potuerit melius. Reiicitur enim uxor, quae sincero complectens maritum amore vi invita ab ipso redditur fratribus. Ille vero amore ductus reiicit eam, *φιλῶν ἀποβάλλεται,* si eo id facit consilio, quo melius feminae prospiciatur.

Reliquum est, ut etiam *ἱκετεύει αὐτῷ* recte dictum esse doceamus. Atque in his quidem, nisi fallor, vir optimus opinione praeiudicata seductus minus quam par erat ad verborum

structuram animum attendit. Novo enim more coniungit *ἱκετεύει αὐτῷ* hac sententia: *supplicat ei, rogat eum;* quod nescio qua confirmari possit auctoritate. Nam ne Xenophontis loco; qui est Cyropaed. IV. 6. 9. *νῦν δὲ αὐτή τέ μοι ἡ θυγάτηρ πολλὰ γοωμένη ἱκέτευσε*, hanc in rem utatur, vix videtur verendum, cum vel ii interpretes, qui *μοὶ* ex Guelf. et Paris. receperunt pro *μέ*, tamen illud ab *ἱκέτευσε* suspensum esse noluerint. Neque cum Poppone quis verbi *εὔχεσθαι* aliorumque simili structura abutetur, quo dixerit idem, atque si defendat *rogare alicui* recte dictum esse, quod *supplicare* vulgo cum casu dativo coniungatur. Nostro vero loco *αὐτῷ* dativus est quem commodi dicunt, atque haec verborum sententia: *nemo, qui odit aliquem, pro eo supplicat*, ad preces descendit, ut eius saluti prospiciat. Hoc vero et signum est amoris, si pro uxoris commodo precibus eius fratres adiit; et factum id esse nescio quo iure negaverit Schoemannus, cum *λόγους οὓς ἐποιεῖτο* preces atque adhortationes amicas fuisse et res ipsa doceat, et ea nominatim verba, quibus post interpositam sententiam orationis filum recipitur: *ἐδεῖτο οὖν ἡμῶν* etc.

Ibid. §. 10. *μετὰ δὲ ταῦτα χρόνου διαγενομένου ἐσκόπει ὁ Μενεκλῆς, ὅπως μὴ ἔσοιτο ἄπαις, ἀλλ' ἔσοιτο αὐτῷ ὅστις ζῶντά τε γηροτροφήσοι καὶ τελευτήσαντα θάψοι αὐτόν* etc.

Particula *τε* posita est a Bekkero ex coniectura, nam codd. AB. hic sicut infra §. 25. libri omnes in verbis: *ὅστις αὐτὸν ἔμελλε ζῶντα θεραπεύσειν καὶ τελευτήσαντα θάψειν*, particulam omittunt: Q. autem *γε* habet. At libri AB. ita praestant codici illi, ut, ubi hi aptam praebent scripturam, minime videatur spreta horum auctoritate ex illius corruptelis aliud quid coniectura eruendum esse. Nostro autem loco eo minus quidquam tribuendum codici Q., quo facilius scriba negligentior, qui eum exaravit, ut erat minus religiosus in apicibus singulis reddendis, propter sequens *γηροτροφήσοι*, quod et ipsum in *γηροτροφήσει* corrupit, labi potuit.

Ibid. §. 12. *καὶ ὁ ἀδελφὸς ὁ ἐμὸς ἀκούσας ταῦτα, ἐπειδὴ προετίμησεν αὐτοὺς πάντων ἐπήνεσέ τε τοὺς λόγους αὐτοῦ καὶ εἶπεν.*

Schoemannus ad vv. *προετίμησεν αὐτοὺς* p. 206. notavit: „imo *ἡμᾶς*. quanquam si quis hoc ita corrumpi potuisse miretur, et gravius fortasse vulnus latere existimet, equidem non obloquar.“ Vide ne forte sic oratoris verba possint accipi: *et*

frater his auditis, postquam eas prae omnibus laudavit, comiter detrectavit conditiones eius etc. Incommodum sane αὐτοὺς ad sequentia τοὺς λόγους referri: namque eiusmodi pronominibus non licet prius uti proprie quam suo nomine res fuerit nominata, quum alias difficile sit intelligere, quo pertineat pronomen. Sed tamen ne nostrates quidem, quos pro nostrae linguae genio in his paullo severiores esse decebat, similibus prorsus abstinuerunt (Schillerus: *Wenn fromme Reden sie begleiten, dann fliesst die Arbeit munter fort*), et excusatur talis inconcinnitas, quod proprie sic secundum structuram sententiae erant ordinandae: *ἐπῄνεσε τοὺς λόγους αὐτοῦ, ἐπειδὴ προετίμησεν αὐτοὺς πάντων*, quo facto nihil est quod reprehendas. Nisi forte, quod non raro Graeci pronomen usurpant sic, ut illud referatur ad verbum aliquod, quod ex aliis significatione cognatis, quae antecedunt, eliciendum est (quo de genere summatim quaedam notavit Porson. ad Eur. Hec. v. 22.), αὐτοὺς vel sic recte dici potuisse videbitur, si sumamus, λόγους, quod ad sententiam, iam latere in dictione ἀκούσας ταῦτα. Verba προτιμᾶν et ἐπαινεῖν quid significent bene expositum est a Schoemanno.

Ibid. §. 15. καὶ τότε μὲν οὐδὲν ἀντέλεγον αὐτῷ οὗτοι ὡς εὖ φρονοῦντι.

Hic interpretes omnes, qui locum attigerunt, verba postrema cum negandi particula efferenda fuisse pronuntiaverunt. Et Tyrwhittus quidem, quem secuti sunt Orellius et Bekkerus, ὡς οὐ φρονοῦντι coniecit, Schoemannus autem ὡς οὐκ εὖ φρονοῦντι. Hoc postremum, si locum emendari necesse fuerit, ipse praetulerim, cum οὐ φρονεῖν, ut recte Schoemannus observavit, pro παραφρονεῖν non videatur a Graecis usurpatum esse, neque vocabula negantia quam saepe sint tam apud Graecos quam apud Romanos scriptores vel incuria librariorum neglecta vel temere in locos alienos illata, fugiat quemquam. Neque tamen necessitas illa, quam Schoemannus omnibus ait perspectam esse, tam certa ac firma mihi quidem videtur, quin de librorum scriptura defendenda possit cogitari. Imo quo diutius ipsa verba considero, eo mihi fit probabilius, iniuria quod scriptum legitur in codicibus a viris doctis tentatum esse. Qua de re quo melius persuadeam, paullo altius res videtur repetenda esse.

Particula ὡς ut forma ita significatione relativa est et locum habet in sententiis relativis. Quaevis autem relativa sententia suspensa est neque per se sola potest stare: quodcunque

enim refertur, habere debet quo referatur. Itaque ὡς ubi usurpatum est, duas proprie adesse sententias necesse est, alteram quae infertur particula ὡς, quam relativam liceat vocare, alteram unde suspensa est haec, quam primariam nominabimus. Iam vero sententia non est integra, nisi habeat verbum finitum. Quodque ergo relativum vocabulum, quoniam sententiam aliquam affert, etiam verbum habeat finitum necesse est. Quod si quando tamen non est expressum, apta eius forma ex ea, unde suspensa est relativa, sententia mente erit repetenda. Velut εἶμι, ὅποι ἂν καὶ ὑμεῖς qui dicit, suppressit in relativa sententia formam ἴητε, quae vel non commemorata ex verbo εἶμι ab omnibus facile intelligitur. ὡς igitur, quoniam relativa est particula, si quando non est coniunctum verbo finito, hic quoque apta eius forma ex sententia primaria mente addenda erit ad structurae rationem explicandam. Quare loci, qualis est Xenophontis de Anabasi I. 3, 6. ὡς ἐμοῦ οὖν ἰόντος, ὅπῃ ἂν καὶ ὑμεῖς, οὕτω τὴν γνώμην ἔχετε, non sic erunt interpretandi, ut ὡς participio constructum putemus, quod quo iure fiat non intelligitur, sed repetendum ad ὡς ex sententia primaria ἔχετε τὴν γνώμην vel ἔχειν δεῖ τὴν γνώμην, quod est: *eam vos velim sententiam habere, quam habetis* (vel *habeatis oportet*) *me ituro, quocunque etiam vos iveritis.* Quod qui dicit, quoniam significat haud dubie, se ita facturum, sane quidem vim verborum latine etiam sic licet exponere: *persuasum habeatis, me iturum* etc.; sed falleretur magnopere, qui istam sequens translationem iudicaret, οὕτω τὴν γνώμην ἔχειν, οὕτω γιγνώσκειν, οὕτω διανοεῖσθαι, similia alia, idem prorsus dicere atque apud Romanos *persuasum habere*, et ὡς sequente participio non esse diversum a constructione accusativi cum infinitivo quae dicitur. Quod tamen quibusdam hominibus doctis videtur accidisse. Certe quas fere video propositas hominum eruditorum quorundam sententias ad istam dicendi rationem explicandam, eas ad adolescentulorum animos perturbandos quam edocendos iudico longe aptiores esse. Kruegerus enim, postquam interpretatus est Xenophontis verba: *persuasum habeatis, me iturum esse*, quasi explicaturus dictionis caussam atque rationem sic pergit: „proprie in his pleonasmus inest; nam *putandi* notionem iam habet particula ὡς, ut docent tales loci: ἐρώτα, ὅ τι βούλει, ὡς τἀληθῆ ἐροῦντος, Cyrop. III. 1, 9.“ At pleonasmus est, qui continetur adiectione vocabuli prorsus abundantis, id est, plane nihil significantis,

sive, si haec G. Hermanni verba recte intelligimus, qui continetur adiectione vocabuli, quo dempto neque syntaxis verborum impeditur, neque ad logicam, quae dicitur, sententiae integritatem quidquam desideratur. Sequitur igitur, quibus pleonasmum contineri dicas, ea sine ullo cum sententiae tum structurae detrimento posse abesse. Iam vero quoniam dicit ὡς iam habere vim *putandi*, pleonasmum dicit esse in verbis οὕτω τὴν γνώμην ἔχετε, eaque inutiliter esse a scriptore adiecta. At his abiectis quomodo sententia possit stare, id magnopere vereor ne nunquam possit probare. — At docuit, ὡς vim *putandi* habere; igitur οὕτω τὴν γνώμην ἔχετε docuit abundare. — Si quidem hoc est docere. Novi sane, ista de Cyropaedia sic fere reddi: *interroga quidquid vis, putans me vera dicturum.* At spero ipsum virum doctissimum hoc esse daturum, hanc non verborum esse translationem, verum sententiae interpretationem. Atque ista interpretatio si possit efficere, ut ὡς habeat vim *putandi*, nihil denique est quod non possit interpretando effici. Nam sic commode etiam efficias, his in locis ellipsin haberi participii διανοούμενος, νομίζων, vel cuiusvis alius; quae quo iure omittantur nemo intelligit. Sic commode efficias, infinitivum an participium, an verbum finitum, nominativum an alium casum quempiam, activum an passivum usurpaveris, prorsus esse perinde. An quid tandem respondeatur, si cui in mentem venerit, quoniam vim istorum verborum commode etiam sic possumus reddere: *noli enim dubitare quin ego vera sim responsurus*, vel: *nam ego vera respondebo*, vel: *cum ego vera sim responsurus*, etc.; si cui igitur in mentem veniat: ὡς esse idem, quod *non dubito*, vel idem quod *nam*, *cum*, etc.? Imo in quacunque dictione explicanda prima est lex, ut ortus eius quis sit exponatur, quo perspecto quomodo transferatur aptissime in alium sermonem sponte intelligitur. Ille vero huius quidem dictionis est is quem monstravimus. Quare Xenophon ista de Cyropaedia verba sic dixit, ut post ὡς quasi mente reconditam haberet vim verbi ἐρωτᾶν, ac simillime nostrates: *Frage, was du willst, wie (du fragst, fragen musst) wenn ich die Wahrheit zu sagen bereit bin*, et Romani quoque: *interroga, quidquid vis, utpote me vera dicturo.* Iam quod attinet ad participii ipsius constructionem, patet, opinor, ea proprie esse utendum, quasi integra sententia relativa esset proposita; casibus igitur absolutis (gen. et acc.), ubi sententiae participio contentae suum

est proprium subiectum, sin minus, appositione sive attractione, participio relato ad eum casum, quo vocabulum, quod sententiae participio expressae subiectum continet, ponendum erat in sententia ad particulam ὡς supplenda; vel potius, quoniam haec non sic dicta volumus, quasi Graeci istam sententiam, quibus fere eam supplemus verbis, iis ipsis mente addiderint — nam origo quidem ista est dictionis, cuius tamen, qui ea utebantur, non amplius recordebantur tam pingui ratione, sicut ne nos quidem in similibus — relato igitur participio ad eum casum, quo eius subiectum iam fuit commemoratum vel erat commemorandum in sententia primaria, quam ipsam vocamus attractionem quandam. Quare nihil est difficultatis in his quae leguntur apud Soph. Philoct. v. 33.

στειπτή γε φυλλὰς ὡς ἐναυλίζοντί τῳ,

quoniam haec sic cogitantur: (ἔνδον ἐστὶ) φυλλὰς στειπτὴ (οὕτως), ὡς (στείβεταί) τινι ἐναυλίζοντι, sive hunc dativum commodi qui dicitur putamus, sive eum qui similem fere habet vim quam alias ὑπὸ cum gen. apud dictiones passivas. Neque dissimilis caussa est loci qui est apud Soph. Oed. R. v. 350 sqq.

ἐννέπω σε τῷ κηρύγματι
ᾧπερ προεῖπας ἐμμένειν, κἀφ᾽ ἡμέρας
τῆς νῦν προσαυδᾶν μήτε τούσδε, μήτ᾽ ἐμέ,
ὡς ὄντι γῆς τῆσδ᾽ ἀνοσίῳ μιάστορι.

Ubi sane propter ἐννέπω σε ἐμμένειν proprie accusativo participii erat utendum, sed ambiguitatis vitandae caussa dativum poeta usurpavit, quia ἐννέπειν etiam cum dativo struitur, ut commode ad ὡς possis mente repetere, ὡς δεῖ μ᾽ ἐννέπειν σοι. Cf. ibi Herm. Exemplis pluribus afferendis, ut in re plana, commode videor supersedere posse. Hoc unum tamen placet addere [Demosth.] or. contra Neaeram p. 1352. §. 24. συνέπινε καὶ συνεδείπνει ἐναντίον πολλῶν Νέαιρα αὕτη ὡς ἂν ἑταίρα οὖσα, quod vel maxime nostram rationem comprobat, quoniam particula ἂν non potest aliter explicari nisi sic ut fecit etiam Schaeferus Appar. ad Demosth. t. V. p. 543. ὡς ἂν συνεδείπνει, εἰ ἑταίρα ἦν. Quo tamen loco quae vir doctissimus adiecit de verbis testimonii §. 25. allati: μαρτυροῦσι Νέαιραν συμπίνειν μετ᾽ αὐτῶν ὡς ἑταίραν οὖσαν, minus recte dicta arbitror. Vertit enim: *ut quae esset meretrix*, quasi hanc caussam attulerint testes, cur adfuerit in convivio Neaera. At si quid video, testium erat describere simpliciter, qualis res fuerit; itaque

dicere debebant, eam interfuisse convivio more meretricio, et sic illud ipsum confirmare, quod dixerat orator. Atque hoc notandum omnino, addita ad particulam ὡς particula ἂν genus tantum dictionis leviter immutari, sententiam manere eandem; quod inde explicandum, quia in his sententia particula ὡς illata non continet rem factam, sed tantum cogitatam. Velut ᾤχετο ἀπιὼν ὡς ἀδικούμενος perinde est ad sententiam, solvasne ὡς ἄπεισιν ἀδικούμενος, an ὡς ἀπίοι ἂν ἀδικούμενος, vel ὡς ἀπῄει ἂν ἀδικούμενος: quare utrumque recte dicitur, neque ullo sententiae ipsius discrimine ὡς ἀδικούμενος et ὡς ἂν ἀδικούμενος. Quoniam autem ἂν particulae in his sic nulla prorsus est necessitas neque usus aliquis, inde factum etiam videtur, ut rarissime addita legatur. Apud oratores certe praeter locum supra allatum non memini me legere ὡς ἂν sic usurpatum. Apud alios scriptores fortasse aliquanto frequentius invenietur. Sophocles ea est usus in Oed. R. v. 9 sqq.

ἀλλ᾽, ὦ γεραιὲ, φράζ᾽, ἐπεὶ πρέπων ἔφυς
πρὸ τῶνδε φωνεῖν, τίνι τρόπῳ καθέστατε;
δείσαντες ἢ στέρξαντες; ὡς θέλοντος ἂν
ἐμοῦ προσαρκεῖν πᾶν.

At, inquies, ad nostram quid haec pertinent caussam? Pertinent sane. Hoc enim si das, quod spero te daturum, veram esse quam proposui huius structurae explicationem, faciam ut concedas etiam, quae libri mss. exhibent Isaei loco, unde sumus digressi, ea recte esse posita nec indigere emendatione. Meministi, non raro et apud Graecos et apud Latinos a verbo, cui vocula negans addita est, deinceps quaedam sic esse suspensa, ut neglecta voce negante referantur ad solum verbum, qua de re multi multis locis exposuerunt, quorum unum nominasse satis erit Klotz. quaest. critt. p. 9 sq. Consequitur igitur, idem posse fieri, si in eiusmodi dictionibus, de quibus nos agimus, sententia primaria verbum habeat cum vocabulo negante coniunctum. Quibus concessis patet etiam, duplicem in talibus esse rationem sententiae participio contentae. Velut quod est apud Antiphontem de caede Herodis §. 35. (sub finem huius §. post κάλει in Bekkeri editione deest: *ΜΑΡΤΥΡΕΣ*) τοῖς δὲ λόγοις τοῖς ἐψευσμένοις ὑπ᾽ ἐκείνου ὡς ἀληθέσιν οὖσιν ἐγὼ ἀπόλλυμαι si velis in contrariam fere sententiam mutare, duae patent rationes, quibus id efficias. Poteris enim dicere vel: τοῖς δὲ λ. τ. ἐψ. ὑπ᾽ ἐκ. οὐδὲν προσήκει με ἀπόλλυσθαι, ὡς οὐκ ἀληθέσιν οὖσιν

(int. ὡς οὐ προσήκει ἀπόλλυσθαι λόγοις οὐκ ἀληθέσιν οὖσιν), vel: τοῖς δὲ λ. τ. ἐψ. ὑπ' ἐκ. οὐδέν με προσήκει ὡς ἀληθέσιν οὖσιν ἀπόλλυσθαι (int. ὡς προσήκει ἀπόλλυσθαι λόγοις ἀληθέσιν οὖσιν). Prius nostrates dicerent: *weil sie nicht wahr sind*, alterum: *als wenn sie wahr wären*. Horum utrum quoque loco commodissime videretur dici, electum est a scriptoribus (neque enim ubique, quod ratio fert, id commodum etiam ad usum); etsi pene credo prius, ut naturae paullo convenientius, etiam aliquanto frequentius posse inveniri. Prioris generis haec habe exempla. Sophoclis Philoct. v. 1065.

μή μ' ἀντιφώνει μηδὲν ὡς στείχοντα δή.

Xenoph. Anab. VII. 1, 40. Τιμασίων καὶ Νέων καὶ Κλεάνωρ ἔλεγον Κοιρατάδῃ μὴ θύειν, ὡς οὐχ ἡγησόμενον τῇ στρατιᾷ. Cyropaed. II. 4, 17. ἐγὼ δέ σοι οὐκ ἐθελήσω διδόναι πλὴν μετρίους τινάς, ὡς βουλόμενος πρὸς τὰ φρούρια ἐλθεῖν τὰ πρὸς τῇ Συρίᾳ. VIII. 1, 42. ἐμελέτησε δὲ καί, ὡς μηδὲ πτύοντες, μηδὲ ἀπομυττόμενοι φανεροὶ εἶεν, μηδὲ μεταστρεφόμενοι ἐπὶ θέαν μηδενός, ὡς οὐδὲν θαυμάζοντες. Isocr. Archid. §. 31. τοῖς μὲν οὐδὲν ἀνεῖλεν, ὡς οὐ δικαίαν ποιουμένοις τὴν αἴτησιν. de pace §. 55. τούτους οὐκ ἀξιοῦμεν στρατηγοὺς χειροτονεῖν ὡς νοῦν οὐκ ἔχοντας. Demosth. de male gesta legat. p. 406. §. 211. ἀπηγόρευε μὴ καλεῖν ἐμὲ εἰς τὸ δικαστήριον ὡς δεδωκότα εὐθύνας καὶ οὐκ ὄντα ὑπεύθυνον. [Dem.] contra Euergum et Mnesibulum p. 1140. §. 5. καὶ Θεόφημος αὐτοῖς ὡς ἀληθῆ μεμαρτυρηκόσιν οὐκ ἐπεσκήψατο (quocum conf. Isocr. Panath. §. 62.). Atque huc pertinet Isaei locus, sicut scriptus est in codicibus. Alterius generis sunt haec. Lysias περὶ τοῦ σηκοῦ §. 5. εἰ γὰρ μὴ δι' ἡμᾶς εἰσιν ἠφανισμένοι, οὐδὲν προσήκει περὶ τῶν ἀλλοτρίων ἁμαρτημάτων ὡς ἀδικοῦντας κινδυνεύειν. §. 25. οὐδεὶς πώποτ' ἐζημίωσεν ὡς ἐργαζόμενον τὰ περὶ τὰς μορίας χωρία. cf. etiam §. 29. adv. Agorat. §. 82. οὐδεὶς γὰρ αὐτῷ διελέγετο ὡς ἀνδροφόνῳ ὄντι. in Alcib. I. §. 23. οὐκ ἂν εἰκότως αὐτοῦ ἀποψηφίζοισθε ὡς ταῦτα μὲν ἡμαρτηκότος, τὰ δ' ἄλλα πολίτου χρηστοῦ γεγενημένου. pro Mantith. §. 8. εἴπερ ἵππευσα, οὐκ ἂν ἦν ἔξαρνος ὡς δεινόν τι πεποιηκώς. Isocrat. Archid. §. 101. μὴ περιμένωμεν ὡς ἄλλων τινῶν τὰς παρούσας ἀτυχίας ἰασομένων. Panath. §. 62. οἶμαι δὲ τοὺς ἀηδῶς ἀκούοντας τῶν λόγων τούτων τοῖς μὲν εἰρημένοις οὐδὲν ἀντερεῖν ὡς οὐκ ἀληθέσιν οὖσιν. [Dem.] de Halon. §. 9. οὐδὲν ἐγκαλεῖτε αὐτῷ ὡς ἀδικούμενοι. adv. Pantaen. §. 46. οὐκ εἰσήγγειλεν οὔτ' ἐμὲ οὔτε

τὸν Εὔεργον ὡς ἀδικοῦντας. Atque horum similis erit Isaei locus, quo de agitur, si recipiatur, quod viri docti coniecerunt. At unde quis probet, hoc modo Isaeum hic dicere maluisse quam illo? Ego profecto nullam video iustam rationem. Quare teneo ac tueor quod est in libris mss.

Ibid. §. 27. εἰ δὲ περὶ χρημάτων ἐστὶν ὁ λόγος αὐτῷ, ἐπιδειξάτω ὑμῖν, ὁποῖον χωρίον ἢ συνοικίαν ἢ οἰκίαν κατέλιπεν ἐκεῖνος, ἃ ἐγὼ ἔχω νυνί.

Cod. Q., depravatus ille multis locis, omittit verba ἢ συνοικίαν. Hoc movit Bekkerum, fortasse quod nusquam συνοικίας Menecles possedisse dicitur, ut istis eiectis scribi vellet: ὁποῖον χωρίον ἢ τίν' οἰκίαν. Contra Schoemannus quod §. 35. actor fateatur, οἰκίδιον ὃ οὐκ ἔστιν ἄξιον τριῶν μνῶν se accepisse, eiicienda censet verba ἢ οἰκίαν. Codicis Q. quum nulla pene sit auctoritas contra testimonia meliorum librorum AB., res eo videtur redire, ut ex ipsa loci sententia sit probandum, potueritne actor dicere, quod legitur in libris praestantioribus, an praeferenda sit emendatio alterutra. Ac speciosa quidem est Schoemanni ratio, actorem, si verum velit fateri, non posse negare οἰκίαν sibi esse relictam; sed tamen facile intelligitur, quae infra §. 35. dicuntur, non admodum repugnare nostro loco, cum οἰκίδιον illud parvum atque pene nullius pretii dicatur esse vixque dignum nomine οἰκίας; ut oratorem hic id prorsus neglexisse non possit mirum videri. Bekkeri vero rationem ne caussa quidem satis idonea niti arbitror. Neque enim quaeritur hoc loco, habueritne Menecles συνοικίας necne, quas sane vix est credibile eum possedisse; sed enumerantur in universum genera possessionum, quae loco moveri non possunt; quarum neque relictum quidquam a Menecle neque a se acceptum esse contendit: Meneclem enim quae possedisset partim fratri concedere partim ut debita persolveret divendere coactum fuisse. Comparari posse videtur Aesch. adv. Timarch. §. 105. ἀλλ' ἴσως ἄν τις εἴποι, ὡς ἀποδόμενος τὴν πατρῴαν οἰκίαν ἑτέραν ἄλλοθί που τοῦ ἄστεος ἐκτήσατο, ἀντὶ δὲ τῆς ἐσχατιᾶς καὶ τοῦ χωρίου τοῦ Ἀλωπεκῆσι καὶ τῶν δημιουργῶν καὶ τῶν ἄλλων εἰς τἀργυρεῖά τι κατεσκευάσατο, ὥσπερ καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ πρότερον. ἀλλ' οὐκ ἔστι τούτῳ λοιπὸν οὐδέν, οὐκ οἰκία, οὐ συνοικία, οὐ χωρίον, οὐκ οἰκέται, οὐ δάνεισμα, οὐκ ἄλλ' οὐδὲν ἀφ' ὧν ἄνθρωποι μὴ κακοῦργοι ζῶσιν. At §. 97 sqq., ubi orator enumerat quae Timarcho pater reliquerit, nulla συνοικίας fit

mentio. Neque tamen quisquam idcirco altero loco verba *οὐ συνοικία* loco movenda existimavit; recte omnino: enumerantur enim in universum genera bonorum, unde quis victum sine improbitate possit habere; qua in re nihil attinet, num uniuscuiusque generis aliquid etiam potuerit hereditate acceptum possideri.

Ibid. §. 29. *κἀκεῖνος ἠγανάκτει, οἶμαι, καὶ ἠναγκάζετο ὑπολείπεσθαι οὗ ἠμφισβήτησεν οὗτος, τὸ δὲ ἄλλο ἀποδιδόναι Φιλίππῳ τῷ Πιτθεῖ ἑβδομήκοντα μνῶν· καὶ οὕτω διαλύει τὸν ὀρφανὸν κ. τ. λ.*

Pro *ἀποδιδόναι*, quod librorum omnium auctoritate confirmatur ab oratore scriptum esse, Bekkerus edidit *ἀποδίδοται*, et secutus est Schoemannus. Rationem quidem a neutro vidi allatam, sed sine dubio haec fuit, quod infinitivum *ἀποδιδόναι* non arbitraretur a verbo *ἠναγκάζετο* recte posse suspensum esse, cum Menecles ut quae reliqua sibi essent venderet a fratre cogi non potuerit. At profecto si, cum vendere vellet agrum totum, cogebatur a fratre ut agelli partem eam de qua litem ille movisset eximeret, simul *solam* eam quae relicta erat partem vendere cogebatur. Nam qui totum venditurus parte aliqua cedere cogitur, coactus est etiam, ista parte qua est privatus vendere minus quam voluerat. Verum tamen etiam si vel minus commode *ἀποδιδόναι* ab *ἠναγκάζετο* suspensum videretur, tamen infinitivum mutandum esse negarem. Solent enim Graeci quodam attractionis genere, quod ab amico nostro in his rebus cum indagandis sagacissimo tum explicandis prudentissimo Reinh. Klotz egregie tractatum est quaest. critt. p. 10 sqq., saepe plures coniungere infinitivos verbo uni, quod vi ac natura sua ad eum solum, cui proxime coniunctum est, recte refertur, ad reliquos saepe minus commode. Cuius structurae cum eadem prorsus sit ratio atque eius quam *ζεῦγμα* grammatici appellarunt, mirum profecto est, ad alteram fere nunquam, ad hanc saepissime homines doctos offendisse. Nisi forte id factum existimemus, quod infinitivi isti commodius fere in verba finita mutantur, quam ad nomina illa verba nova, quorum ne vestigium quidem in codd. comparet, adduntur. De genere ipso quoniam satis dictum putamus ab amico l. l., non incommodum videtur, pauca quaedam quae sint huius loci indicare magis quam explicare. Infinitivum *ἀποδιδόναι* quidem tuebitur etiam Isaei locus qui legitur de Cleonymi hereditate §. 39. *καὶ ταῦθ᾽ ἡμᾶς*

καὶ ἡ συγγένεια καὶ οἱ νόμοι καὶ ἡ παρ᾽ ὑμῶν αἰσχύνη ποιεῖν ἠνάγκαζεν ἄν, ἢ ταῖς μεγίσταις ζημίαις καὶ τοῖς ἐσχάτοις ὀνείδεσι περιπεσεῖν. Nam ne hic quidem satis recte dictum videtur per se *ἡ παρ᾽ ὑμῶν αἰσχύνη ἡμᾶς ἠνάγκαζεν ἂν ταῖς μεγίσταις ζημίαις καὶ τοῖς ἐσχάτοις ὀνείδεσι περιπεσεῖν*: sed tamen infinit. *περιπεσεῖν* neque mutatus est a quoquam, neque mutandus videtur, sed eo quo dixi attractionis genere post *ταῦτα ποιεῖν ἠνάγκαζεν ἂν* positus, ac tali fere ratione accipiendus, ut ex *ἠνάγκαζεν* eliciatur mente *ἔδει.* Eiusdem generis etsi specie diversus locus est multum vexatus, qui legitur de Philoctemonis hered. §. 59. *καὶ τούτῳ μὲν οὐδεὶς διαμαρτυρεῖ μὴ ἐπίδικον εἶναι τὸν κλῆρον, ἀλλ᾽ εὐθυδικίᾳ εἰσιέναι.* Reiskius vel *ἀξιοῖ* post *εἰσιέναι* excidisse putaverat vel scribendum esse *εἴσεισι.* Posterius recte reiecit Schoemannus; sed ne prius quidem erat probandum. Nam in istis: *τούτῳ μὲν οὐδεὶς διαμαρτυρεῖ μὴ* etc. haec inest sententia: *οὗτος μὲν οὐκ ἀξιοῖ μὴ ἐπίδικον εἶναι τὸν κλῆρον*, itaque illud *ἀξιοῖ*, quod tantopere requirunt, commode ex praegressis elicitur, sicut *βούλοιτο* in Aeschinis loco orat. contra Ctesiph. §. 104, de quo Klotzius exposuit l. l. p. 12. et *κελεύεις* apud Eurip. Phoen. v. 1232. ed. Pors.

τί μ᾽ οὐκ εἴασας ἐξ εὐαγγέλου
φήμης ἀπελθεῖν, ἀλλὰ μηνῦσαι κακά;

quocum comparari potest Soph. Oed. R. v. 818 sq. ed. Herm.

ᾧ μὴ ξένων ἔξεστι μηδ᾽ ἀστῶν τινα
δόμοις δέχεσθαι, μηδὲ προσφωνεῖν τινα,
ὠθεῖν δ᾽ ἀπ᾽ οἴκων,

et Terentianum illud in Andria III. 5, 18.

Namque hoc tempus praecavere mihi me, haut te ulcisci sinit,

ubi iniuria Bentleius contra omnes codd. *monet* reposuit pro *sinit;* praesertim cum haec haud dubie de graecis sint conversa. Luciani vero locum, qui est Contempl. §. 2. *πάντα μὲν οὖν σε ἰδεῖν καθ᾽ ἕκαστον ἀκριβῶς ἀμήχανόν ἐστιν, ὦ πορθμεῦ· πολλῶν γὰρ ἂν ἐτῶν ἡ διατριβὴ γένοιτο. εἶτα ἐμὲ μὲν κηρύττεσθαι δεήσει, καθάπερ ἀποδράντα, ὑπὸ τοῦ Διός· σὲ δὲ καὶ αὐτὸν κωλύσει ἐνεργεῖν τὰ τοῦ θανάτου ἔργα, καὶ τὴν Πλούτωνος ζημιοῦν, μὴ νεκραγωγοῦντα πολλοῦ τοῦ χρόνου*: non licebit huc vocare, ut recte observavit Hermannus ad Soph. Oed. R. v. 824. p. 155. ed. tert., si haec sit sententia: *te vero* (sc. Jupiter) *impediet quominus opus tuum ne-*

gligas, et Plutonis regno damnum afferas, sed corrigere *κωλύσει οὐκ ἐνεργεῖν*: licebit autem, si referatur *κωλύσει* non ad Iovem, sed ad ea quae facturi sunt: *te vero haec res impediet quominus opus tuum facias et coget Plutonis regno damnum afferre.* Hoc vero posterius ego praeferam, quod omnino non videtur Iovis esse, Charonem observare et punire, si opus suum neglexerit, sed Plutonis potius vel Aeaci. Atque Lucianum quoque sic verba accepta voluisse planum mihi quidem videtur ex iis quae subiicit: *κᾆτα ὁ τελώνης Αἰακὸς ἀγανακτήσει, μηδ' ὀβολὸν ἐμπολῶν.* Quae sic demum recte subiiciuntur, si prioribus Charon ista peregrinatione dicitur impediri quominus opus faciat, non, si a Iove dicatur prohiberi quominus regno Plutonis damnum afferat. Languida saltem sententia videtur, si, postquam significavit Iovem totam rem impediturum fore, quasi maius quid, quod magis revereatur Charon, addatur: etiam Aeacum succensurum, si nihil accipiat. Quare non assentior Hermanno nostro, quod *κωλύσει οὐκ ἐνεργεῖν* praestare dixit. Sed tempus est pedem referre, ne sensim in regiones alienas deferamur. Pergit igitur Isaeus §. 29. sic:

λόγων δὲ πολλῶν γενομένων καὶ ἔχθρας πολλῆς ἔδοξεν ἡμῖν χρῆναι, ἵνα μή ποτε εἴπῃ τις ἐμὲ φιλοχρηματεῖν καὶ ἐχθροὺς ἀδελφοὺς ὄντας αὐτοῦ καθιστάνειν, ἐπιτρέψαι τῷ τε κηδεστῇ τῷ τούτου καὶ τοῖς φίλοις διαιτῆσαι.

Libri omnes *αὐτοῦ*; editores recentiores secuti sunt coniecturam Bremii *αὐτούς*. Quae cum non magis mutationis lenitate quam ipsius sententiae conformatione videatur commendari, pene adducor ut assentiar. Poterit tamen etiam librorum scriptura quodammodo defendi: non quod putem revera plures fuisse Meneclis fratres; recte enim Schoemannus p. 199. ad scholiastae verba, qui in argumento posuit *ἀδελφῶν ἀμφισβητησάντων*, notavit: „rectius dixisset *ἀδελφοῦ ἀμφισβητήσαντος*, nam unum Meneclis fratrem fuisse apparet e §. 21; sed induxit fortasse grammaticum nostrum, quod passim adversarios plurali numero designari videret.“ (cf. §§. 14. 15. 17. 31. 38. 39. 47.) „nimirum filius quoque adversarii, particeps quodammodo caussae paternae, in iudicio aderat.“ Sed arbitror, oratorem de fratre eiusque filio simul loquentem in universum cognationis rationem significaturum recte potuisse *ἀδελφοὺς* eos dicere; namque a potiore, ut aiunt, fit denominatio. Praesertim cum *ἀδελφοὶ* non solum ii dicantur qui

proprie et recte fratres sunt, sed etiam omnino qui propius cognatione accedunt ad aliquem. Sic apud Lucian. dial. mort. XII. 2. Hannibal vocatur Hasdrubalis ἀδελφός, ubi cf. Voigtlaenderus. Latini etiam *fratres* dixerunt simili ratione, cf. Cic. ep. ad. Att. I. 5. ibiq. intpp.

Orat. de Pyrrhi hereditate §. 6. περὶ γὰρ αὐτοῦ τούτου ὁ διαμαρτυρήσας τὴν τῶν ψευδομαρτυριῶν δίκην ἠγωνίζετο, πότερον ἐξ ἐγγυητῆς ἢ ἐξ ἑταίρας ἡ ἀμφισβητοῦσα τοῦ κλήρου τῷ θείῳ γυναικὸς εἴη.

Schoemannus p. 232: „assentior Bekkero in Add. p. 696. γυναικὸς aut tollendum aut cum γυνὴ mutandum esse; cf. §§. 24. et 45.“ Miror profecto hanc dari optionem. Nam quae tandem, quaeso, verborum erit sententia, si γυναικὸς cum γυνὴ permutatum fuerit? An ἡ ἀμφισβητοῦσα γυνὴ nil nisi mulier hereditatem poscens? At vide mihi, quam sic langueat voc. γυνή. Et tum quid fiet verbis τῷ θείῳ? A voc. ἀμφισβητοῦσα non poterunt esse suspensa; ὁ θεῖος enim Pyrrhus est, cuius hereditatem petit mulier, dicens eius se esse filiam iusto connubio procreatam. Neque potest esse dat. pro gen. positus et cum τοῦ κλήρου coniungendus. Neque enim, ut Fr. A. Wolfius ad Dem. advers. Lept. §. 50. (pag. 472, 6.) contendit, omnino frequenter casus tertius pro secundo ponitur, sed habet hoc quoque idioma certam rationem, expositam a Schaefero App. ad Demosth. T. V. p. 484, Buttmanno gr. gr. §. 120. n. 2 sq., Bernhardy p. 88; nostro autem loco neque cur neque quomodo dativo pro genitivo usus sit scriptor expedias. Nisi igitur alia forte huius emendationis est ratio, quae me quidem latet, profecto ferri non poterit. Ad alteram vero quod attinet, velim doceant viri docti, quid consequamur utilitatis voc. γυναικὸς deleto. Mihi quidem ἡ ἐγγυητή, qua dictione usus est orator locis a Schoemanno allatis, quorum facile poterat multo plures etiam afferre, ἡ ἐγγυητή, inquam, mihi quidem prorsus idem videtur significare quod ἡ ἐγγυητὴ γυνή, quam dictionem et ipsam satis frequenter usurpavit orator in eadem oratione; cf. §§. 8. 9. — At contortior est verborum collocatio, si γυναικὸς retineatur. — Non contortior, opinor, sed paullo liberior, quo et numeri fierent aptiores et ea verba, quae viderentur magis esse efferenda, ipsa collocatione maiorem acciperent vim. Quae res non Isaeum modo, sed omnes oratores saepe movit, ut consuetum receptumque verborum ordinem

immutarent. Isaei haec confer eiusdem orationis §. 2. *γνησία θυγατὴρ τοῦ ἡμετέρου θείου ἥκει φάσκουσα εἶναι Φίλη*, quod est: venit Phile dicens se esse filiam. §. 5. *καὶ κληρονόμος ἂν τῶν τοῦ θείου ἡ διαμαρτυρηθεῖσα γνησία θυγατὴρ εἶναι ἀλλ' οὐκ ἂν ἡ ἡμετέρα κατέστη μήτηρ.* §. 11. *καίτοι ὅπου κοινὴν αὐτὴν ὡμολογήκασιν εἶναι τοῦ βουλομένου τὴν γυναῖκα.* Quo loco non assentior Schoemanno, aut *αὐτὴν* aut *τὴν γυναῖκα* deleri iubenti; nemo enim, opinor, haereret, si scripsisset Isaeus: *ὅπου αὐτὴν ὡμολογήκασιν εἶναι κοινὴν τὴν τοῦ βουλομένου γυναῖκα.* Sententia vero, quippe cum in vocab. *κοινὴν* totius argumenti vis inesset, tantum non flagitabat, ut *κοινὴν* initio poneretur. Eo vero loco, unde sumus digressi, eo minus possumus dubitare quin ipse orator consulto istam verborum collocationem praetulerit, quod voc. *γυναικὸς* quovis alio loco positum impediet numerorum suavitatem, hoc solo iuvat. Omissum vero nullo modo velim, quod sic oritur hiatus nullo modo ferendus. Isaeum vero, etsi hiatum non ea evitavit diligentia qua Isocratem constat, tamen vix crediderim tale quid admissurum fuisse, quale est *τῷ θείῳ εἴη*, praesertim in fine periodi, ubi talia multo magis laedunt aures.

Ibid. §. 8. *ἐπιθυμῶ δὲ πρῶτον μὲν περὶ αὐτοῦ τούτου πυθέσθαι, ἥντινά ποτε προῖκά φησιν ἐπιδοὺς ἐκδοῦναι τὴν ἀδελφὴν ὁ μεμαρτυρηκὼς τῷ τὸν τριτάλαντον οἶκον κεκτημένῳ· εἶτα πότερον ἡ ἐγγυητὴ γυνὴ ἀπέλιπε τὸν ἄνδρα ζῶντα, ἢ τελευτήσαντος τὸν οἶκον αὐτοῦ, καὶ παρ' ὅτου ἐκομίσατο τὴν τῆς ἀδελφῆς προῖκα οὗτος, ἐπειδὴ τετελευτηκὼς ἦν ᾧ μεμαρτύρηκεν οὗτος αὐτὴν ἐγγυῆσαι,* (§. 9.) *ἢ, εἰ μὴ ἐκομίζετο, ὁποίαν δίκην σίτου ἢ τῆς προικὸς αὐτῆς ἐν εἴκοσιν ἔτεσι τῷ ἔχοντι τὸν κλῆρον δικάσασθαι ἠξίωσαν, ἢ εἴ που ἀνθρώπων ἐναντίον προσῆλθεν ἐγκαλῶν τῷ κληρονόμῳ περὶ τῆς προικὸς τῆς ἀδελφῆς ἐν χρόνῳ τοσούτῳ.*

Dicendum est primum de verbis *περὶ αὐτοῦ τούτου*, de quibus dubitavit Schoemannus; notavit enim: „Reiskius *παρ'*, quod magnopere arridet; cf. Bast. comment. palaeogr. p. 830.“ *παρὰ* et *περὶ* permutata esse interdum a librariis et dictum est loco allato et notatum aliis haud paucis, neque de eo quisquam dubitabit. Sed *παρὰ* si magnopere arridet, videtur *περὶ* parum placuisse; quare de hoc quid videatur statuendum quaeramus. Ac *περὶ* quidem cur improbetur, fateor me probabilem aliquam caussam non posse invenire. Neque enim in

ipsa structura πυθέσθαι περί τινος est quod haereamus, cf. §. 9. περί τε οὖν τούτων ἡδέως ἂν πυθοίμην et quae Schoemannus de dictione θαυμάζειν περί τινος aliisque similibus ad eiusdem orationis §. 28. p. 244. tradidit, neque quod περὶ αὐτοῦ τούτου dixit reprehendi posse videtur. Recte enim dicitur *hoc ipsum scire volo*, cum res primaria, unde vel maxime cognoscatur, fueritne vere desponsa Pyrrho mulier necne, afferatur, quam deinde alia minus gravia excipiunt. Contra si παρ' αὐτοῦ τούτου scribatur, est quod offendat. Namque ut recte hoc diceretur, debebant oppositi esse alii quidam, a quibus vel ante accepisset vel post posset audire. Quae oppositio cum hic nulla sit, dicendum erat simpliciter παρὰ τούτου. Quare mihi quidem magnopere arridet, quod libri mss. praebent omnes: περὶ αὐτοῦ τούτου. Similiter Reiskius περὶ praepositionem mutari voluit §. 9. his in verbis: ἡδέως ἂν πυθοίμην, ὅ τι πότ' ἦν τὸ αἴτιον τοῦ μηδὲν τούτων γεγενῆσθαι περὶ τῆς ἐγγυητῆς (ὡς μεμαρτύρηκεν οὗτος) γυναικός, et §. 55. δῆλον γὰρ ὅτι — ζῶντι ἂν τῷ Ἐνδίῳ ἠμφισβήτησε περὶ τῆς γνησίας θυγατρὸς τῶν πατρῴων. Ac priore quidem loco mutandam non esse praepositionem neque cum παρὰ neque cum ὑπὲρ bene docuit Schoemannus. Altero autem nescio quomodo et Bekkerus et Schoemannus contra omnes libros ediderunt ὑπὲρ τῆς γνησίας θυγατρὸς τῶν πατρῴων. Verum enim ἠμφισβήτησε περὶ τῶν τῆς γνησίας θυγατρὸς πατρῴων recte dici non vereor ne quisquam neget; et verborum collocatio est illa quidem paullo rarior, sed minime insolens. ἀμφισβητεῖν praepositioni περὶ iunctum legitur nostrae orationis §. 61. τοῖς μὲν γὰρ — οὐδεὶς ἂν δήπου ἀμφισβητήσειε περὶ τῶν πατρῴων; cf. Isocrat. Paneg. §. 71. Eandem autem verborum collocationem habemus in ipsa oratione nostra §. 43. δοκεῖ ἂν ὑμῖν ὁ μεμαρτυρηκὼς ἐγγυῆσαι ἐπιτρέψαι ἄν τι τούτων γενέσθαι καὶ οὐκ ἂν ἐπὶ τοῦ κλήρου τῇ λήξει ἀμφισβητῆσαι ἄν; cf. Andocid. de myster. §§. 15. 34. — De plurali ἠξίωσαν haec habet Schoemannus p. 233: „paullo post ne quem offendat pluralis numerus: δικάσασθαι ἠξίωσαν, non solus Nicodemus, sed una cum Nicodemo etiam soror, cuius illi causa agenda erat aut (?) sororis filia eiusque maritus Xenocles designantur.“ Non arbitror his satis defensum numerum pluralem; imo cum et supra et infra omnia sint numero singulari exposita et ad Nicodemum solum relata, hic quoque

oratorem numero singulari usum ἠξίωσεν dixisse persuasum habeo.

Ibid. §. 23. τοιαῦτα μὲν τὰ τούτων· οἷς οὐδ᾽ ἂν περὶ ὁτουοῦν πιστεύσειεν ἄλλος οὐδείς.

Sic libri AB, Editores omnes ἄλλου οὐδείς, quod, si quid ex silentio recte concluditur, inventum est in LZ. Nollem librorum optimorum auctoritatem neglectam. Nam si quid video, praestat quod legitur in libris istis quam quod receptum est ab editoribus. Gravius enim dicitur: tales sunt, *quibus ne de re tantilla quidem credat alius quisquam*, nedum graviore de caussa nos et iudices; quam *quibus ne de ulla quidem alia re quisquam fidem habeat.*

Ibid. §. 24. ἴσως γὰρ ἦν νὴ Δία πάρεργον καὶ φαῦλον, περὶ οὗ τὴν ἐκμαρτυρίαν παρὰ τοῦ Πυρετίδου φασὶ ποιήσασθαι οὗτοι, ὥστε οὐδὲν θαυμαστὸν ὀλιγωρηθῆναι ἦν τὸ πρᾶγμα. καὶ πῶς; ὥστε περὶ αὐτοῦ τούτου ὁ ἀγὼν ἦν ὁ τῶν ψευδομαρτυριῶν, ὃν Ξενοκλῆς ἔφευγεν, ἢ ἐξ ἑταίρας ἢ ἐξ ἐγγυητῆς τὴν αὑτοῦ γυναῖκα εἶναι.

Quo huius loci caussa facilius rectiusque perspiciatur, brevi complectar quasi iter totius argumentationis. Xenocles Pyretidae cuiusdam absentis testimonio usus erat, quo Philae, uxoris suae, matrem a Nicodemo legitime Pyrrho fuisse desponsam probaret. Quo in genere testimoniorum quum omnes uterentur testibus quam plurimis et probatissimis, Xenocles duos tantum, quibus usus esset, testes attulerat, eosque neque notos satis neque fidei spectatae. Quod cum per se movere falsi testimonii suspicionem, tum hac in caussa eo sibi videri gravius dicit orator, quod isto in testimonio totius rei cardo versetur, non leviora quaedam, quae commode negligentius potuerint tractari. Haec postrema orator iis quae supra ascripsi verbis complexus est. Sed interpretibus ὥστε particula, quae post καὶ πῶς; legitur, de corruptela suspecta fuit, mutaruntque eam secuti Reiskium cum ὧγε. Qua de re quid sit statuendum quaeritur. Ac primum quidem si me interroges, num pro corrupto locum habeam necne, id quidem neque negare ego audeam neque affirmare. Sententiam enim si spectamus, videtur καὶ πῶς; commode posse vel debere etiam sic accipi: καὶ πῶς πάρεργον καὶ φαῦλον ἦν τὸ πρᾶγμα; quod sine interrogatione sic efferas: οὕτως ἦν πάρεργον καὶ φαῦλον τὸ ἔργον, ut commode istam interrogationem, quod attinet ad

sententiam, ὥστε videatur excipere posse. *Ita res parvi fuit, ut summa totius caussae in isto testimonio posita esset.* Quod oxymoron significat: *tantum abfuit ut res parvi esset ducenda, ut totius rei summa in ea esset.* Atque sic quidem ὥστε non modo non alienum ab hoc loco videtur, sed vel maxime oratoriam quandam habere virtutem. At nondum potui locum satis similem invenire, atque nisi forte alii habeant quo probent ὥστε sic usurpatum, vereor ne tamen ad coniecturam sit confugiendum. Nam difficile sane sine exemplis tali de re cum sibi tum aliis persuadere. Si igitur coniectura locus fuerit sanandus, age videamus, qua id fieri possit commodissime. Reiskii quidem emendationem probare ego non queo. Etsi enim recte ᾧγε possit scribi, quanquam supra orator numero plurali (φασὶν οὗτοι) usus erat, — plures enim si sunt adversarii, modo omnes licet vocare, modo eum solum contra quem potissimum disputatur, — tamen ᾧγε ὁ ἀγὼν ἦν, ὃν Ξενοκλῆς ἔφευγεν, cum ᾧγε et ipsum referatur ad Xenoclem, mea quidem opinione nullo pacto potuit dici. Quos Thucydidis locos et Xenophontis Schoemannus attulit, eos nego ad nostram rem quidquam facere. Isti enim carent offensione, quia nomine, quod poterat abesse, posito vel adiuvatur orationis perspicuitas, vel certe non impeditur. Sed longe secus est nostro loco, ubi nomen Ξενοκλῆς post ᾧγε illatum perturbat omnem loci rationem. Efficit enim, ut et auditores et lectores ᾧγε potius ad alium quempiam quam ad Xenoclem referendum esse censeant. Quare scribendum videtur potius οἷσγε, quod neque ad litterarum apices violentius est immutatum, et ad sententiam dicitur aptissime, cum caussa ista a Xenocle acta quodammodo etiam ad Nicodemum socium eius in ea re pertinuerit, et in antecedentibus etiam uterque sit coniunctus; ὅσγε autem inprimis frequens post tales interrogationes: καὶ πῶς; πῶς γάρ; πῶς γὰρ οὔ; vide Antiph. V. §. 41. Demosth. c. Timocr. p. 700. §. 2.

Ibidem oratoris verba sic continuantur: εἶτα ἐπὶ ταύτην ἂν τὴν μαρτυρίαν, εἰ ἦν ἀληθής, οὐκ ἂν ἅπαντας τοὺς οἰκείους τοὺς ἑαυτοῦ παρακαλεῖν ἐκεῖνος ἠξίωσεν; (§. 25.) ναὶ μὰ Δία, ὡς ἐγὼ ᾤμην, εἴ γε ἦν ἀληθὲς τὸ πρᾶγμα. οὐ τοίνυν φαίνεται. ἀλλ' ὁ μὲν Ξενοκλῆς πρὸς τοὺς ἐπιτυχόντας δύο ἐκμαρτυρησάμενος τὴν μαρτυρίαν ταύτην, Νικόδημος δὲ οὗτος ἕνα μόνον μάρτυρα προσκαλέσας μεθ' ἑαυ-

τοῦ τῷ τὸν τριτάλαντον οἶκον κεκτημένῳ ἐγγυῆσαί φησι τὴν ἀδελφήν.

Nulla hic ex librorum auctoritate videtur de eo quod receptum est dubitatio moveri posse. Legitur quidem in codd. *τὴν μαρτυρίαν ταύτην, Νικόδημος δὲ οὗτος ἦν. ἵνα κτλ.* et apud Aldum, si fides Schoemanno *), *τὴν μαρτυρίαν ταύτην ἣν Νικόδημος δὲ οὗτος ἵνα* etc. Sed illa librorum scriptura vel corruptela est ex dittographia quam dicunt orta, vel quod magis credam, librarii, qui loci sententiam parum perceptam haberet, emendatio perversa. Aldi vero scripturam pro mero typothetae errore habeo. Sed quod ad sententiam attinet, sane disceptari videtur posse. Primum enim mihi quidem valde displicent verba: *οὐ τοίνυν φαίνεται,* quae et sunt ambigua — duplici enim ratione possunt accipi, vel *res igitur non videtur vera esse*, vel *non videtur Xenocles familiares quam plurimos advocasse* — et, utut ea interpretamur, mirum quantum languida; neque enim ipsam iuvant argumentationem, neque ad orationis vim ornatumque quicquam conferunt. Mihi quidem glossema redolent librarii aptam antecedentium conclusionem desiderantis, nec dubito quin non sint ab ipso Isaeo addita; sicut ne infra quidem §. 34. in consimili sententia: *πολύ γε μάλιστ' ἄν, εἰ ἦν ἀληθὲς τὸ πρᾶγμα,* otiosum illud *οὐ τοίνυν φαίνεται* adiectum legitur. Altera subnascitur dubitatio de ratione qua participium *ἐκμαρτυρησάμενος* sit explicandum. Schoemannus repeti iubet *φαίνεται*; quod ego, si vel maxime scripserat Isaeus *οὐ τοίνυν φαίνεται,* tamen non possum assentiri. Nam si sunt ista re vera Isaei, utut ea interpretamur, — praefero autem sic, ut vis eorum sit: *non igitur vera res videtur;* — non ita ea cohaerent sequentibus, ut commode *φαίνεται* ad part. *ἐκμαρτυρησάμενος* possit repeti mente; nimis dura enim atque hiulca sic oritur orationis conformatio. Imo arbitror participium *ἐκμαρτυρησάμενος* per quandam sive contractionem sive attractionem similiter atque *προσκαλέσας* a subsequentibus pendere. Scilicet sic proprie totus locus fuit concludendus: *at Xenocles duobus ἐκμαρτυρίας testibus, Nicodemus vero uno tantum desponsionis usi contendunt, Philae matrem Pyrrho*

*) Apud Bekkerum nihil de ista Aldi scriptura notatum video, nisi forte, quod ibi refertur ad §. 24. l. 6. *ταύτην ἣν ς.*, id ad §. 25. l. 4. potius referendum est.

rite desponsam fuisse. Orator autem, cum Nicodemum postremum commemorasset, ita convertit orationem, ut diceret, quod sane, ad ipsa verba quod attinet, soli Nicodemo aptum est, ad sententiam autem et rationem, quam secutus ita fecit, sine ulla difficultate ad Xenoclem quoque trahitur. Nam hic quoque absentis testimonio usus erat, ut Philae uxoris matrem legitime Pyrrho desponsam probaret.

Ibid. §. 45. *περὶ μὲν οὖν τῆς διαδικασίας ἔχοι ἄν τις ψεῦδος προφασίσασθαι πρὸς ὑμᾶς· ἢ γὰρ λαθεῖν ἡμᾶς προσποιήσαιτ' ἂν οὗτος, ἢ καὶ ψεύδεσθαι αἰτιῷτ' ἂν ἡμᾶς. τοῦτο μὲν οὖν παρῶμεν.*

Pro *διαδικασίας* Reiskius coniecerat *ἐπιδικασίας* scribendum esse, et probarunt hanc coniecturam Meierus de lite Att. p. 465, Schoemannus ad h. l. Ac sane quidem, quod *διαδικασίαν* fuisse negant, recte faciunt; negatur enim ab ipso actore. Neque tamen, ni fallor, id poterit efficere, ut nostro loco recte videatur *διαδικασίας* mutari in *ἐπιδικασίας*. Imo vero, nisi forte sententiae ratio a me parum est percepta, *διαδικασίας* omnino fuit dicendum. Nam si *ἐπιδικασίας* scribatur, haec erit verborum vis: *de ista* (Endii) *ἐπιδικασίας actione falsa quaedam quis possit afferre; possit enim contendere, vel nobis rem esse incognitam, vel nos de industria mentiri.* At quidnam, quaeso, illud est, quod adversarius actorem dicat sive nescire sive mentiri? Num factam esse omnino *ἐπιδικασίαν*? At hoc quidem non poterat; Endius enim nisi ista actione instituta bona non potuit possidere; possederat autem, itaque manifesta res erat, neque poterat negari etiam *ἐπιδικασίαν* fuisse ab eo institutam. An Nicodemum iam tum contra Endium petiisse? At hoc si factum esse adversarius dicat, *διαδικασία* fuit; quare ex mente adversarii tum omnino fuit dicendum *διαδικασίας*. Et credo equidem sic dixisse Isaeum hac quidem sententia: *quod ad διαδικασίαν attinet* (quae quidem tum fuit instituenda statim Nicodemo, a me autem negatur esse instituta), *falsa quaedam adversarius possit afferre ac dicere vel nos ignaros esse rei, vel adeo mentiri;* id est, possit Nicodemus dicere, quod falsum diceret et contra quam factum est, institutam esse a se *διαδικασίαν*, nos vero vel nescire vel temere negare. Alia prorsus est ratio loci, qui infra legitur §. 70, ubi postquam exposuit, Pyrrhi patruos, si ipsis esset a Pyrrho mandatum, ut Philae tamquam Pyrrhi

filiae legitimae iura tuerentur, non debuisse permittere, ut Endius spreto eius connubio hereditate potiretur, haec subiicit: ἀλλ' ὦ 'γαθέ, τοῦτο μὲν (τὴν Ἐνδίου ἐπιδικασίαν) καὶ λαθεῖν φήσαιτ' ἂν ὑμᾶς, i. e. at dicere possitis, vobis non innotuisse, cum Pyrrhi hereditas ab Endio peteretur, et propterea tum quidem, quod ad tuendam filiam a vobis factum oportebat, fuisse praetermissum. Quem locum quomodo cum nostro potuerit comparare Schoemannus profecto non assequor. Sed est quod magis me offendat hoc loco. Scilicet supra orator, quae Phile ex legitimo connubio procreata erant facienda, ea a Nicodemo facta negaverat; testimoniis enim allatis probaverat, ἐπιδικασίαν tum statim ab Endio esse institutam, διαμαρτυρίαν autem, hereditatem non posse capi, quod filia exstaret legitima ἐπίκληρος, a Nicodemo non interpositam, nullam igitur, cum Endius hereditatem adiret, fuisse διαδικασίαν. Hoc vero loco subiicit, posse ad haec Nicodemum respondere, de ista, quae sibi instituenda fuerit, διαδικασίᾳ, cum Endius ἐπιδικασίαν faceret, actorem vel propter ignorationem rerum tum quidem gestarum vel dolo malo falsa quaedam retulisse, et tum: τοῦτο μὲν οὖν παρῶμεν. At nonne permirum et pene incredibile, afferri excusationem adversarii, quae argumentum totum funditus evertat ac tollat, et commemoratam negligi ab actore, quam aut non commemorari aut commemoratam refutari oportebat. Neque ad haec sic poterit responderi, abunde rem esse probatam antecedentibus, his autem transitum ad nova parari. Hoc enim imprudentis, ne dicam insipientis, videtur, ita transire ad nova, ut priora reddas suspecta; quod fit, si dicas, quae probaveris non facta esse, ea adversarium posse dicere esse facta, neque falso hoc dictum iri ostendas. Quare nisi forte maior hic lateat corruptela, quod non crediderim, fatendum erit, non admodum scite ab oratore transitum ad nova argumenta esse inventum. Neque verendum erit ne iniuriam faciamus Isaeo, quem non raro dixisse quae vel prorsus erant omittenda vel alio modo tractanda docemur etiam veterum testimonio, quod scholiasta, qui genus et vitam descripsit, servavit his: Ἰσαῖος δὲ καὶ ὑπὲρ ἀγαθῶν λέγων ὕποπτος ἦν. Atque in iis quoque orationibus, quas reliquas habemus, quaedam sic disputantur, ut propter ipsas argutias iudicibus paullo attentioribus non tam persuadere quam suspiciones debuerint movere. Velut de Cleonymi hereditate §. 44

sqq. actor inde vult probare, suam potius esse hereditatem quam adversariorum, quod istorum bona, si decessissent, non ad Cleonymum, sed ad ipsorum liberos pervenissent, sua vero, *quod ipse liberis careat*, potuissent ad Cleonymum pervenire. Quo argumento quidnam, quaeso, potuit excogitari, non quod minus iuvaret, sed quod magis noceret? Nam profecto ad talia qui confugit ipse caussam suam reddit suspectam. Item inepta superlatione est usus, quod de Pyrrhi hered. §. 34. patrem commemoravit, quem bene docuit Schoemannus omittendum fuisse. Quem locum si sic cum Schoemanno velis defendere, ut auditoribus duntaxat, non lectoribus talia scripta dicas, vide quid agas. Etenim plus incommodi affert eiusmodi superlatio animadversa a iudicibus quam non animadversa utilitatis. Porro de Philoctemonis hereditate §. 52. miro modo sic loquitur, quasi Philoctemonis, non Euctemonis bona petantur ab adversariis. De Nicostrati hereditate vero §. 2 sqq. pene rabulae instar disputat, quem locum animi caussa ascribam. *Ἄγνων μὲν γὰρ οὑτοσὶ καὶ Ἀγνόθεος Θρασυμάχου ἐπεγράψαντο τὸν Νικόστρατον, καὶ ἑαυτοὺς ἐκείνῳ ἀνεψιοὺς ἀποφαίνουσι, καὶ τούτων μάρτυρας παρέχονται·* (§. 3.) *Χαριάδης δὲ καὶ οἱ συνδικοῦντες αὐτῷ Σμίκρου μὲν πατρὸς εἶναί φασι τὸν Νικόστρατον, ἀμφισβητοῦσι δὲ τοῦ Θρασυμάχου υἱοῦ κλήρου. καὶ οἵδε μὲν οὐδὲ προσποιοῦνται ἐκείνου τοῦ ὀνόματος οὔτε γιγνώσκειν οὔτε προσήκειν αὐτοῖς· φασὶ μὲν οὖν εἶναι Θρασυμάχου Νικόστρατον, τούτου δὲ ὁμοίως τῆς οὐσίας ἀμφισβητοῦσι.* (§. 4.) *καὶ εἰ μὲν τὸ ὄνομα πατρόθεν τὸ αὐτὸ ὡμολόγουν εἶναι τοῦ Νικοστράτου, περὶ δὲ τοῦ κλήρου μόνου διεφέροντο, οὐδὲν ἂν ἔδει ὑμᾶς σκέψασθαι ἀλλ' εἴ τι διέθετο ἐκεῖνος ὁ Νικόστρατος, ὃν ἀμφότεροι ὡμολόγουν· νῦν δὲ πῶς οἷόντε τῷ ἀνδρὶ δύο πατέρας ἐπιγράψασθαι; τοῦτο γὰρ Χαριάδης πεποίηκεν· αὐτός τε γὰρ ἔλαχε τοῦ Σμίκρου Νικοστράτου, τούτοις δὲ τοῦ Θρασυμάχου λαχοῦσι παρακατέβαλεν ὡς τὸν αὐτὸν ὄντα.* Toto enim hoc loco mutatis mutandis adversarii etiam uti potuerunt. At vero his fallaciarum laqueis iudices nisi vel parum attenti vel admodum imperiti decipi vix potuerunt; nec videntur Attici his saepenumero decepti, siquidem Isaeus re vera suspectus ipsis fuit orator.

Ibid. §. 60. *ὅσοι μὲν καταλίπωσι γνησίους παῖδας ἐξ αὐτῶν, οὐ προσήκει παισὶν ἐπιδικάσασθαι τῶν πατρῴων· ὅσοι δὲ διαθήκαις αὐτοὶ εἰσποιοῦνται, τούτοις ἐπιδικάζεσθαι προσ-*

ἥκει τῶν δοθέντων. (§. 61.) τοῖς μὲν γάρ, ὅτι γόνῳ γεγόνασιν, οὐδεὶς ἂν δήπου ἀμφισβητήσειε περὶ τῶν πατρῴων· πρὸς δὲ τοὺς εἰσποιήτους ἅπαντες οἱ κατὰ γένος προσήκοντες ἀμφισβητεῖν ἀξιοῦσιν. ἵνα οὖν μὴ παρὰ τοῦ ἐντυχόντος τῶν κλήρων αἱ λήξεις τοῖς ἀμφισβητεῖν βουλομένοις γίγνωνται, καὶ μὴ ὡς ἐρήμων τῶν κλήρων ἐπιδικάζεσθαί τινες τολμῶσι, τούτου ἕνεκα τὰς ἐπιδικασίας οἱ εἰσποίητοι πάντες ποιοῦνται.

Manifestum est, verbis postremis afferri rationes, cur filii adoptivi hereditates adituri *ἐπιδικασίας* instituant, quasque ista actione consequantur utilitates. Iam vero Schoemannus, si filii adoptivi dicantur uti actione ista, ut alii quicunque a petenda hereditate prohibeantur, falsam afferri rationem contendit. Neque enim quemquam quominus cum filio adoptivo de hereditate decertaret ista actione prohibitum esse, quin imo cum fieret *ἐπιδικασία* et postea quam diu viveret heres et quinquennium post eius mortem per leges omnibus fuisse concessum petere hereditatem *). Tum vero etiam dativum *τοῖς ἀμφισβητεῖν βουλομένοις* negat sic posse accipi ut sit *contra petitores*, primum quod hoc propter sermonis graeci consuetudinem dicendum fuerit potius *πρὸς τοὺς ἀμφισβητεῖν βουλομένους*, tum quod is qui dicitur *ὁ ἐντυχὼν* ipse sit *ἀμφισβητεῖν βουλόμενος*, ut haec non possint recte opponi inter se. Quibus difficultatibus ut occurreret, scribendum esse coniecit particula *μὴ* eiecta: *ἵνα οὖν παρὰ τοῦ ἐντυχόντος τῶν κλήρων αἱ λήξεις τοῖς ἀμφισβητεῖν βουλομένοις γίγνωνται* etc. Quae sic interpretatus est: *ut a quolibet* (*etiam extraneo*) *instituendae actionis* (*λήξεως*) *facultas fiat omnibus*, *quicunque contendere velint.* Quam vim ut scriptoris verbis subiicere liceret, sumpsit verba *τοῖς ἀμφισβητεῖν βουλομένοις* sic esse referenda duarum sententiarum quasi confusione ad *παρὰ τοῦ ἐντυχόντος*, ut proprie dicendum fuerit vel *ἵνα οὖν καὶ τοῖς ἐντυχοῦσι — τοῖς ἀμφισβητεῖν βουλομένοις*, vel *ἵνα καὶ παρὰ τοῦ ἐντυχόντος — τοῦ ἀμφισβητεῖν βουλομένου.*

---

*) Cf. Isae. de Nicostr. hered. §. 11. *ἅπασι τῶν ἀλλοτρίων ἁπάντων ἀμφισβητεῖν ἔξεστι*, de Philoct. hered. §. 3. *ἐξὸν ἀμφισβητῆσαι Ἀθηναίων τῷ βουλομένῳ*, Demosth. adv. Olymp. §. 10. *οἱ γὰρ νόμοι κελεύουσι τὸν βουλόμενον ἀμφισβητεῖν.* Meier. et Schoem. de lit. Att. p. 463. De quinquennii praescriptione vide quae caute et circumspecte disseruit Schoem. prooemio ad Isae. de Aristarch. hered. p. 432 sqq., contra Platner. de lit. et act. II. p. 327.

At primum quidem ipsam mutandi rationem probare non queo. Nego enim Isaei verba, quae leguntur in libris mss., non posse aliam habere vim nisi hanc, adoptivos ἐπιδικασίας instituere, ut alii quicunque a petenda hereditate excludantur. Deinde vero non concedo, istam quam dicunt duarum constructionem confusionem locum posse habere. Nam si excipias eas structuras, quas iniuria isto nomine olim appellarunt, velut quam supra attigimus: οὕτως ἔχετε τὴν γνώμην ὡς ἰόντος ἐμοῦ, vel quae reperitur apud Antiph. I. §. 17. ἔδοξεν αὐτῇ — δοῦναι — ἅμα διακονοῦσα, de qua multi multis locis uberius exposuerunt, id genus alia: qui supersunt loci, quibus istam dicendi formam iure dicas adhibitam esse, nisi corrupti, tales sunt, ut iusta ubivis mutatae structurae intelligatur caussa. Hic vero quam ob rem putemus dativum in appositione esse positum pro genitivo? Nulla est profecto. Denique ut accipiamus istam casuum enallagen, quam olim quidam quasi machinam quandam, quae incredibilia posset credibilia facere, locis implicatioribus admovebant, quamnam tandem habebimus sententiam? Profecto talem, quam nemo probet. Hoc enim quid sit: facultas a *quolibet instituendae* actionis fit *omnibus quicunque contendere velint?* Quomodo tandem aliquis habere potest facultatem actionis a quolibet instituendae? Atque si hoc dicere voluit Schoemannus, ἐπιδικασίαν institutam esse eo consilio ab heredibus, ut omnibus, quicunque vellent, liceret eandem petere hereditatem, videat ne actionem ab heredibus institutam esse dixerit, qua sibi non solum nihil afferrent utilitatis, sed etiam plures moverent difficultates. Quomodo autem omnino actio ista institui potuit, ut cuique liceret petere hereditatem, cum id licuerit vel neglecta actione ista? An quisquam credat non potuisse a quoquam peti hereditatem, nisi ἐπιδικασίαν instituisset is, qui testamento esset adoptatus?

Quae cum ita sint, Schoemanni disputationem Schillero, qui in iis, quae ad Sluiteri lectt. Andoc. p. 104. scripsit, eundem locum attigit, non esse probatam non miror. Sed qua ipse vir amicissimus ibi usus est descriptione magis sententiae quam translatione, eam nollem adiectam; multa enim insunt quibus merito offendaris. Scripsit autem haec: „ne concursus eorum, qui facile excitari possint praeconis provocatione, nimis magnus fiat, necessitas postulat, praecipue οἱ κατὰ γένος

προσήκοντες et si qui sint εἰσποίητοι, petant hereditatem. alioquin res diuturna fit et ὁ κλῆρος facile ἔρημος fieri potest, ita ut iudices ipsi nesciant, cuinam tandem tribuant hereditatem.“ At pervelim docuisset amicus, primum: quae fuerit ista praeconis provocatio, qua, si filii adoptivi vel cognati eius qui decesserat hereditatem non petebant, nimius competitorum concursus potuerit excitari; tum: quomodo instituta petitione ista concursus ille potuerit imminui; deinde: quemnam ipse putarit κλῆρον dici ἔρημον; denique: quinam et unde sint iudices illi, qui tali in caussa nesciant cuinam tandem tribuant hereditatem. Etenim post ἐπιδικασίαν institutam demum et ipsa λῆξις exposita est in tabula atque in proxima quaque populi concione recitata, post ἐπιδικασίαν institutam certis diebus pronuntiabatur per praeconem formula ista, quam praeconis provocationem vir doctissimus videtur intellexisse: εἴ τις ἀμφισβητεῖν ἢ παρακαταβάλλειν βούλεται τοῦ κλήρου τοῦ δεῖνος ἢ κατὰ γένος ἢ κατὰ διαθήκας; cf. Meier et Schoem. de lit. Att. p. 463. Si quis igitur, cuius erat ἐπιδικάζεσθαι, id negligebat, neque alius quisquam eandem petebat hereditatem; quod vereor sane ne nunquam fere acciderit; qua enim hodie flagrant homines habendi cupiditate, eadem istis temporibus videmus incensos fuisse; — nulla erat praeconis provocatio. Porro vero ipsa rei natura ferebat, ut instituta petitione, quam sequebatur libelli istius recitatio coram populo et praeconis provocatio, plures rem cognoscerent quam neglecta. Quo autem plures animadvertebant esse quod aliquo nomine peterent, eo plures haud dubie ad petendum confluebant. Quare etsi heredes, cum instituerent istam actionem, neutiquam id fecerunt eo consilio, ut adversus plures ipsis esset dimicandum, tamen tantum abest ut imminutus videatur ista actione competitorum concursus, ut eum augeri tantum non fuerit necesse. Deinde κλῆρος ἔρημος mea quidem opinione non potest dici nisi is quem nemo possidet, quo nemo utitur. Atqui possidet et utitur non solum is cui hereditatis possessio iudicum sententia est confirmata, qui dominium habet, sed is quoque qui vel contra ius fasque arripuit vel utitur sine iudicii confirmatione, quod genus, ni fallor, detentionem appellant iuris periti. Quod nisi ita haberet, filii iusto connubio procreati, qui non utebantur ἐπιδικασίας actione, nunquam possedissent bona paterna. Quare si heres, quem ἐπιδικάζεσθαι

oportebat, neglexerat id quidem, utebatur tamen hereditate, non erat ἔρημος ὁ κλῆρος re vera; possidebatur enim; sed poterat ab aliis *quasi* vacuus possessore, ὡς ἔρημος, peti ἐπιδικασίας actione, idque haud dubie heredibus pericula ciebat maiora quam si hereditatem iudicum edicto confirmatam eripere quis eis conaretur. Quapropter omnes heredes, exceptis filiis legitimis, et adoptatis iis qui ante patris adoptativi obitum erant adoptati *) et iusta ratione omnibus, quorum inter-

---

*) Meier l. l. p. 461. sq. ita disseruit: *Dieser Grundsatz fand selbst dann seine Anwendung, wenn Jemand durch Testament adoptirt zu sein behauptete; ob aber auch in dem Falle, wenn Jemand von dem Verstorbenen lange vor dessen Tode adoptirt, von ihm selbst in die Phratrie, das Geschlecht, den Gau eingeführt worden und als Adoptivsohn allgemein anerkannt war, der Adoptivsohn erst einen Antrag beim Archon machen musste* (ἐπιδικάζεσθαι), *und nicht vielmehr wie ein natürlicher Sohn sich durch blosse Embateusis in den Besitz der Erbschaft setzen konnte, weiss ich nicht. Isae. E. d. Pyrrh.* 53, 5. (§. 61.) τὰς ἐπιδικασίας οἱ εἰσποίητοι πάντες ποιοῦνται, *kann mit Einschränkung verstanden werden.* Certiora de his praecipi potuisse censeo. Primum enim, quem affert locum de Pyrrhi hereditate, is non potest tantum sic accipi, ut non omnes omnino intelligantur filii adoptivi, sed est ita accipiendus. Supra enim §. 60. dixerat orator: ὅσοι δὲ διαθήκαις αὐτοὶ εἰσποιοῦνται, τούτοις ἐπιδικάζεσθαι προσήκει. Quare non dubito quin etiam §. 61. intelligat orator πάντας τοὺς διαθήκαις εἰσποιήτους. Sed praeterea certiora habemus argumenta, filios, qui vivo etiamtum patre essent adoptati, sine epidicasia dominium accepisse. Isae. de Apoll. hered. §. 1. ᾤμην μέν, ὦ ἄνδρες, προσήκειν οὐ τὰς τοιαύτας ἀμφισβητεῖσθαι ποιήσεις, εἴ τις αὐτὸς ζῶν καὶ εὖ φρονῶν ἐποιήσατο καὶ ἐπὶ τὰ ἱερὰ ἀγαγὼν εἰς τοὺς συγγενεῖς ἀπέδειξε καὶ εἰς τὰ κοινὰ γραμματεῖα ἐνέγραψεν, ἅπανθ᾽ ὅσα προσῆκεν αὐτὸς ποιήσας, ἀλλ᾽ εἴ τις τελευτήσειν μέλλων διέθετο, εἴ τι πάθοι, τὴν οὐσίαν ἑτέρῳ, καὶ ταῦτ᾽ ἐν γράμμασι κατέθετο παρά τισι σημηνάμενος. Satin' aperte significat, ius eorum, qui ita essent adoptati, non posse in dubitationem vocari? At si certum et indubitatum ius istorum filiorum, ut nemo videatur cum iis de hereditate decertare posse, cur tandem utantur ἐπιδικασίας actione? Poterant, si quis tamen peteret eandem hereditatem, interponere διαμαρτυρίαν, non posse peti hereditatem (cf. Meier et Schoem. l. l. p. 465.), quod ipsum factum videmus a Meneclis filio adoptivo, cum Meneclis frater epidicasia instituta ei conatus esset eripere hereditatem; qui §. 2. se probaturum promittit, ὡς οὐκ ἔστιν ἐπίδικος ὁ κλῆρος ὁ Μενεκλέους. At si non est ἐπίδικος hereditas, non est quod ἐπιδικασία instituatur. Sin tamen aliquando videmus factum, ut tales vel uterentur epidicasia vel aliorum petitiones

erat haec nosse indicati, atque ab his ipsis agniti, exceptis igitur iis, de quorum iure in bona paterna nulla poterat moveri dubitatio, ista actione utebantur. Denique si neque heres epidicasia usus erat neque alius quisquam, nulla poterat esse de hereditate disceptatio, nullus igitur locus iudicibus, qui nescirent cui tribuerent hereditatem. Possidebat enim qui arripuerat. Quodsi colligimus, quae modo a me sunt exposita, hoc arbitror effectum esse, ut non possit dubitari quin parum perspectam amicus totius loci rationem habuerit.

Neuter igitur cum sic locum videatur tractasse, ut nihil reliqui fecerit dubitationis, age videamus primum, quid fere fuerit dicendum. Quod si fuerit inventum, revertamur ad verba quae posita sunt in libris mss., eaque videbimus possintne id quod quaerimus significare.

Heredis igitur petitio (*λῆξις*), ascriptis quibus peteretur hereditas nominibus, exposita est in tabula et recitata in concione populi, quae prima erat postquam petitionis libellus delatus erat, denique a praecone die constituta pronuntiabatur formula ista: *εἴ τις ἀμφισβητεῖν ἢ παρακαταβάλλειν βούλεται κ. τ. λ.* Quo quaeso haec instituta erant consilio? Quo tendebant? Eo, ni fallor, ut res quam plurimis innotesceret. Quid hoc? Ut omnes, quorum res videretur agi, sibi possent prospicere atque contendere cum petitore, priusquam ille

---

non *διαμαρτυρίᾳ* sed iusta defensione repellere studerent, id sine dubio factum est, quod quasdam ob caussas vel minus confiderent rebus suis, vel quod, nisi res erat satis cognita, *διαμαρτυρίας* usu viderentur animos iudicum a se abalienare potius, ut facile coniicias ex orat. de Apollod. hered. §. 3, ubi dicit: *ἐγὼ δ᾽ εἰ μὲν ἑώρων ὑμᾶς μᾶλλον ἀποδεχομένους τὰς διαμαρτυρίας ἢ τὰς εὐθυδικίας, κἂν μάρτυρας προὐβαλόμην μὴ ἐπίδικον εἶναι τὸν κλῆρον, ὡς ποιησαμένου με υἱὸν Ἀπολλοδώρου κατὰ τοὺς νόμους.* Endium vero quod probat actor de Pyrrh. hered. instituisse *ἐπιδικασίαν*, fuit is quidem haud dubie *διαθήκαις εἰσποίητος*, quippe qui dicatur §. 1. hereditatem annos viginti duo tenuisse, cum paullo infra ipse Pyrrhus dicatur plus viginti annos mortuus esse. Itaque non dubitavi quin eos qui ratione ab Is. VII. §. 1. descripta essent adoptati eximerem numero eorum quos *ἐπιδικάζεσθαι* oportebat. Sed licebat tamen et ipsis, si vellent quidem, ista actione uti; et sunt usi revera, ubi id rationibus suis magis putarent conducere. Cf. etiam Schoem. prooem. ad orat. de Menecl. hered. p. 197 *). ad or. de Astyph. hered. p. 408. ad or. de Aristarch. hered. p. 446.

iudicum consecuta possessionis confirmatione hereditatis dominium accepisset; nam difficilius sine dubio contendebatur cum herede, si iudices possessionem confirmaverant, quam re adhuc integra. Facilius enim acquiritur cuius nemo dum est a iudicibus possessor constitutus, quam eripitur possessori quod leges et iudicum sententiae dederunt. Neque tamen solis competitorum utilitati prospectum erat ista lege; etiam ipsis heredum commodis favebat ἐπιδικασία. Namque hi quidem profecto non undecunque quasi convocarunt competitores, quo sibimet ipsi plures facesserent molestias faciliusque hereditate exciderent, sed ut quantum fieri posset semel et uno iudicio, vel si pluribus, tempore tamen coniunctis, pericula quae imminerent omnia profligarent postque ab omni vexatione essent tutiores. Epidicasia enim quos excitabat competitores, erant illi quidem si non omnes, at pars maior petituri vel neglecta actione ista, sed suo quisque tempore, quo forte fortuna res innotuisset, ut nullus esset heredi caussarum neque modus neque terminus. Quare una est caussa, cur filii adoptivi testamento scripti, et qui cognationis iure peterent, epidicasia usi esse videantur: *ut ne a competitoribus instituendae petitiones ab eo qui forte in rem incidisset, qui casu cognovisset, fierent, alio aliae tempore, sed ab omnibus uno eodemque tempore, quantum id posset fieri.* Altera vero caussa, ob quam ista actione utebantur, haec erat, ut legi satisfacerent, quae nisi actione ista instituta non concedebat ius dominii his quidem heredibus, acceptoque dominio reliquos prohiberent quominus simplici ἐπιδικασίας actione peterent eandem hereditatem. Postquam enim heres acceperat dominium, nemo amplius eandem hereditatem epidicasia instituta petere potuit, sed rescindendum erat prius iudicium, quo ille dominium acceperat, quod fiebat aliquanto difficilius, quoniam tali in caussa heres non mediocriter eo adiuvabatur, quod suspectam adversarii rationem reddebat, quippe qui cum esset provocatus ad ius suum obtinendum, contendere noluisset; quo maxime nititur argumento haec nostra de Pyrrhi hereditate oratio. Altera haec ratio satis plane expressa est verbis καὶ μὴ ὡς ἐρήμων τῶν κλήρων ἐπιδικάζεσθαί τινες τολμῶσι; quaeritur igitur, possitne prior contenta esse his: ἵνα μὴ παρὰ τοῦ ἐντυχόντος τῶν κλήρων αἱ λήξεις τοῖς ἀμφισβητεῖν βουλομένοις γίγνωνται. Poterit autem,

si dativum τοῖς ἀμφισβητεῖν βουλομένοις ea putemus ratione positum, quam scite sic interpretatus est Schaeferus App. ad Demosth. T. V. p. 484: „notus est hic usus dativi significantis quod quis aut facit aut patitur interesse eius, quem dativus indicat“; et si παρὰ τοῦ ἐντυχόντος erit, quod proprie est, *ab eo qui forte incidit in rem*. Nimirum si is tantum petit qui forte incidit, alius alio petit tempore, quod ipsum evitare cupiebant ista actione instituta. Totum locum sic fere exponas licet: *Wer in rechtmässiger Ehe erzeugte Kinder hinterlässt, da kommt es den Kindern nicht zu, wegen der väterlichen Verlassenschaft einen gerichtlichen Antrag zu stellen; alle aber, welche durch Testamente adoptirt werden, müssen auf gerichtliche Bestätigung der ihnen gemachten Schenkung antragen. Weil nämlich jene leibliche Descendenten sind, dürfte wohl Niemand mit ihnen über die väterliche Verlassenschaft streiten wollen; gegen die Adoptivsöhne aber glauben alle Verwandte sich zu Ansprüchen berechtigt. Damit nun die im Interesse derer, welche Ansprüche machen wollen, zu stellenden Anträge nicht von dem, den der Zufall gerade darauf führt (= nicht wie jeder zufällig darauf kommt, sondern von allen Betheiligten zugleich und zu einer bestimmten Zeit) gemacht werden, und damit nicht Einige, als hätten die Erbschaften keine Besitzer, Anträge auf sie zu stellen sich unterfangen, desshalb veranstalten die Adoptivsöhne alle die Epidikasien.*

Orat. de Philoctemonis hereditate §. 55. πάντων γὰρ αὐτὸν ἐκεῖνος (ὁ Φιλοκτήμων) ἔχθιστον ἐνόμιζε διά τε τὴν ἄλλην πονηρίαν καὶ διότι τῶν συγγενῶν μόνος μετὰ τῆς Ἀλκῆς ἐκείνης τούτῳ καὶ τοῖς ἄλλοις συνεπιβουλεύσας τοῖς τοῦ Εὐκτήμονος χρήμασι τοιαῦτα διεπράξατο, οἷάπερ ὑμῖν ἀπέδειξα.

Ad haec Schoemannus „pronomen τοῦτο, inquit, non alium hoc loco designare potest, nisi eum, qui modo nominatus est, Philoctemonem; itaque τοῖς ἄλλοις χρήμασι non posse cum τούτῳ componi apparet; neque obiiciet aliquis, ἄλλος saepenumero ita addi, ubi abesse commode poterat; certos enim hoc idioma fines habet, neque unquam ἄλλος additum invenies,

ubi quae coniunguntur, plane diversi sunt generis; itaque γνησίοις pro χρήμασι scriptum fuisse suspicor.“ Coniectura haec admodum violenta magnopere displicet. Philoctemon enim, cum istae fierent insidiae, non habuit nisi sorores duas; frater enim uterque, qui fuerat, sine liberis decesserat; cf. §. 6 sqq. Itaque non arbitror hic dici potuisse τοῖς γνησίοις. Tum non intelligo, quomodo recte τούτῳ ad Philoctemonem possit referri, qui partim quod dudum erat mortuus more consueto oratorum pronomine ἐκεῖνος erat dicendus, partim paucis ante eo pronomine est designatus; ut nemo, nisi qui haec praeiudicata opinione legat, ad Philoctemonem τούτῳ videatur referre posse. Deinde si Schoemanni rationem sequamur, non apparet, cur συνεπιβουλεύσας potissimum dixerit orator. Denique ne illud quidem placet, quod τοῖς ἄλλοις συνεπιβουλεύσας τοῖς τοῦ Εὐκτήμονος γνησίοις dicit, ubi nemo non exspectat τοῖς ἄλλοις τοῦ Εὐκτήμονος γνησίοις συνεπιβουλεύσας. Neque vero opus ista coniectura. Nimirum quae leguntur §. 39, ex iis cognoscitur, plures fuisse adversarios, qui pupillorum subditiciorum istorum tutelam ad se dicerent pertinere et contra Chaerestratum agerent; recte enim Schoemannus p. 324. de isto loco scripsit: „Antidorum et ipsum unum e tutoribus fuisse docet §. 39. extr., qui locus simul etiam plures quam hunc et Androclem fuisse ostendit, quum εἷς τούτων dicatur, non ὁ ἕτερος.“ Simul ex iis, quae §. 39. dicuntur, palam videtur esse, non Androclem solum, sed Antidorum quoque adfuisse coram iudicio. Itaque τούτῳ refertur ad Antidorum praesentem, et τοῖς ἄλλοις ad reliquos Androclis et Antidori si non tutelae, at fraudis socios, qua Euctemonis bona Chaerestrato conati sunt eripere. Verte: *Philoctemon Androclem summo habebat odio, quod is solus cognatorum Alces auxilio usus cum hocce (Antidoro) et reliquis (adversariis) insidiatus Euctemonis bonis ea perfecerat, quae vobis indicavi.*

Ibid. §. 56. πάντων δὲ μάλιστα ἀγανακτῆσαί ἐστιν ἄξιον, ὅταν οὗτοι καταχρῶνται τῷ Εὐκτήμονος ὀνόματι τοῦ τουδὶ πάππου.

Haec si librorum scriptura est, nemo poterit haerere. At illud quidem valde dubium est. Namque apud Aldum le-

gitur τῷ τοῦδε πάππῳ, et Bekkerus tantum notavit τουδὶ in cod. A. haberi, de τοῦ πάππου vero tacuit. Quare Aldi scripturam an quod ipse posuit in libris suis invenerit nescimus. Si vero, quod suspicatur Schoemannus, codd. habeant τῷ — πάππῳ, nolim certe hoc emendari cum eodem τῷ — παππῴῳ; non quo hoc per se videatur improbandum esse, sed quod ista scriptura non videtur hac emendatione indigere. Nam dici vix potest quam late pateat ista graecae consuetudinis libertas, qua in verbis construendis saepe non ipsas vocabulorum formas, sed res significatas respiciunt. Inde nata, quae vere dici possit numeri, generis, casuum enallage, hinc ortae iuncturae verborum, quae propria vi non videantur posse coniungi. Nostro loco leges severiores postulabant, ut vel τοῦ τουδὶ πάππου diceretur, vel τῷ τουδὶ παππῴῳ; sed quoniam τῷ Εὐκτήμονος ὀνόματι est circumlocutionis instar pro τῷ Εὐκτήμονι, recte etiam τῷ τουδὶ πάππῳ in appositione videtur inferri potuisse: sicut apud Hom. Odyss. XIII. 20 sq. καὶ τὰ μὲν εὖ κατέθηχ' ἱερὸν μένος Ἀλκινόοιο, non subsequitur αὐτὸ ἰόν, neque αὐτοῦ ἰόντος, sed αὐτὸς ἰών, cf. Pors. ad Eur. Hec. v. 293. ibiq. Schaef. ed. Lips. III. p. 25 sq. Eadem est ratio, si in appositione numeri vel generis habetur enallage, de qua Kuehlstaedtium in Observ. Crit. p. 26. sq. copiosius disseruisse tradit Lobeck. ad Soph. Ai. v. 191. Quare recte d'Orvillius ad Charit. p. 415. ed. Lips. tuetur librorum scripturam in Demosthenis loco, qui legitur in Mid. p. 568. extr. §. 168. παντὸς δὲ τοῦ στόλου πλεόντων ἐν τάξει, coll. Aesch. Agam. v. 588. Τροίην ἑλόντες δή ποτ' Ἀργείων στόλος, itemque probo, quod apud Andoc. de Myst. §. 51. πότερα περιίδω — τὴν πόλιν ἐν κακοῖς οὖσαν τοῖς μεγίστοις καὶ ὑποψίαν εἰς ἀλλήλους ἔχοντας, ἢ εἴπω Ἀθηναίοις κτλ. Bekkerus non paruit Luzacio emendanti: καὶ ὑποψίαν εἰς ἀλλήλους ἔχοντας Ἀθηναίους, ἢ εἴπω etc. Denique quod ad verborum iuncturas insolentiores attinet, clarissimus est locus Demosth. in Mid. p. 567. §. 165. ἀλλ' αὐτῶν ἕκαστος ἑκὼν ἐπιδοὺς τριήρη οὐκ ἀπέδρα ταύτην τὴν στρατείαν, ἀλλὰ τὴν μὲν ἐπίδοσιν ἐν χάριτος μέρει καὶ δωρεᾶς παρεῖχον πλέουσαν τῇ πόλει; quem recte tuitus est Schaeferus app. ad Dem. t. III. p. 452. τὴν ἐπίδοσιν interpretatus τὴν ἐπιδοθεῖσαν τριήρη adversus Bekkerum, qui ἐπίδοσιν abesse maluerat.

Orat. de Aristarchi hereditate §. 15. *οὕτω δὲ καὶ τούτοις φανερόν ἐστιν ὅτι οὐ προσηκόντως ἔχουσι ταῦτα τὰ χρήματα, ὥστε οὐκ ἐπὶ τῷ δικαίως Ἀρίσταρχον εἰσαχθῆναι εἰς τοὺς φράτορας τὸν λόγον ποιοῦνται μόνον, ἀλλὰ καὶ δίκην φασὶν ὑπὲρ τούτων τῶν χρημάτων τὸν πατέρα τὸν ἑαυτῶν ἐκτετικέναι, ἵνα, ἂν μὴ κατ' ἐκεῖνο δικαίως δοκῶσιν ἔχειν, κατά γε ταῦτα εἰκότως προσήκων αὐτοῖς φαίνηται.*

Libri mss. omnes et edd. vett. habent *κατ' ἐκεῖνον;* Bekkerus et Schoemannus asciverunt Reiskii emendationem *κατ' ἐκεῖνο.* Cuius emendationis ego non potui aliam reperire caussam nisi hanc, quod *κατ' ἐκεῖνον* (sc. *τὸν λόγον*) parum videretur convenire sequentibus *κατά γε ταῦτα.* At primum si haec fuit istius emendationis ratio, non *κατ' ἐκεῖνο,* sed *κατ' ἐκεῖνα* scriptum oportebat. Deinde quid est, quod *ἐκεῖνον* potius quam *ταῦτα* emendetur, siquidem est emendandum alterutrum? Quidni servetur *ἐκεῖνον* et post scribatur *τοῦτον*? Denique quid tandem est quod istam requirat concinnitatem, quum non Graecis solum, sed nobis quoque et haud scio an omnibus populis licitum sit his in rebus paullo liberius versari? Ego saltem non video cur *ἐκεῖνον* ad *λόγον* referri non possit, quamquam subsequitur *κατὰ ταῦτα,* sc. *ἃ λέγουσιν.* Neque in *κατὰ ταῦτα* haereo, etsi illud quo refertur unum tantum est, ut *κατὰ τοῦτο* possit exspectari; cf. Dem. Olynth. II. p. 18. §. 3. et de Symmor. p. 178. §. 3, ubi Bekkerus ex cod. F. correcto receperat *διὰ τοῦτο,* Schaeferus tamen cum Amersfoordtio et Boissonadio defendit quod libri exhibent ceteri omnes *διὰ ταῦτα.* Sed haesit nuperrimus editor etiam in aliis. Ac primum quidem *προσήκων* ei visum est inconcinne dictum, quod supra dixerit *ὑπὲρ τούτων τῶν χρημάτων.* Sed tamen ne ipse quidem potest negare, Isaeum satis frequenter ea, quam supra summatim attigi, licentia esse usum, et nominatim, quoniam apud eum *ὁ κλῆρος* et *τὰ χρήματα* vim habeant eandem, saepe post *χρήματα* eas verborum formas intulisse, quibus erat utendum, si *κλῆρος* usurpasset, et vice versa. Velut statim infra §. 16. *εἰ γὰρ ἦν ὑπόχρεως οὗτος ὁ κλῆρος, οὔτ' ἂν χρήματα οὗτοι ὑπὲρ αὐτῶν ἐξέτινον;* et §. 21. *ἀλλὰ νυνὶ δίκαιον εἰπεῖν ἐστιν, ὦ ἄνδρες, τίνος δόντος ἔχει*

τὸν κλῆρον, κατὰ ποίους νόμους εἰς τοὺς φράτορας εἰσῆκται, καὶ πῶς οὐκ ἐπίκληρος ἦν ἐπὶ τούτοις τοῖς χρήμασιν ἡ ἐμὴ μήτηρ. ταῦτα γάρ ἐστι περὶ ὧν ὑμᾶς δεῖ τὴν ψῆφον ἐνεγκεῖν, οὐκ εἰ χρόνῳ τι ὕστερον ἡμεῖς τῶν ἡμετέρων εἰσπραττόμεθα. μὴ δυνηθέντων δὲ ἐπιδεῖξαι, δικαίως ἂν ἐμὸν αὐτὸν εἶναι ψηφίσαισθε. Inprimis autem hoc virum doctissimum vexavit, quod ex F. A. Wolfii lege, proposita ad Demosth. adv. Lept. p. 259. 267. (§. 35.), pro participio infinitivum requireret; quae res eum movit, ut verba omnia inde ab ἵνα ἂν μὴ usque ad φαίνηται ab Isaeo scripta esse negaret. At fuerit sane προσήκειν potius dicendum quam προσήκων; tamen si quis sine ulla alia idonea ratione pene integros duo versus malit eiectos, quam emendationem tam lenem, quae pene nulla videatur, admissam, is mihi quidem non videtur cautum egisse criticum. Sed ne opus quidem ista emendatione. Age enim concedamus, veram esse Wolfii regulam, et φαίνεσθαι, ubi sit *palam et compertum esse omnibus*, coniungi participio, ubi significet *videri*, infinitivo strui, quid tandem obstat quominus φαίνηται hic eam quam requirunt vim habeat? Ego certe adversarios ista putaverim attulisse, non ut videretur tantum iudicibus hereditas ad ipsos pertinere, sed ut, si possent, manifestum id redderent et quam maxime perspicuum. Sed tamen Wolfii praecepto non sunt assensi neque Schaeferus ad Plut. tom. V. p. 141. nec Bernhardy Synt. p. 477, quibus Schoemannus nisi rationibus explicatis se negat crediturum. At ne Wolfius quidem attulerat rationes; ergo ne huic quidem fuit credendum. Neque enim Schoemannus is est, quem nomina moveant quantumvis celebrata, nec temerariam quorundam videtur probare vocem, qui, si socium habeant erroris virum doctrinae laude insignem, errare se malle profitentur quam ab iis, quos minus ipsi probaverint, istum sibi eripi errorem. Legem vero illam si paullo diligentius consideramus, non potest esse dubium quin sit et lata et accepta cupidius. Primum enim iam hoc permirum, quod φαίνεσθαι locis pene innumerabilibus participio coniunctum legitur, paucissimis infinitivo construitur; velut, in omnibus oratorum Atticorum reliquiis hos tantum me legere memini: Demosth. adv. Lept. p. 467. §. 35. οἷς ἂν ὁ νόμος βλάψειν ὑμᾶς φαίνεται, ubi βλάψων mera videtur H. Wolfii coniectura esse, in Mid.

p. 516. §. 8. τὰ *φαινόμενα* αὐτῷ δικαιόταт' *εἶναι*, ταῦτα ψηφισάσθω, in Aristocr. p. 685. §. 194. παρ' ἃ *φαίνεται* δίκαια *εἶναι* τὴν ψῆφον θέσθαι, ubi tamen εἶναι non legitur in libris melioribus neque probatum est viris doctis, velut Tayloro, Bekkero, Schaefero, adv. Pantaenet. p. 970. §. 14. ἡμεῖς εἰκότως *ἐφαινόμεθα* ὧν ἐωνήμεθα *κρατεῖν*, [Demosth.] in Aristog. II. p. 808. §. 27. τὸν ὅλον κόσμον καὶ τὰ θεῖα καὶ τὰς καλουμένας ὥρας νόμος καὶ τάξις, εἰ χρὴ τοῖς ὁρωμένοις πιστεύειν, *διοικεῖν φαίνεται*, Prooem. 34. p. 1444. τὸ δὲ ἀκουσάντων ὑμῶν καὶ διακρινάντων ἔτι ἀναισχυντεῖν—ἄλλην τινὰ ὑποψίαν οὐχὶ δικαίαν *ἔχειν φανείη* *). Isocrat. Panath. §. 239. ἐν ἀρχῇ μὲν οὖν οὕτω μοι *φαίνει τάξαι* e cod. Urb. Bekk., ceteri libri μοι δοκεῖς οὕτω τάξαι. [Aesch.] ep. 11. §. 1. συμβουλεύειν δὲ καὶ πολυπραγμονεῖν οὐ μικρᾶς ἔμοιγε ἀκρασίας *ἐφαίνετο ἔργον εἶναι*. At longe plura *videntur*, quam *apparent* et *manifesta* sunt. Consentaneum erat igitur, Wolfii regula si vera esset, frequentius infinitivos verbo φαίνεσθαι coniunctos in libris haberi quam participia. Deinde notiones ipsae, quas subesse dicunt vocab. φαίνεσθαι iisque eius verbi formis activis, quarum vis est intransitiva, *apparere* et *videri*, non sunt natura ita diversae, ut quovis loco utra obtineatur facile dicas, sed cohaerent inter se arctissime; φαίνειν enim cum sit *ostendere*, *monstrare*, *indicare*, φαίνεσθαι est *ostendi*, *prodi*, ὀφθῆναι, ut non male aliquoties interpretatur Schaeferus. Quae vero ostenduntur, vel sunt talia qualia ostenduntur, et agnoscuntur ab omnibus, quae dicimus *apparere*, vel dubitari potest sintne talia qualia se produnt, ostendunt, necne, quae *videri* dicimus. Iam vero a specie veri ad ipsam veritatem innumeri sunt quasi gradus, ut saepe utri quid propius videatur accedere ambigi possit; deinde diversissima hominum ipsorum ingenia, quaeque quibusdam videntur plana atque certa, alii habent pro dubiis atque incertis; denique ambiguam sequuntur homines dicendi consuetudinem: nam qui sunt paullo arrogantiores, bene multa, quae aliis *videntur* tantum, *elucere*, *patere*, *manifesta esse* clamant, alii modestiores et urbaniores vel certissima *videri* sibi dicunt. Quare difficillimum sane erit

---

*) Num forte: ἄλλην τιν' ἂν ὑποψίαν κτλ.?

negotium, diiudicare, quomodo uno quoque loco φαίνεσθαι vel sit acceptum a scriptoribus vel debuerit accipi, si quidem ad istam Wolfii normam omnino cupimus emendare scripta antiquorum. Denique si possent ista diiudicari, qui tandem probetur, participium non nisi de certis rebus posse dici, infinitivum semper ad incertas esse referendum? An horum simile quicquam in ceteris verbis deprehenditur, quibus et participia et infinitivi coniungi possunt? An quisquam putabit, Syennesin apud Xenoph. Anab. I. 2, 21. certa dici audivisse, quod scriptor posuerit ἤκουε Ταμὼν ἔχοντα, Astyagem vero dubia, quia Cyrop. I. 3, 1. ἤκουε καλὸν κἀγαθὸν αὐτὸν εἶναι praetulerit? Non opinor. Ipsa igitur rei natura non admodum commendari Wolfii regulam non est quod neget quisquam. Accedit, quod ne usu quidem eam videmus comprobatam. Atque infinitivum quidem aliquoties haberi, ubi φαίνεσθαι sit *apparere*, iam docuit Schaeferus l. l. Afferemus igitur locos, ubi participium scriptum est, et tamen φαίνεσθαι non videtur verti posse *palam est*, *manifestum est*, quos miror Schoemannum dixisse non posse inveniri. Primum enim loci permulti huc videntur referendi esse, ubi φαίνεσθαι particulae neganti coniunctum est, velut apud Antiph. de caede Herod. §. 22. οὔτ' αὖ ἐγὼ ἄνευ προφάσεως ἱκανῆς φαίνομαι τὸν πλοῦν ποιησάμενος, quod verti non potest: *manifestum est autem, me non sine idonea ratione profectum esse*; hoc enim dicendum erat: ἐγὼ δ' ο ὐ κ ἄ ν ε υ προφάσεως etc.; sin autem transferas sic: *neque vero p a l a m e s t e t c o m p e r t u m omnibus, me sine idonea ratione profectum esse*, inepte loquitur orator, quippe qui reliquerit suspicionem, se tamen sine idonea ratione profectum esse, cum tantum *omnibus id esse compertum et planum* negaverit. Igitur vertendum: *neque vero ego sine idonea ratione iter suscepisse v i d e o r.* Ac similis est ratio loci qui infra legitur §. 77. ἐπεὶ δ' ὑμεῖς τοὺς αἰτίους τούτων ἐκολάσατε, ἐν οἷς οὐκ ἐφαίνετο ἂν ὁ ἐμὸς πατήρ. Sed de talibus ambigi certe videtur posse; quare his missis age certiora promamus. Andoc. de redit. §. 23. ὁρῶ ὑμᾶς πολλάκις καὶ δούλοις ἀνθρώποις διδόντας μεγάλας δωρεάς, οἳ ἂν ὑμᾶς φαίνωνται ποιοῦντές τι ἀγαθόν. Profecto si non acciperent δωρεάς, nisi quos palam est et compertum omnibus benefecisse, aliquanto pauciores et olim accepissent et hodie acciperent.

Sed est haec res suspensa ab eorum qui praebent munera arbitrio, istique non exspectant dum *omnibus palam sit*, sed concedunt, si ipsis *videtur*. Neque in eo orator summum ponit momentum, ut *palam sit*, sed ut *utiles* isti civitati fuisse videantur; cf. ibid. §. 26. ὧν καὶ ἕνεκα εἰκὸς ὑμᾶς, ἐὰν χρηστὸς ὢν ἀνὴρ εἰς ὑμᾶς φαίνωμαι, προθυμότερόν μου ἀποδέχεσθαι τὰ πραττόμενα. An quisquam putabit, si *non palam fuerit et compertum omnibus*, sed *videatur* tantum utilis esse civibus, oratorem nolle ista fieri? Isocr. Euag. §. 48. ὥστ᾽ οὐ δέδοικα, μὴ φανῶ μείζω λέγων τῶν ἐκείνῳ προσόντων. Mirum profecto, si orator dixerit: *quare non vereor, ne appareat me maiora, quam sunt in isto viro, dicere;* quasi vero confiteatur maiora se dixisse, speretque tantummodo fore ut, etiamsi sentiatur id a quibusdam, tamen non sit res manifesta, ut mendacii possit convinci. Panathen. §. 4. τούτου δ᾽ ἕνεκεν ταῦτα προεῖπον, ἵν᾽ ἢν τισιν ὁ μέλλων δειχθήσεσθαι λόγος μαλακώτερος ὢν φαίνηται τῶν πρότερον διαδεδομένων etc. Quomodo, quaeso, compertum esse potest omnibus, quod a quorundam suspensum est arbitrio? Adde haec: de antidosi §. 9. Trapez. §. 7. Dem. adv. Lept. p. 506. §. 162. in Timocr. p. 765. extr. §. 212. adv. Leochar. p. 1090. §. 33. de Halon. p. 83. §. 29. de male gest. leg. p. 370. §. 91. p. 399. §. 186. adv. Nicostr. p. 1255. §. 28. in Neaer. p. 1384. §. 114. Isae. de Nicostr. hered. §. 25. de Astyph. hered. §. 14. Sin quibusdam ne haec quidem satis gravia videantur, tamen isti his confitebuntur rem esse confectam: Isocr. Panath. §. 246. προελόμενος συνθεῖναι λόγον μηδὲν ὅμοιον τοῖς ἄλλοις, ἀλλὰ τοῖς μὲν ἁπλοῦν εἶναι δόξοντα, τοῖς δὲ χαλεπὸν φανούμενον καὶ δυσκαταμάθητον καὶ πολλῆς ἱστορίας γέμοντα. de antid. §. 16. ἐμοῦ δὲ Λυσίμαχος αὐτοὺς τοὺς λόγους μάλιστα διαβέβληκεν, ἵν᾽ ἢν μὲν ἱκανῶς δόξω λέγειν, ἔνοχος ὢν φανῶ τοῖς ὑπὸ τούτου περὶ τῆς δεινότητος τῆς ἐμῆς προειρημένοις, ἢν δ᾽ ἐνδεέστερον τύχω διαλεχθεὶς ὢν οὗτος ὑμᾶς προσδοκᾶν πεποίηκε, τὰς πράξεις ἡγῆσθέ*) μου χεί-

*) Pro ἡγῆσθε cod. Urb. ἡγεῖσθε. Difficilis sane optio; nam η et ει tam frequenter in libris mss. confunduntur, ut commode cod. optimi scriptura possit pro librarii errore haberi; contra vero etiam ἡγῆσθε possit correctio eorum esse, qui alteram sententiae partem et ipsam debere a Lysimachi consilio suspensam esse arbitraren-

ρους εἶναι. Demosth. adv. Lept. p. 498. extr. §. 138. σκοπεῖτε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, εἰ καλῶς ὑμῖν ἔχει, ἃ τούτων ἕκαστος ὀκνεῖ

---

tur. Coniunctivum tuetur testimoniorum multitudo, et regulae grammaticae videntur tantum non flagitare; indicativum commendat codicis Urbinatis praestantia, et liberior ista Graecorum dicendi consuetudo satis superque excusat. Neque enim raro homines graeci in altera sententiae parte recedunt ab exspectata structura, si quidem ab ipsius sententiae forma aptiore atque commodiore aliquam istius licentiae excusationem habent. Sic Lucian. dial. mort. VI. 1. *δικαιότατον μὲν οὖν, ὦ Τερψίων, εἴ γε ὁ μὲν ζῇ μηδένα εὐχόμενος ἀποθανεῖν τῶν φίλων, σὺ δὲ παρὰ πάντα τὸν χρόνον ἐπεβούλευες αὐτῷ περιμένων τὸν κλῆρον.* Proprie etiam posteriora a dictione *δικαιότατον μὲν οὖν, εἰ* erant suspendenda sic fere: *σὺ δὲ ἀπέθανες ἐπιβουλεύσας αὐτῷ.* Herod. IV. 135. (cf. Matth. Gr. Gr. §. 631. 3. pag. 1299 sq.) *κατέλιπε δὲ τούς τε ὄνους καὶ τοὺς ἀσθενέας τῆς στρατιῆς τῶνδε εἵνεκεν, ἵνα οἱ μὲν ὄνοι βοὴν παρέχωνται, οἱ δὲ ἄνθρωποι ἀσθενίης μὲν εἵνεκεν κατελίποντο, προφάσιος δὲ τῆσδε δηλαδή, ὡς* etc. Quare non erat quod editores in Eur. Androm. v. 965 sqq.

ἦλθον δὲ σὰς μὲν οὐ σέβων ἐπιστολάς,
εἰ δ᾽ ἐνδιδοίης, ὥσπερ ἐνδίδως, λόγους
πέμψω σ᾽ ἀπ᾽ οἴκων τῶνδε

Heathii coniecturam *πέμψων* reciperent. Anacoluthon enim ipsa sententiae ratione satis excusatur, cum Orestes non hoc dicat, se, cum venisset, id habuisse consilii, sed etiam nunc ita sentire se debeat indicare. Aliam rationem secutus est Firnhaber in censura ed Pflugk. (Zeitschrift f. d. Alterthumsw. 1837. Nr. 131.), post *λόγους* colo interpungens. Sed quod sic oritur asyndeton durius mihi quidem videtur quam ut ferri possit. Ne Isocratem quidem, etsi magnopere delectatur orationis quadam aequabilitate, ista dicendi libertate prorsus abstinuisse coniicias ex locis quibusdam paullo liberius compositis, quorum est Paneg. §. 88 sqq. et nominatim de antid. §. 195, qui secundum cod. Urb. testimonium ita videtur scribendus esse: *οὐ γάρ, ὅτε μὲν ἦν νεώτερος, ἀλαζονευόμενος φαίνομαι καὶ μεγάλας τὰς ὑποσχέσεις ποιούμενος, ἐπειδὴ δ᾽ ἀπολέλαυκα τοῦ πράγματος καὶ πρεσβύτερος γέγονα, τηνικαῦτα ταπεινὴν ποιῶ τὴν φιλοσοφίαν, ἀλλὰ τοῖς αὐτοῖς λόγοις χρώμενος ἀκμάζων καὶ παυόμενος αὐτῆς* (noli cum Bekk. emendare *ἀκμῆς*, hoc enim latet in *ἀκμάζων*), *καὶ θαρρῶν καὶ κινδυνεύων, καὶ πρὸς τοὺς βουλομένους πλησιάζειν καὶ πρὸς τοὺς μέλλοντας περὶ ᾽μοῦ τὴν ψῆφον οἴσειν· ὥστ᾽ οὐκ οἶδ᾽ ὅπως ἄν τις ἀληθέστερος ἢ δικαιότερος περὶ αὐτὴν ἐπιδειχθείη γεγενημένος.* Itaque si quaeras de Isocratis loco supra allato quid

τοὺς ἐχθροὺς ἀφαιρούμενος ὀφθῆναι, ταῦθ' ὑμᾶς τοὺς εὐεργέτας ἀφῃρημένους φαίνεσθαι.

Isaei quidem locum, unde sumus digressi, his expositis speramus satis esse defensum, quippe quem probaverimus ne sic quidem, si vera putetur Wolfii regula, pro subditicio habendum videri. Sin autem contigerit, ut, quae Schaeferus et Bernhardy ll. ll. breviter indicarunt, probaremus, etiam apud Xenoph. Anab. V. 7, 5. καὶ ἐὰν μὲν ἐγὼ φαίνωμαι ἀδικῶν — ἂν δ' ἡμῖν φαίνωνται ἀδικοῦντες, aliisque locis in posterum viri docti acquiescent in librorum scriptura et violentioribus abstinebunt emendationibus.

Ibid. §. 16. in omnibus Bekkeri libris sic scriptum esse traditur: εἰ γὰρ ἦν, ὡς οὗτοι λέγουσιν, ὑπόχρεως οὗτος ὁ κλῆρος, οὔτ' ἂν χρήματα οὗτοι ὑπὲρ αὐτῶν ἐξέτινον (οὐ γὰρ προσῆκον αὐτοῖς, ἀλλ' οἷς ἐγένετο ἡ ἐμὴ μήτηρ ἐπίδικος, τούτοις ἀναγκαῖον ἦν ὑπὲρ αὐτῶν βουλεύσασθαι), οὔτε ἂν εἰσποιεῖν εἰς τοῦτον τὸν κλῆρον υἱὸν Ἀριστάρχῳ, μέλλοντες ὠφεληθήσεσθαι μὲν μηδέν, ζημιωθήσεσθαι δὲ μεγάλα.

Infinitivus εἰσποιεῖν nisi forte librariorum negligentia propter praecedentem infinitivum βουλεύσασθαι illatus est, anacoluthiam habebimus sane dignam quae notetur et cuius prorsus similem non memini me alibi legere, quamque non poterimus aliter explicare nisi sic, ut putemus Isaeum propter parenthesin quasi oblitum prioris dictionis sic perrexisse, quasi supra posuisset οὔτ' ἂν χρήματα οὗτοι ὑπὲρ αὐτῶν ἐκτίνειν ᾤοντο δεῖν. Sed quanquam ista negligentia ab interposita sententia quandam habet excusationem, tamen illud οὔτε ἂν sic refertur ad praegressum, ut pene necesse videatur etiam εἰσεποίουν dici, sicut supra ἐξέτινον, nisi rursum codicum consensus emendationem suspectam redderet. Non ausim equidem alterutrum damnare omnino; utique vero miror, de

---

sentiam, respondeo, tutiorem sequi rationem qui ἡγῆσθε praeferant, sed ἡγεῖσθε qui probent, propius mihi videri ad verum accedere.

hac scripturae discrepantia ab editore nuperrimo nihil prorsus esse dictum.

Ibid. §. 26. ἀπέδειξα δ' ὑμῖν Κυρωνίδην μὲν τὸν τούτων πατέρα ἐκποίητον γενόμενον καὶ οὐκ ἐπανελθόντα εἰς τὸν πατρῷον οἶκον, τὸν δὲ πατέρα τὸν Κυρωνίδου καὶ τῆς ἐμῆς μητρὸς Δημοχάρει τῷ υἱῷ τοῦτον τὸν κλῆρον καταλιπόντα, ἐκεῖνον δὲ ἄ π α ι δ α ὄντα τελευτήσαντα καὶ εἰς τὴν ἐμὴν μητέρα τοῦτον τὸν κλῆρον ἐπιγιγνόμενον.

Miror profecto, neminem dum ad haec offendisse; nam si quid video, tam caussae ipsius ratio quam tota orationis huius conformatio παῖδα potius requirunt quam ἄπαιδα. Ac primum quidem ipsam caussam explicabimus.

Aristarchus quidam duos habuerat filios, Cyronidem et Democharem, duasque filias. Cyronides adoptatus erat in Xenaeneti domum. Aristarcho igitur mortuo solus Demochares heres paternae hereditatis relinquebatur; Demochare enim vivo non licebat alium quempiam adoptari ab Aristarcho (cf. §. 9. γνησίου γὰρ ὄντος αὐτῷ Δημοχάρους υἱέος οὔτ' ἂν ἐβούλετο ταῦτα διαπρᾶξαι, οὔτε ἐξῆν δοῦναι τὰ ἑαυτοῦ ἑτέρῳ). Demochares autem paullo post puer adhuc decessit. Pueris vero non erat licitum neque testamentum scribere neque adoptare (cf. §. 10. παιδὸς γὰρ οὐκ ἔξεστι διαθήκην γενέσθαι· ὁ γὰρ νόμος διαρρήδην κωλύει παιδὶ μὴ ἐξεῖναι συμβάλλειν μηδὲ γυναικὶ πέρα μεδίμνου κριθῶν. cf. de utraque re Meier. et Schoem. l. l. p. 438). Iam Demochare demortuo aut redire debebat Cyronides in domum paternam, relicto herede ex legitimo connubio ipsius procreato domus eius in quam fuerat adoptatus (cf. de Philoct. hered. §. 44. ὁ γὰρ νόμος οὐκ ἐᾷ ἐπανιέναι, ἐὰν μὴ υἱὸν καταλίπῃ γνήσιον), aut si id facere nollet, tota hereditas pertinebat ad Democharis sorores (cf. Meier et Schoem. l. l. p. 441,), quarum cum altera et ipsa tum diem iam obiisset supremum, sola relinquebatur actoris mater ἐπίκληρος ἐπὶ παντὶ τῷ οἴκῳ (cf. orationis nostrae §. 4.). Actor igitur probaturus hereditatem ab Aristarcho relictam ad matrem suam pertinuisse haec debebat testimoniis allatis comprobare: Cyronidem in aliam domum fuisse adopta-

tum, neque in paternam unquam ea qua id licebat ratione rediisse. Tum Aristarchum diem supremum obiisse Demochare etiam tum vivo. Id enim si certum erat, planum erat etiam, non posse alium quempiam ab Aristarcho adoptatum fuisse. Denique Democharem *puerum* esse mortuum, qui neque adoptare neque testamentum scribere ex legibus potuerit. Caussa ipsa igitur παῖδα, non ἄπαιδα dicendum fuisse docet.

Videamus etiam quae sit nostri loci conditio. Apertum est, Isaeum hic uti peroratione et argumenta gravissima, quo magis in iudicum animis haereant, breviter et summatim repetere. Atqui consentaneum est, in eiusmodi peroratione ea ipsa poni argumenta, quibus re vera usus erat orator. Iam vero supra Isaeus §. 4. *τούτου δὲ παιδὸς ἀποθανόντος*, et §. 7. *Δημοχάρης δὲ παῖς ὢν ἀπέθανε*, hoc ipsum urget, *puerum* etiam tum Democharem diem supremum obiisse; nusquam autem hoc probavit, eum sine prole decessisse: recte omnino, nam prius si probaverat, alterum per se planum erat, altero vero probato relinquebantur exceptiones adoptionum. Ergo hic quoque illud ipsum, quod supra probaverat, erat commemorandum ut supra testibus allatis probatum, scilicet *puerum* eum decessisse. Nam sic demum sibi constat orator, et eo utitur argumento quod erat hac in re certissimum firmissimumque.

At, inquies, nihilominus etiam ἄπαιδα dici potuit; ἄπαις enim non solum is dicitur qui ipse non procreavit liberos, sed omnino qui heredem bonorum non reliquit. De Philoctemonis certe hereditate §. 54. is, qui negaverat, Philoctemonem adoptasse, dicitur *μεμαρτυρηκέναι, ὡς οὐ διέθετο Φιλοκτήμων, ἀλλ' ἄπαις ἐτελεύτησε* (cf. etiam de Phil. her. §. 63. de Apollod. hered. §. 19.); quare etiam ἄπαις Demochares dici potest mortuus esse. Vere mones. Neque tamen ego negavi, eum, qui puer etiam decesserit, simul sine liberis decessisse; sed hoc iure videor contendere, eum qui *puer* decesserit significantius et melius dici *παῖδα ὄντα τετελευτηκέναι,* quam *ἄπαιδα,* quia posterius etiam de aliis multis recte dicitur, qui aetate provectiores animam deposuerunt, et certe quandam relinquit ambiguitatem, prius ad talem caussam solum est aptissimum.

Quare si scripserit Isaeus ἄπαιδα, confitendum erit, non sic eum esse locutum, ut decebat oratorem diligentem; nam cum res ipsa, tum argumenta ab oratore supra exposita παῖδα potius requirunt. Sed cum mutatio sit lenissima, sane malim illud verbum emendari quam oratorem paullo negligentiorem videri.

AUGUSTI WITZSCHELII

PHILOS. DR. GYMN. ISENAC. PRAEC.

DISPUTATIO

DE VERSIBUS IN EURIPIDIS MEDEA MALE REPETITIS.

DE VERSIBUS IN EURIPIDIS MEDEA MALE REPETITIS.

Quod fieri solet, ut scriptores in librorum suorum titulis excogitandis vehementer laborent magnamque cautionem adhibeant, id mihi quoque in hac dissertatiuncula quodammodo accidisse confiteor. Eum denique titulum elegi, quo me non nisi de versibus male repetitis dicturum esse indicarem. Quod si aliter instituissem et me fortasse de interpolationibus aut versibus spuriis scribere velle professus essem, magnopere verebar, ne qui critici in ipso scriptionis limine pedem suum offenderent meamque qualemcunque operam plane temerariam inutilemque damnarent. Etenim non desunt viri docti, qui quamquam in veterum scriptorum reliquiis nonnulla ab aliena manu supposita esse in universum quidem non negant, singulos tamen locos, quantumvis auctori suo dissimiles et ob alia satis manifesta νοθείας indicia suspiciosos, quovis interpretandi artificio potius defendere student, quam spurios esse coniicere aut coniicienti concedere volunt. Nempe hac ratione sibi critici officio fungi videntur, et profecto sobrii audiunt atque modesti. Quae quidem modestia etsi aliis laus videatur et egregia commendatio, ego tamen me huius laudis neque cupidum neque aemulum esse ingenue fateor. Verum illi homines, qui artificiosissima quaeque moliri quam emendationem ex coniectura propositam probare malunt, plane non secum reputant, artificiosam interpretationem aeque improbabilem esse ac duram inelegantemque coniecturam. Inter quos quum etiam eorum

aliquot inveniantur, qui apud alios aliqua fama atque auctoritate florent, paene factum est, ut spuria notandi conamen hodie in arte critica non minus quam in vita civili periculosum sit multaeque reprehensioni obnoxium. Itaque si non deerunt, qui me propter hoc scribendi genus reprehendant, id aequo animo ferendum erit; sed fortasse aliqui minus morosi iudices eiusmodi disquisitiones non prorsus contemnent, si nihil aliud agi intellexerint, quam quod in arte critica praecipuum est maximeque necessarium, ut recto ubique utamur iudicio neque una tantum ratione, tanquam universali quadam medicina, scriptores sanari posse credamus. Sed nunc ad rem ipsam me convertam.

Euripidem variis additamentis corruptum ad nos pervenisse, quum ex aliis argumentis tum ex aliquibus scholiastarum aliorumque scriptorum locis satis probabiliter demonstrare licet. Schol. ad Eurip. Phoen. v. 264. ed. Matth. haec habet: *οἱ οὖν ὑποκριταὶ διὰ τὸ δυσέκφορον μεταπλάττουσι τὴν λέξιν.* Idem ad Orest. v. 1352. *τούτους τοὺς τρεῖς στίχους οὐκ ἄν τις συγχωρήσειεν Εὐριπίδου εἶναι, ἀλλὰ μᾶλλον τῶν ὑποκριτῶν.* Ad Med. v. 360. *Δίδυμος μετὰ τοῦτο φέρει τὸ*

σιγῇ δόμους εἰσβᾶσ᾽, ἵν᾽ ἔστρωται λέχος,

καὶ μέμφεται τοῖς ὑποκριταῖς ὡς ἀκαίρως αὐτὸν τάσσουσιν. De qua annotatione vid. Elmsl. ad vers. 278. et conf. schol. ad v. 383. ed. Matth. Sed praeter veteres interpretes, qui histriones hic illic genuina mutasse et versus integros sive fortuito sive data opera tragoediis interseruisse censent, sunt alii scriptores, qui hoc diserte testantur. De Lycone enim, histrione nobili, refert Plutarch. t. II. p. 334. E. *κωμῳδοὶ δὲ ἦσαν οἱ περὶ Λύκωνα τὸν Σκαρφέα· τούτῳ δὲ εἴς τινα κωμῳδίαν ἐμβαλόντι στίχον αἰτητικὸν γελάσας ἔδωκε δέκα τάλαντα.* Atque auctor vitt. decem oratt. p. 841. F. (p. 61. ed. Westerm.) hanc legem ab Lycurgo oratore latam dicit: *ὡς χαλκᾶς εἰκόνας ἀναθεῖναι τῶν ποιητῶν, Αἰσχύλου, Σοφοκλέους, Εὐριπίδου, καὶ τὰς τραγῳδίας αὐτῶν ἐν κοινῷ γραψαμένους φυλάττειν, καὶ τὸν γραμματέα τῆς πόλεως παραναγιγνώσκειν τοῖς ὑποκρινομένοις· οὐκ ἐξεῖναι γὰρ αὐτὰς ὑποκρίνασθαι.* Cfr. Quinctil. X. 1, 66. Haec vero publice asservata tragi-

cessunt exempla petiit, teste Galeno in Hippocrat. Epidem. III. comment. II. t. V. p. 412. ed. Basil., ab Atheniensibus describenda Ptolemaeus Euergetes interposito pignore quindecim talentorum. Sed retinuit ea relicto pignore et in sua ipsius bibliotheca posuit, remisitque, quos inde describi curaverat, codices nitidissimos. Vide etiam quae de hac re disputavit Boeckhius in libro de Tragicis p. 13. Illis vero histrionibus tragoediarum interpolatoribus accedunt etiam philosophi atque grammatici. Utrique enim Euripidem prae caeteris tragicis diligenter tractabant; illi ut sententias versibus Euripideis exornarent et comprobarent, hi ut eius opera sua opera illustrarent atque explicarent. Quid igitur improbabile, eos interdum locos similes aliosve ad verborum sententias pertinere visos librorum marginibus adscripsisse, ab imperitioribus deinde in versuum ordinem receptos? Nam quod hodie fieri videmus, id illis etiam temporibus factum credere par est. Exposui haec paullo fusius, ut in eiusmodi interpolationibus indagandis libros mss. nos paene nihil morari debere intelligeretur, quippe qui ne in illis quidem locis magnam auctoritatem habeant, ubi aliquid ab recentioribus metricis aut librariis errantibus perperam additum videtur. Omnes enim Euripidis codices, quos adhuc excussos habemus, non diversi generis sunt, sed ex uno tantum eoque satis mendoso libro manarunt, communi omnium fonte, quem, quum ipse flueret lutulentus, non mirum eos genuisse rivulos, in quibus omnibus invenias, quod tollere velis. Deinde vero patet additamentorum genera esse plura; modo enim interpretationes vocabulorum, modo sententiarum enarrationes, modo similes locos adiectos videmus. Et hoc quidem nomine permultos locos in Medea, Phoenissis, Hippolyto, Alcestide damnarunt Valckenarius atque Piersonus, homines sane ingeniosi, sed admodum suspiciosi pronique in coniecturas. Secuti eos sunt fere ubique Brunckius, Porsonus caeterique editores recentiores, quibus adnumerandus est I. A. Hartungus in disputatione priore de Euripidis fabularum interpolatione, quae praemissa est eius editioni Iphigeniae Aulidensis. Is enim copiosius de ea re disseruit, ingentem interpolationum numerum sibi deprehendisse visus; vereor tamen, ne non satis caute rem adgressus sit, sed opinionis potius arbitrio et argumentis parum idoneis permotus maximam earum

partem exturbari iusserit. Verum etiam caeterorum criticorum atque interpretum nemo, quantum scio, caussas, quibus adductus versus bis positos deleri vellet, accuratius indicavit, ut plerique in sola repetitione offendisse videantur. At eam caussam minime sufficere posse facile intellectu est. Sunt enim permultae sententiae et locutiones tam necessariae tamque vulgares, ut in quovis fere argumento redire et scriptoribus, praecipue poetis, qui interdum versum explere studerent, iisdem verbis ultro sese offerre debuerint. Tales igitur sententias eodem modo iteratas legi non mirum, praesertim quum poetae tragici non lectoribus scriberent, sed auditoribus. Placet haec uno alterove exemplo confirmare.

In Medea v. 545 sq. Iason in oratione contra Medeam haec dicit:

τοσαῦτα μέντοι τῶν ἐμῶν πόνων πέρι
ἔλεξ᾽· ἅμιλλαν γὰρ σὺ προὔθηκας λόγων.

In Suppl. v. 227. eandem locutionem Theseus adhibet in oratione contra praeconem:

κομψός γ᾽ ὁ κῆρυξ καὶ παρεργάτης λόγων.
ἐπεὶ δ᾽ ἀγῶνα καὶ σὺ τόνδ᾽ ἠγωνίσω,
ἄκου᾽· ἅμιλλαν γὰρ σὺ προὔθηκας λόγων.

In Hippol. v. 885. Theseus de filio suo:

Ἱππόλυτος εὐνῆς τῆς ἐμῆς ἔτλη θιγεῖν κτλ.

Eadem verba mutato tantum nomine Electra in cognomine fabula v. 255. de marito dicit:

οὔπώποτ᾽ εὐνῆς τῆς ἐμῆς ἔτλη θιγεῖν.

Nihil hic interpolatum esse sponte apparet. Alium Hippolyti locum, v. 1029, quem Valckenarius ex pannis Euripideis male consutum putavit, bene defendit Hermannus ad Soph. O. R. v. 1506.

In Medea vss. 1029 sqq. mater infelix pueros ita alloquitur:

ἄλλως ἄρ᾽ ὑμᾶς, ὦ τέκν᾽, ἐξεθρεψάμην,
ἄλλως δ᾽ ἐμόχθουν καὶ κατεξάνθην πόνοις,
στερρὰς ἐνεγκοῦσ᾽ ἐν τόκοις ἀλγηδόνας.

Similiter Andromacha Troad. vss. 752 sqq. filium Astyanactem compellat:

ὦ νέον ὑπαγκάλισμα μητρὶ φίλτατον,
ὦ χρωτὸς ἡδὺ πνεῦμα· διὰ κενῆς ἄρα
ἐν σπαργάνοις σε μαστὸς ἐξέθρεψ᾽ ὅδε,
μάτην δ᾽ ἐμόχθουν καὶ κατεξάνθην πόνοις.

Horum ultimum versum Valckenarius ad Phoen. v. 1152. ex Medea in Andromachae orationem ab histrionibus insertum censet; Hartungus vero l. l. p. 27. ex Troadibus in Medeam translatum suspicatur. Neuter recte, opinor. Sententia enim per se tam plana est tamque simplex et in utroque loco personis pariter atque rerum statui tam accommodata, ut haud sciam an deleta desideraretur.

At cum eiusmodi locis noli comparare Alcest. vss. 207 sq., quem locum, ab aliis spurium iudicatum, nuper Reinholdus Klotzius in censura editionis Dindorfianae (Jahnii Annall. a. 1837. vol. XIX. p. 278 sqq.) Euripidi vindicare studuit. Ibi choro ex reginae famula quaerenti, quid Admetus apud uxorem moribundam egerit, respondet illa:

κλαίει γ᾽ ἄκοιτιν ἐν χεροῖν φίλην ἔχων,
καὶ μὴ προδοῦναι λίσσεται, τἀμήχανα
ζητῶν· φθίνει γὰρ καὶ μαραίνεται νόσῳ
παρειμένη δὴ χειρὸς ἄθλιον βάρος·
ὅμως δέ, καίπερ σμικρὸν ἐμπνέουσ᾽ ἔτι
βλέψαι πρὸς αὐγὰς βούλεται τὰς ἡλίου.
[ὡς οὔποτ᾽ αὖθις, ἀλλὰ νῦν πανύστατον
ἀκτῖνα, κύκλον θ᾽ ἡλίου προσόψεται.]
ἀλλ᾽ εἶμι καὶ σὴν ἀγγελῶ παρουσίαν κτλ.

Versus uncis inclusos primus Valckenarius ad Hippol. v. 662. spurios et ex Hecuba v. 415 sq. in Alcestide collocatos censuit, cui adsensus est Hermannus in observatt. quas ad editionem Monkianam imprimendas concessit, et nuper G. Dindorfius, eos ex verborum ordine eiiciens. Cui primum Klotzius l. l. p. 288. illam opinionem, versus a quopiam homine ex Hecuba in Alcestidem translatos esse, ab nullo codice defendi aut sustentari obiicit; deinde vero, neque cur quis eos interpolaverit intelligi posse, neque versus ipsos, casu hic illatos, sententiarum nexui aptos fuisse arbitratur. Quod ad primum argumentum attinet, verum quidem est, omnes codd. illos versus agnoscere; sed in eiusmodi disquisitionibus non magni momenti esse posse, si quem versum spurium cuncti libri

ex Hecuba Alcestidis loco additos censent, quam qui propter codices acriter defendunt. Rectius tuetur censor doctissimus eiusdem fabulae versum 312. *ὃν καὶ προὔσειπε καὶ προσηρρήθη πάλιν*, quem ut ex v. 195. male repetitum deleri volunt Matthiae, Dindorfius, Hartungus, obsecuti Piersono Verisimil. p. 68. Etenim eandem sententiam aut rem bis commemorandam in una fabula iisdem verbis repetere veteres poetae minime refugiebant, alieni illi a nostrorum poetularum studio, quo eandem rem verbis et elocutione quam maxime variare laborant. Alia versuum in una fabula repetitorum exempla sunt Hippol. vss. 898 et 1049, Alcest. vss. 295 et 651, ibidi vss. 419 et 782, Phoen. vss. 756 et 1376. Ea omnia prorsus nullam interpolationis suspicionem movent; continent enim sententias, quae vel in una eademque tragoedia iteratae neutiquam offendere possunt.

Sed longe alius generis dico eiusmodi repetitiones, quales in Medeae fabula satis multas habemus, notatas quidem a viris doctis, sed nondum omnibus comprobatas. Videamus nunc de singulis.

Nutrix in prologo Medeam Iasonis perfidia summa moestitia et acerbissima ira affectam describens aliis animi concitati indiciis haec quoque addit vss. 36 sqq.

στυγεῖ δὲ παῖδας οὐδ᾽ ὁρῶσ᾽ εὐφραίνεται.
δέδοικα δ᾽ αὐτὴν μή τι βουλεύσῃ νέον·
βαρεῖα γὰρ φρήν, οὐδ᾽ ἀνέξεται κακῶς
πάσχουσ᾽· ἐγᾦδα τήνδε δειμαίνω τέ νιν
μὴ θηκτὸν ὤσῃ φάσγανον δι᾽ ἥπατος
[σιγῇ δόμους εἰσβᾶσ᾽ ἵν᾽ ἔστρωται λέχος,]
ἢ καὶ τυράννους τόν τε γήμαντα κτάνῃ,
κἄπειτα μείζω ξυμφορὰν λάβῃ τινά·
δεινὴ γάρ.

Versum uncis inclusum infra habemus, ubi Medea de ratione, qua possit iram explere, ita secum deliberat vss. 376 sqq.

πολλὰς δ᾽ ἔχουσα θανασίμους αὐτοῖς ὁδούς,
οὐκ οἶδ᾽ ὁποίᾳ πρῶτον ἐγχειρῶ, φίλαι·
πότερον ὑφάψω δῶμα νυμφικὸν πυρί,
ἢ θηκτὸν ὤσω φάσγανον δι᾽ ἥπατος,
σιγῇ δόμους εἰσβᾶσ᾽ ἵν᾽ ἔστρωται λέχος.

ἀλλ' ἕν τί μοι πρόσαντες· εἰ ληφθήσομαι
δόμους ὑπερβαίνουσα καὶ τεχνωμένη,
θανοῦσα θήσω τοῖς ἐμοῖς ἐχθροῖς γέλων,

Alterutro loco versum delendum esse omnes consentiunt interpretes, utro vero dissentiunt. Posteriorem locum considerantes non possunt non concedere versum neque per se ullam habere offensionem neque orationis nexui repugnare, imo verba:

εἰ ληφθήσομαι
δόμους ὑπερβαίνουσα καὶ τεχνωμένη

illum versum pene efflagitare videri. In altero loco nutrix liberorum mentionem facit, quos Medeam odisse dicit; pergit deinde: vereor autem, ne quid novi suo animo moliatur. Ii vero, quibus se vereri dicit, non nisi liberi esse possunt, de quibus modo locuta est. Quae proxime sequuntur verba, caussam indicant, ob quam Medea timenda sit, cui statim haec adiiciuntur:

ἐγᾦδα τήνδε δειμαίνω τέ νιν
μὴ θηκτὸν ὤσῃ φάσγανον δι' ἥπατος κτλ.

quae et ipsa ad liberos referri debent; eos enim in mente habet et eos tantum timere potest ne mater gladio occisura sit. Nutricem autem potissimum de puerorum vita ac salute sollicitam esse et totius orationis nexus ostendit et verba, quae infra vss. 90 sqq. ad paedagogum dicit:

σὺ δ' ὡς μάλιστα τούσδ' ἐρημώσας ἔχε,
καὶ μὴ πέλαζε μητρὶ δυσθυμουμένῃ.
ἤδη γὰρ εἶδον ὄμμα νιν ταυρουμένην
τοῖσδ', ὥς τι δρασείουσαν· οὐδὲ παύσεται
χόλου, σάφ' οἶδα, πρὶν κατασκῆψαί τινα.
ἐχθρούς γε μέντοι, μὴ φίλους, δράσειέ τι.

Cfr. vss. 101 sqq. Et hanc interpretationem egregie adiuvat ipsa ratio atque consilium prologi, quo Euripides utebatur, ut spectatores iam ab initio totius fabulae argumentum et exitum quasi per transennam adspicere possent. Quare neutiquam eam rationem probare possum, qua praeter Elmsleium interpretes ad unum omnes nostrum locum intellexerunt, ut hic nutrix, ne Medea semet ipsam occisura sit, metuere dicatur. Hoc si voluisset poeta, et magis definite locutus esset, et

ὤσηται scripsisset non ὤσῃ, quod mirum quam artificiose defensum ivit Matthiae. Quae si a me recte disputata sunt, statim apparebit illum versum inepte priori loco additum esse. Ibi enim nutrix non de eo sollicita est, ne Medea clanculum domum ingressa pueros in lectulo secure dormientes dolo quasi circumventura sit atque interfectura, cuiusmodi crudelitas quum omnino in matre quantumvis immani vix cogitari queat, tum in eam plane non quadrat, cuius φρὴν ut βαρεῖα denotatur; sed hoc tantum metuit, ne domina puerorum adspectu vehementius contra Iasonem exacerbata et prorsus ad desperationem adducta eos occisura sit, id quod luculenter testantur versus supra a me citati, quibus nutrix paedagogum iubet pueros ex matris conspectu removere. Quare illum versum ex altero loco in priore a quopiam homine male repetitum esse aut margini adscriptum perperam deinde in ipsum verborum ordinem irrepsisse minime dubito. Interpolationis invitamentum erat versus antecedens.

In colloquio illo, quod infra inter Creontem atque Medeam legimus, dicit Medea inter alia etiam haec verss. 294 sqq.

χρὴ δ᾽ οὔποθ᾽ ὅστις ἀρτίφρων πέφυκ᾽ ἀνὴρ
παῖδας περισσῶς ἐκδιδάσκεσθαι σοφούς·
χωρὶς γὰρ ἄλλης ἧς ἔχουσιν ἀργίας
φθόνον πρὸς ἀστῶν ἀλφάνουσι δυσμενῆ.
σκαιοῖσι μὲν γὰρ καινὰ προσφέρων σοφὰ
δόξεις ἀχρεῖος κοὐ σοφὸς πεφυκέναι·
τῶν δ᾽ αὖ δοκούντων εἰδέναι τι ποικίλον
κρείσσων νομισθεὶς λυπρὸς ἐν πόλει φανεῖ.
ἐγὼ δὲ καὐτὴ τῆσδε κοινωνῶ τύχης·
σοφὴ γὰρ οὖσα, τοῖς μέν εἰμ᾽ ἐπίφθονος,
[τοῖς δ᾽ ἡσυχαία, τοῖς δὲ θατέρου τρόπου,]
τοῖς δ᾽ αὖ προσάντης· εἰμὶ δ᾽ οὐκ ἄγαν σοφή.

Versum 304, quem Piersonus et caeteri editores ut e versu 808. translatum uncis incluserunt, codex Par. A. non nisi in margine scriptum exhibet; nec difficile est intellectu eum hic ex altero loco male repetitum esse. Nam quae Medea de aliis hominibus modo ita disputavit:

σκαιοῖσι μὲν γὰρ καινὰ προσφέρων σοφὰ
δόξεις ἀχρεῖος κοὐ σοφὸς πεφυκέναι·
τῶν δ' αὖ δοκούντων εἰδέναι τι ποικίλον
κρείσσων νομισθεὶς λυπρὸς ἐν πόλει φανεῖ,

ea nunc ita in semet ipsam transfert, ut se illis plane similem affirmet. Quare quemadmodum illos aliis inutiles aliis difficiles videri contenderat, ita nunc se eadem expertam esse dicere debebat, non autem addere nova et hic prorsus inutilia, qualia iste versus continet; quem, quum infra suo loco positus sit, hinc opinor expellere praestat, quam cum Reiskio Euripidi vindicare. Putabat autem vir doctus eum propterea necessarium, quod Creon v. 319 sq. respondeat:

γυνὴ γὰρ ὀξύθυμος, ὡς δ' αὔτως ἀνήρ,
ῥᾴων φυλάσσειν ἢ σιωπηλὸς σοφός.

At hoc responsum non tam ad illum unum versum pertinere quam ad omnem Medeae orationem quivis facile intelliget, qui utriusque sermones accuratius consideraverit.

Non minus superfluus et ab orationis argumento alienus videtur ille versus, qui infra vss. 464 sqq. inter haec Medeae verba legitur:

ὦ παγκάκιστε, τοῦτο γάρ σ' εἰπεῖν ἔχω,
γλώσσῃ μέγιστον εἰς ἀνανδρίαν κακόν,
ἦλθες πρὸς ἡμᾶς, ἦλθες, ἔχθιστος γεγώς;
[θεοῖς τε κἀμοὶ παντί τ' ἀνθρώπων γένει;]
οὔτοι θράσος τόδ' ἐστὶν οὐδ' εὐτολμία,
φίλους κακῶς δράσαντ' ἐναντίον βλέπειν,
ἀλλ' ἡ μεγίστη τῶν ἐν ἀνθρώποις νόσων
πασῶν, ἀναίδεια.

Horum versuum quartum recte spurium iudicavit Matthiae, scribens ita in annotatione: „aptius haec conferuntur in Medeam post Creusae et liberorum caedem perpetratam, quam hic in Iasonem, nullo nisi uxoris desertae crimine laborantem.“ Id enim Medea hic miratur et Iasoni exprobrat, quod ille quasi nullius culpae sibi conscius in coniugis conspectum venire non veritus sit, quum tamen existat homo omnium inimicissimus; quare mihi quidem ille versus hic quam maxime alienus neque ab Euripide scriptus esse videtur. Caeterum aliquid difficultatis habet huius orationis initium, cuius con-

structionem novissimi interpretes non recte perspexisse videntur. Omnes enim interpunctione post ἔχω sublata γλώσσῃ cum εἰπεῖν coniungunt, ut in sententia quaedam insit orationis abundantia, similis Virgilianis illis: *sic ore locuta est, et voces ore refert*. Sed illud γλώσσῃ in alio, quam εἰπεῖν, versu positum habet quo valde displiceat. Nam ubi primum versum audivimus, ad eius structuram et sententiam nihil praeterea requirimus, imo verbo ἔχω sententiam potius finitam quam cum sequentibus coniunctam exspectamus. Mihi post ἔχω comma ponendum videtur et dativus γλώσσῃ iungendus cum μέγιστον, ita ut utriusque versus sententia haec sit: *o pessime, nam hoc nomine te dicere habeo, quod est linguae maximum opprobrium in animum minime virilem.*

Vss. 780 sqq. haec secum constituit Medea:

παῖδας δὲ μεῖναι τοὺς ἐμοὺς αἰτήσομαι,
οὐχ ὡς λιποῦσα πολεμίας ἐπὶ χθονὸς
ἐχθροῖσι παῖδας τοὺς ἐμοὺς καθυβρίσαι,
ἀλλ' ὡς δόλοισι παῖδα βασιλέως κτάνω.
πέμψω γὰρ αὐτοὺς δῶρ' ἔχοντας ἐν χεροῖν,
νύμφῃ φέροντας, τήνδε μὴ φεύγειν χθόνα,
[λεπτόν τε πέπλον καὶ πλόκον χρυσήλατον·]
κἄνπερ λαβοῦσα κόσμον ἀμφιθῇ χροΐ,
κακῶς ὀλεῖται πᾶς θ' ὃς ἂν θίγῃ κόρης.

Pflugkius haec annotavit: „etsi pronum ad suspicionem est, quod v. 785. in Par. A. post v. 786. demum infertur, in Havn. autem deest a manu sec. in margine additus: tamen ut spurium eum censeam cum Valckenario, Brunckio, Porsono, Matthiaeo, nondum permoveor; sequentem vero versum infra v. 949. repetitum uncinis inclusi.“ Qua de caussa hoc fecerit, accuratius exponere supersedit. Sed videamus nunc de altero loco vss. 946 sqq.

ξυλλήψομαι δὲ τοῦδέ σοι κἀγὼ πόνου·
πέμψω γὰρ αὐτῇ δῶρ' ἃ καλλιστεύεται
τῶν νῦν ἐν ἀνθρώποισιν, οἶδ' ἐγώ, πολύ,
λεπτόν τε πέπλον καὶ πλόκον χρυσήλατον
παῖδας φέροντας.

Sic verba distinxit Pflugkius, quae si construere vis, magnopere laborabis in versu

λεπτόν τε πέπλον καὶ πλόκον χρυσήλατον,

nesciens, utrum haec verba appositionem contineant et cum antecedentibus debeant coniungi, an cum verbis subsequentibus παῖδας φέροντας. Nam si orationem usque ad illum versum recitaveris, versus constructionem censebis cum praecedentibus cohaerere; audiens vero sequentia, statim cum iis versum coniungere males et accusativos pendentes a participio φέροντας habere putabis. Iam vero considera totius loci structuram et attende ad verborum collocationem. Verba ita sunt iungenda: πέμψω γὰρ παῖδας φέροντας αὐτῇ δῶρα, ἃ καλλιστεύεται etc. Vides igitur verbis πέμψω γὰρ παῖδας φέροντας perquam moleste et impedite caetera inculcata esse, praecipue illum versum, supra iam positum, quo omisso omnia bene procedunt. Dicat fortasse aliquis, Medeam hic satis accurate dona sua descripsisse oportere, Iasonem enim vss. 960 sq. se scire ostendere, quae et qualia dona mittere velit. At ut hoc cognitum haberet Iason, non opus erat nostro loco singula dona accurate commemorari, omnia enim nunc parata in scena proposita sunt et ipse κόσμος in arcula ante Iasonis oculos collocatus est. Revertamur ad priorem locum, quem editores omnes interpolatum habuerunt, alii alium versum omittentes. Versum 785, quem Valckenarius, Brunckius, Porsonus aliique removerunt, recte quidem defendit Elmsleius, alterum vero, de quo modo disputavimus, deleri vult, cui adsentiri videtur Hermannus. Meo quidem iudicio non recte. Nam quae subsequuntur:

κἄνπερ λαβοῦσα κόσμον ἀμφιθῇ χροΐ

postulare videntur, ut quale donum mittere velit Medea antea indicatum sit, id quod minime fugit Hermannum. Accedit quod ubi primo donorum mentio fit, multo aptius singula describuntur ac nominantur, quam altero loco, quo de iis iam audivimus. Iam vero si sequimur cod. Par. A. versus hoc modo collocantem:

πέμψω γὰρ αὐτοὺς δῶρ' ἔχοντας ἐν χεροῖν
λεπτόν τε πέπλον καὶ πλόκον χρυσήλατον
νύμφῃ φέροντας κτλ.

et aliquanto elegantiorem versuum ordinem nanciscimur et interpolationis originem perspicimus satis probabilem. Etenim

verba παῖδας φέροντας, quae infra leguntur similia iis quae hic habemus, νύμφῃ φέροντας, facile librarium movere potuerunt, ut versum in priore loco iis praecedentem etiam posteriori addere vellet.

Vss. 1002 sqq. inter paedagogum et Medeam hoc exoritur colloquium:

Παιδ. δέσποιν', ἀφεῖνται παῖδες οἵδε σοι φυγῆς,
καὶ δῶρα νύμφη βασιλὶς ἀσμένη χεροῖν
ἐδέξατ'· εἰρήνη δὲ τἀκεῖθεν τέκνοις.
Μηδ. ἔα.
Παιδ. τί συγχυθεῖσ' ἕστηκας, ἡνίκ' εὐτυχεῖς;
[τί σὴν ἔτρεψας ἔμπαλιν παρηίδα
κοὐκ ἀσμένη τόνδ' ἐξ ἐμοῦ δέχει λόγον;]

Duo ultimi paedagogi versus supra leguntur v. 923 sq. nisi quod ibi pro τί σὴν ἔτρεψας scriptum est στρέψασα λευκήν. Elmsleius: illud autem ἔτρεψας, inquit, manifestum νοθείας indicium, si per metrum licuisset, ἔστρεψας scripsisset falsarius idque metro repugnante exhibent Rom. A. C. Mag. Vitiosam lectionem, quam A. C. et Magii liber suppeditant, interpolationem, in aliis libris deinde correctam metroque accommodatam, valde probabilem reddere, lubenter concedo; attamen ea caussa non eiusmodi est, quae versus spurios esse nobis persuadere queat. Sed quod deinde contendit Elmsleius et Pflugkius toto animo arripuit, vitiosum esse ἔτρεψας et contra tragicorum usum dictum, valde vereor ne quid nimis hic dixerit vir doctissimus. Quemadmodum enim apud Soph. Rhizot. I, 1. (479. Dind.) Medea memoratur ἐξοπίσω χερὸς ὄμμα τρέπουσα, ita potuit ab Euripide dici τρέπειν ἔμπαλιν παρηίδα. Caussa, quae illos versus suspiciosos reddit, longe alia est. Medea audiens paedagogi verba, quibus ille Creusam dona ab liberis accepisse nuntiat, subito contremiscit et se suumque horribile facinus nunc ipsa vehementer expavescit exclamans ἔα. Paedagogus repentina dominae conturbatione prorsus non intellecta iure quaerere poterat:

τί συγχυθεῖσ' ἕστηκας, ἡνίκ' εὐτυχεῖς;

sed minime addere duo versus, qui vulgo sequuntur. Nam

qui subito narratione ac metu perculsus est, vultum non avertere solet, quod non nisi ii faciunt, qui aliquid dissimulare et alterum callide celare student. Quare in priore loco aptissime uterque versus legitur, non item in nostro, ubi a metrico correctore, qui *στιχομυθίας* legem violatam putaret eamque restituere vellet, male additus videtur. . . . .

In egregia illa Medeae oratione, qua pueros ultimum alloquitur, admodum dubia, quid faciendum sit, vss. 1059 sqq. haec leguntur:

μὰ τοὺς παρ᾽ Ἅιδην νερτέρους ἀλάστορας,
οὔτοι ποτ᾽ ἔσται τοῦθ᾽, ὅπως ἐχθροῖς ἐγὼ
παῖδας παρήσω τοὺς ἐμοὺς καθυβρίσαι.
[πάντως σφ᾽ ἀνάγκη κατθανεῖν· ἐπεὶ δὲ χρή,
ἡμεῖς κτενοῦμεν, οἵπερ ἐξεφύσαμεν.]
πάντως πέπρωται ταῦτα κοὐκ ἐκφεύξεται.

Utrumque versum, quem uncis inclusi, Medea infra v. 1240 sq. huic orationi intexuit:

φίλαι, δέδοκται τοὔργον, ὡς τάχιστά μοι
παῖδας κτανούσῃ τῆσδ᾽ ἀφορμᾶσθαι χθονός,
καὶ μὴ σχολὴν ἄγουσαν ἐκδοῦναι τέκνα
ἄλλῃ φονεῦσαι δυσμενεστέρᾳ χερί.
πάντως σφ᾽ ἀνάγκη κατθανεῖν· ἐπεὶ δὲ χρή,
ἡμεῖς κτενοῦμεν, οἵπερ ἐξεφύσαμεν.

Utro loco versus genuini sint, valde fluctuant interpretum sententiae. Valckenarius ad Phoen. v. 1286. priore loco ab Euripide positos, altero ab histrionibus additos censuit, quem secuti sunt Brunckius, Porsonus, Elmsleius, Matthiae, Bothius. Contrarium statuit Piersonus Verisim. p. 59, cui adstipulati sunt Musgravius, L. Dindorfius, Pflugkius. Et hoc recte quidem; sed nullus eorum iustam caussam perspexisse videtur. Posteriore loco, quo liberi neci destinati sunt ac devoti, Medeae sane ita ratiocinari licuit:

πάντως σφ᾽ ἀνάγκη κατθανεῖν· ἐπεὶ δὲ χρή,
ἡμεῖς κτενοῦμεν, οἵπερ ἐξεφύσαμεν.

In priore vero, quum non nisi deliberet Medea, sintne liberi occidendi nec ne, apparet inepte addi talem ratiocinationem vel maxime alienam ab orationis argumento. Accedit etiam quod, si Euripides matrem coram liberis tam aperte ac definite de ipsorum caede loquentem fecisset, quum rei omnino parum conveniret tum egregie repugnaret caeterae Medeae orationi, qua liberorum mortem commemorare devitat et, ubi eius mentionem facere debet, obscure tantum et verbis admodum ambiguis loquitur.

ARMINII KOECHLY

PHILOS. DR. PROGYMNAS. SAALFELD. PRAECEPT.

EMENDATIONES ET ADNOTATIONES

IN QUINTUM SMYRNAEUM.

In societatem graecam admissus cum saepius de Quinto Smyrnaeo, qui scriptor forte fortuna in manus venerat, disputavissem videremque eum scriptorem nova editione et prae ceteris esse indigentem, neque multis aliis indigniorem, tandem, nisi alius me esset praeventurus, ipse huius poetae recensendi laborem in me suscipere constitui. Quam ad provinciam ut rite accederem, — neque enim desultoria opera rem praecipitare placuit —, cum ceteros epicos, tum Quintum accuratiori et acriori studio constanter pertractare perrexi, nec defuit, si quae vera aut probabilia mihi invenisse viderer in societatem graecam attulissem, *Hermanni* iudicium alia probantis alia reiicientis. Postremo consilium in dies stabilitum *Hermanno*, quem optumum mihi fore suasorem sciebam, aperire ausus magis etiam ab eo, ut impigre in proposito persisterem, sum confirmatus. Itaque itinere ante hos duos annos Monachium facto, hac opportuna usus sum occasione, ut codicem Quinti omnium praestantissumum, qui in ea urbe asservatur, iterum diligentissume compararem. Quem laborem ut sine difficultate exsequi mihi liceret, factum est insigni *Leonhardi Spengelii*, viri celeberrimi, benevolentia, qui litteris *Hermanni* a me sibi redditis me et humanissume recepit et in *Krabingeri*, bibliothecae Monacensis custodis, notitiam introduxit. Is vero cum, quid ego agitarem animo, comperisset, et illius codicis usum mihi permisit commodissumum et, quaecunque ego praeterea ex bibliothecae Monacensis amplissumis copiis accuratius cognoscere cupiebam, ea omnia inspicienda et volutanda mihi paratissume

praebuit. Itaque non possum quin hac oblata occasione his duobus viris in memoriam me revocem, atque non immemorem me esse eximiae, quam ab iis expertus sim, benignitatis gratissumo animo iis profitear.

Interea cum de Tychsenianis copiis sciscitans eas apud *Franciscum Spitznerum*, virum celeberrumum, asservari certior essem factus, litteras ad eum dedi, quibus et consilium cum eo communicarem, et quibus fortasse conditionibus id subsidium comparari posset cognoscerem. Is vero ad litteras meas non solum respondit, sed etiam mihi, quem ne fando quidem adhuc audiverat, tam comem paratamque ad me adiuvandum ostendit benignitatem, ut, si benevolentissumo eius studio id quod volebam perfici potuisset, non dubitem quin res meae eventum habiturae fuissent exoptatissumum. Itaque, id quod apud praesentem congressu et sermone nondum facere mihi licuit, pro ea in me humanitate gratias illi viro ago et amplissumas et vero sincerissumas. Mox, cum proposito meo difficultates obstare viderentur vix removendae, ego, etiam aliis in rebus fortunae iniquitatem expertus, iam de successu desperare coepi, et cum ante hunc unum et dimidiatum annum Saalfeldiam abirem, munus scholasticum auspicaturus, plane abiicere rem constitui. Ita obrutus insuper scholasticorum negotiorum insueta mole, quamquam non prorsus destiti ab epicis lectitandis, tamen nec amplius singulare in Quinto studium posui, et alia praeterea tractare coepi multa, ab eo poeta satis remota. Sed cum primis huius ipsius mensis diebus litterae mihi allatae essent *Westermanni*, viri clarissimi, quibus monerer, ut promissis, quae a me data essent, satisfacturus dissertationem mitterem actis societatis graecae inserendam, cogitatione iterum delatus ad Quintum partem eorum, quae olim in eum eram commentatus, retractatam, emendatam et auctam publici iuris facere constitui. Neque enim ut plane nova conscriberem temporis permittebant angustiae, et Quinti edendi spe fere elapsa haud ingratum videbatur, si aliquod exstaret publicum monumentum la-

boris mei huic poetae dedicati; nec ipsa materia ab actis societatis graecae abhorrebat, cum et multa eorum, quae eram propositurus, iam in ea vere essent olim iactata, atque tota commentatio versaretur in tali scriptorum genere, quibus illustrandis etiam primus *Hermannus* facem praetulit. His caussis commotus hunc qualemcunque libellum conscribere et in lucem emittere non dubitavi; qui quam multiplicem reprehendendi locum sit daturus, nemo me melius intellexerit. Conscribendae enim erant hae schedae intra trium hebdomadum spatium, quarum ego unam tantummodo a solito docendi officio liberam habebam; carendum erat pluribus libris paene necessariis, cum omnes, quibus opus est, proprios possidere mihi quidem non liceat, publicae autem bibliothecae subsidium in ea urbe, in qua delitesco, fere sit nullum. Inde factum est, ut ne *Pauwianam* quidem editionem iterum inspicere mihi liceret, ex qua quamquam quae videbantur graviora aut probabiliora esse olim mihi excerpsi, non tamen omnia a me notata esse notatu digna praestiterim. Augebat autem alia res scribendi laborem; cum enim libelli partem iam chartae mandassem, allatae mihi sunt ante hos quindecim dies tandem annales Zimmermannianae mensis Decembris a. 1837, quibus p. 1161 sqq. *Spitznerus* observationes criticas in Quintum inserendas curavit. Ea autem dissertatio, qua ille *Bonitzii* symbolas criticas in examen vocavit, caussae mihi erat, ut eorum quae scripseram multa reciderem, alia mutarem. Nam et ego saepius disputaveram adversus *Bonitzium*; quos locos si retinuissem, nimium mihi arrogavissem repetendo ea, quae iam doctius, plenius et acutius a *Spitznero* essent exposita. Itaque ibi tantum *Bonitzii* feci mentionem, ubi aut nihil de eo dixit *Spitznerus*, aut ipse ego post utrumque aliquid novi afferre mihi videbar. Quod autem locis nonnullis vel a *Spitznero* dissentire non dubitavi, eius rei confido veniam viri celeberrumi paratam mihi fore, cum neque sine caussis, quae mihi quidem videbantur, idoneis, et semper cum ea contra eum disputaverim modestia, quae iuvenem decet studio-

rum primitias viri harum rerum peritissumi iudicio offerentem. Quem autem finem in locis quos tractarem eligendis sim secutus, paucis adiicere placet. Eos primum afferre studui locos, quibus e codice Monacensi, religiosissume a me excusso, aut aliqua nova medela adhiberi, aut aliorum emendationes post Tychsenium factae confirmari poterant; adiunxi eos locos, quibus ipse ingenii coniecturaeque ope poetae manum restituisse mihi videbar; omisi fere eos, ubi aut alii iam verum erant assecuti, aut antiquarum editionum lectiones reponi debebant. Hoc enim uti sanctissumum est editoris, qualem desideres, officium, ita fere alienum puto ab eo, qui singularem de aliquo scriptore commentationem componit. Huius est nova, quae probabilia sint, afferre, illius vera ex omnibus, quae allata sint, vindicare. Non tamen mirabor, si quaedam a me proposita esse edoctus fuero, quae iam ab aliis mihi praerepta sint. In tanta enim librorum inopia hisque temporis angustiis vix omnia, quae de Quinto scripta sunt, in memoriam mihi venisse credibile est. Ita etiam a *Spitznero* in dissertatione laudata plures emendationes occupatas inveni, quas in hac ipsa dissertatione eram propositurus, ut I. 563. *ἦ· μέγα δ' οἶγ' ἐγέλ.* (p. 1171.), XII. 249. *εἰ καὶ ἀεικίζωσι* (p. 1172.), XI. 260. *οἳ δ' ἔτι δηριόωντο* (p. 1173.), XIII. 257. *οὔπω δῆριν,* XII. 266. *ἐνὶ γούνασι* (p. 1174.). Quod autem pluribus in locis, inprimisque in iis, quae in extremo libello de lacunis exposui, *Hermanni* sententiam, qua ille in veram viam me reduxit, afferre non dubitavi, id spero fore ut haud indigne laturus sit vir perillustris, sed pro summa, quam in eo admiramur, humanitate benigne concessurus, ut sui nominis splendor his exilibus tironis lucubrationibus interponatur.

Scrib. Saalfeldiae, prid. Kal. Novembr. MDCCCXXXVIII.

LIB. I.

V. 3. *Δὴ τότε Τρῶες ἔμιμνον ἀνὰ Πριάμου πτολίεθρον.*

In cod. Monac. legitur *κατὰ Πριάμοιο πόλια* (sic), unde restituendum esse *ἀνὰ Πριάμοιο πόληα* constans Quinti consuetudo nos admonet, in versus clausula hanc tantum, non illam formulam usurpantis. Vid. III. 362. *ποτὶ Πριάμοιο πόληα.* VII. 213. *Πριάμοιο πόληα Πέρσαντες.* VIII. 445. *κλυτὴν Πριάμοιο πόληα.* X. 360. *ἐς Πριάμοιο πολυχρύσοιο πόληα.* XII. 27. *ἐκπέρσαι Πριάμοιο δολοφροσύνῃσι πόληα.* XIV. 211. *περὶ Πριάμοιο πόληα.* Locos ipsos exscripsi, ut altera etiam, quae nusquam conspicitur, loquendi ratione uti potuisse poetam appareret. Necessarium erat XIV. 74. *Πριάμοιο κατημάλδυνε πόληα.* In mediis versibus eadem verba leguntur: III. 29. IV. 58. VIII. 370. 477. 502. XIII. 80. XIV. 84. 140. Contra XIV. 96. *Πριάμοιο καταιθόμενον πτολίεθρον,* nisi omnibus mutatis, evitari non potuit. An meminerat, apud Homerum *πτολίεθρον* praegresso statim *Πριάμου* aut alio genitivo non occurrere, et excepto *P.* 407. (nam *B.* 228. vix potuit addi epitheton) huic vocabulo semper epitheton, ut *ἱερόν, ἐϋκτίμενον, εὐναιόμενον* esse adiectum? *πόλις Πριάμοιο* autem legitur *A.* 19. *Δ.* 18. *M.* 11. 15. *X.* 165. *γ.* 130.

V. 25. *οὐ μὲν δὴ τόγ' ἑκοῦσα, τιτυσκομένη δ' ἐλάφοιο.* Quotiescunque hunc locum legi, semper offensui mihi fuit pronomen *τόγε*; quod qui ex notione vocis *ἑκοῦσα*, idem fere significantis atque *ἐθέλουσα,* aptum putaverit, haud bene epicae dictionis simplicitati consuluisse mihi videatur. Equidem scribendum censeo: *οὐ μὲν δή τι ἑκοῦσα,* qui hiatus tantum abest ut offendat, ut etiam infra VII. 79. in verbis *οὔ τι ἑκὼν* ex Aldina restituendus sit, petitus ille ex Hom. *Θ.* 81.

V. 30. *αἵ οἱ ἀδελφειῆς κεχολωμέναι αὐτίχ' ἕποντο.* Quod quis putet *αὐτίκα* h. l. aut cum *Rhodomanno* insolenter *e vestigio* vertendum esse, aut vitio affectum, horum neu-

trum verum est. Retinet propriam vim particula, atque *statim post perpetratam sororis caedem* Furias in reginam irruisse indicat. Simillimi sunt hi loci: Hesiod. op. et d. v. 219.

αὐτίκα γὰρ τρέχει Ὅρκος ἅμα σκολιῇσι δίκῃσιν.

et Apollon. Rhod. IV. 385 sq., ubi Medea Iasonem, cuius de amore dubitat, sic increpat:

— ἐκ δέ τε πάτρης
αὐτίκ' ἐμαί σ' ἐλάσειαν Ἐριννύες.

V. 38. Pro ἀρίζηλος γεγανῖα in cod. Monac. ἀριζήλη legitur, quod a Quinto profectum arbitror. Meminerat, nisi fallor, apud Homerum X. 27. ἀρίζηλοι αὐγαί quidem, sed Σ. 219. et 221. ἀριζήλη φωνή legi.

V. 48 sqq. οἵη δι' ἀκαμάτοιο κατέρχεται Οὐλύμποιο
Ἠὼς μαρμαρέοισιν ἀγαλλομένη φρένας ἵπποις,
Ὡράων μετ' ἐϋπλοκάμων, μετὰ δέ σφισι πάσαις
ἐκπρέπει ἀγλαὸν εἶδος.

Offensionem habet praepositio μετά sine ulla caussa aut necessitate uno in versu iterata. Mirum ni scripserit poeta: μέγα δ' ἐν σφισι πάσαις ἐκπρέπει. Cfr. Hom. B. 480 sqq. μέγ' ἔξοχος ἔπλετο πάντων, et deinde: ἐκπρεπέ' ἐν πολλοῖσι καὶ ἔξοχον ἡρώεσσιν. Et plane ita supra v. 37. ipse Quintus dixerat: ἐν ἀστράσι δῖα σελήνη ἐκπρέπει. Perpetuo confunduntur μετὰ et μέγα.

V. 86. καί μιν προφρονέως τῖεν ἔμπεδον, ὥστε θύγατρα
τηλόθε νοστήσασαν ἐεικοστῷ λυκάβαντι.

Quamquam eodem fere modo infra v. 800. legitur: ὥστε θύγατρα φίλην περικωκύσαντες, tamen vera videtur codicis Monac. scriptura: εὖτε, qua particula etiam alibi res, quacum aliquid comparatur, simpliciter a Quinto adnectitur nullo verbo sequente. Vid. I, 586 sq. τίσεις δὲ κακὸν μόρον, εὖτ' ἐν ὄρεσσι κεμμὰς ἀπαντήσασα βοοδμητῆρι λέοντι. VII. 516. νῦν δέ μοι, εὖτε λέοντι κύνες, — μάρνασθ' ἔνδον ἐόντες. IX. 264. δνοφερὸν δὲ νέφος καθύπερθε Κρονίων, εὖτ' ὁμίχλην, διέχευε. XI. 132. εὖθ' ὑπ' ἀπήνῃ δοιοὶ — βόες.

V. 98. τῆσδ' ὡς οὖν ἐσάκουσεν ἐῢς πάϊς Ἠετίωνος,
Ἀνδρομάχη, μάλα τοῖα ἑῷ προσελέξατο θυμῷ.

In his versibus primum voces disiungendae sunt: τῆς δ' ὡς, ut perspicue legitur in Monacensi. Tum ex eodem libro praetulerim ἐπάκουσεν, quod verbum etiam alibi eum genitivo iungitur, ut apud Hom. B. 143. Orph. Lith. v. 455. et ipsum Quintum

II. 61. Nam ἐσακούειν cum accusativo fere, si bene memini, construi solet. Itaque fortasse etiam infra I. 496. οἰμωγῆς ἐπάκουσε restituendum est. Tum altero versu vitiosus est hiatus τοῖα ἐῷ, et ultimam vocem a poeta non esse profectam arguit Monac., in quo plane omissa est, addita ante μάλα particula δέ. Quod *Hermannus* Orph. p. 740. coniecit: τοῖον, id non probaverim, propterea quod Quintus hac in locutione semper aut τοῖα scripsit aut τοῖον ἔπος, ut infra v. 756. Alius generis est τοῖον ὁμόκλα. H. l. poeta dedisse videtur: τοῖα φίλῳ. Cfr. X. 391. φίλον δ᾽ ἀνὰ θυμὸν ἔειπεν et 423. ἀναστενάχουσα φίλον προσελέξατο θυμόν, ubi eodem modo evitavit hiatum.

Tum v. 101. in Mon. legitur: σθένος ἐστι, unde apparet scribendum esse: σθένος ἔσται, quod et sequenti futuro ἐφήσει et simillimo loco comprobatur v. 454 sq.

οὐ γὰρ σθένος ἔσσεται ἶσον
ὑμῖν καὶ Δαναοῖσιν ἐπισταμένοισι μάχεσθαι.

V. 120. οἱ δ᾽ ὅτε δὴ παύσαντο ποτοῦ δαιτός τ᾽ ἐρατεινῆς,
δὴ τότε που δμωαὶ στόρεσαν θυμήρεα λέκτρα.

Omnia sana videntur, et movet tamen suspicionem Monacensis scriptura, in quo prior versus sic legitur:

καὶ τοίη δ᾽ ὅτε δὴ παύσαντο ποτοῦ καὶ δαιτὸς ἐρατεινῆς

Unde in versus clausula καὶ δαιτὸς ἐραννῆς scribendum esse coniicio. Sed quid faciamus vitiosa lectione, qua versus initium codex exhibet? Eodemque modo in Veneto legi: καὶ τοὶ ἠδὲ ὅτε δὴ παύσαντο etc. notavit *Tychsenius* in praef. p. XCV. Apparet, diversas lectiones a librariis conflatas esse, cum alii καὶ δ᾽ ὅτε δὴ παύσ. alii τοὶ δ᾽ ὅτε δὴ παύσαντο legerent. Sed fortasse utriusque versus initium haud absimile corruptelae caussa fuit, ita ut, particula καὶ ad sequentem versum relata, locus ita sit constituendus:

τοὶ δ᾽ ἤδη παύσαντο ποτοῦ καὶ δαιτὸς ἐραννῆς·
καὶ τότε που δμωαὶ στόρεσαν θυμήρεα λέκτρα.

Et hoc ego libenter praetulerim.

V. 142. κνήμῃσιν ἐπ᾽ ἀργυρέῃσιν ἔθηκεν.

Emendandum esse ἀργυφέῃσιν, iam olim monui in Zimmermanni annalibus a. 1836. p. 658, ubi pluribus de ea voce exposui.

V. 153. ἀστεροπῇ δ᾽ ἀτάλαντος ἐείδετο, τὴν ἀπ᾽ Ὀλύμπου
ἐς γαῖαν προΐησι Διὸς μένος ἀκαμάτοιο,
δεικνὺς ἀνθρώποισι μένος βαρυηχέος ὄμβρου,
ἠὲ πολυρροίζων ἀνέμων ἄλληκτον ἰωήν.

Offendit verbum ἐείδετο, quod etiamsi vertatur *aspiciebatur*, magnopere tamen languet. Nec iuvat Opp. Hal. II. 231. πέτρῃσιν ὁμοίιοι ἰνδάλλονται attulisse. Recte etiam notavit *Pauwius*, non aptam esse comparationem Penthesileae nondum se moventis cum fulmine descendente, id quod non potest conferri cum quacunque re splendida, sed tantummodo cum re, quae et splendet et celeriter movetur. Neque ita Homerus *N*. 241 sqq., quem aperte Quintus imitatus est:

δύσετο τεύχεα καλὰ περὶ χροΐ, γέντο δὲ δοῦρε·
βῆ δ' ἴμεν ἀστεροπῇ ἐναλίγκιος, ἥντε Κρονίων
χειρὶ λαβὼν ἐτίναξεν ἀπ' αἰγλήεντος Ὀλύμπου,
δεικνὺς σῆμα βροτοῖσιν.

Itaque etiam in ἐείδετο verbum *movendi* latere puto, id quod facile restituas scribendo ἐπείγετο. Hoc enim verbum apud seriores saepe dicitur absolute de *festinando*, ubi e totius loci sententia facile apparet, qua in re festinetur. Ita apud Nonn. XX. 408.

Σάτυροι δὲ δαφοινήεσσαν ἀπήνην
πορδαλίων ἔζευξαν ἐπειγομένῳ Διονύσῳ.

XIV. 220. ἠπείγοντο Διωνύσοιο τιθῆναι. Et apud ipsum Quintum infra v. 20. ἐπειγομένου ἀνέμοιο et v. 514. ἐπειγομένοισι legitur.

V. 186 sqq. κλῦθι, πάτερ, καὶ λαὸν Ἀχαιικὸν ἤματι τῷδε
δὸς πεσέειν ὑπὸ χερσὶν Ἀρηιάδος βασιλείης,
καὶ δή μιν παλίνορσον ἐμὸν ποτὶ δῶμα σάωσον,
ἀζόμενος τεὸν υἷα πελώριον ὄβριμον Ἄρην,
αὐτήν θ', οὕνεκ' ἔοικεν ἐπουρανίῃσι θεῇσιν·
ἐκπάγλως δ' ἡ σεῖο, θεοῦ γένος, ἐστὶ γενέθλης.

In his nonnulla turbata sunt. Et primum quidem versu tertio particulae καὶ δή quomodo defendi aut explicari probabiliter possint non video. In Monac. legitur: καὶ δ' ἥ μιν (sic). Scribendum puto: τὴν δ' ἡμῖν παλίνορσον etc. Litteris male divulsis τὴν quoque, quod non videretur ferri posse, mutatum est.

De postremo versu, in quo editiones antiquae praebent ἐκπάγλως δή, ante hos fere quatuor annos ita eram in societate graeca commentatus: „*Rhodomannus* transtulit: *nam plane a divina tua prosapia genus ducit.* At vero ἐκπάγλως minume quadrat. Id enim cum proprie denotet, aliquam rem ita esse comparatam, ut aut terrorem et metum, aut admirationem et stuporem excitet, tum omnino significat *admodum*, *magnopere*,

nimium. Vide, ut ceteros scriptores omittam, Quintum ipsum III. 551. VI. 189. IX. 425. XII. 222. XIII. 349. *Rhodomannus* quidem vertit *plane.* Sed neque haec significatio inest in adverbio ἐκπάγλως, neque, si inesset, apte inesset. Contra illud ἐκπάγλως, quod si cum sequentibus verbis iungitur, sententiam evertit, optumam praebet sententiam, si interpunctione post θεῇσιν sublata antecedentibus adnectitur. Et id faciendum esse ex his locis clarissime apparet:

II. 131 sq. καὶ γὰρ δὴ μακάρεσσιν ἀτειρέσι πάντα ἔ ο ι κ α ς
ἐ κ π ά γ λ ω ς, ὡς οὔτις ἐπιχθονίων ἀνθρώπων.
X. 183 sqq. τῶν δ᾽ ἄγχι λύκοι ἔσαν ὀβριμόθυμοι
καὶ σύες ἀργιόδοντες, ἐϋσθενέες τε λέοντες,
ἐ κ π ά γ λ ω ς ζωοῖσιν ἐ ο ι κ ό τ ε ς.

Simili modo Homerus usus est vocabulo αἰνῶς *Γ.* 158. *K.* 547. *α.* 208. Iam si cetera aggrédimur, apparet mutandum esse illud δὴ v. δ᾽ ἥ, quod omnem nexum perturbat. Enumerat caussas Priamus quibus Iuppiter, ut parcat Penthesileae, commoveri debeat. Harum prima est, quod revereri debeat Martem filium, altèra, quod Penthesileam, miro modo deabus similem. Iam accedit tertium argumentum, repetitum illud ex Penthesileae origine, quam illa ab ipso Saturnio duxit. Hoc argumentum vix poterit apte alia ratione adnecti, quam *copula*, ita ut locus sic scribendus sit:

οὕνεκ᾽ ἔοικεν ἐπουρανίῃσι θεῇσιν
ἐ κ π ά γ λ ω ς, καὶ σεῖο θεοῦ γένος ἐστὶ γενέθλης."

Sic ego quidem illo tempore. Sed et *Hermanno* et, qui tum adversarii partes susceperat, *Bonitzio*, viro amicissumo, hoc persuadere tantum potui, illud ἐκπάγλως cum antecedentibus iungendum esse: particulam καὶ uterque nimis audacter coniectum censuit. Et nuper quoque *Bonitzius* in dissertatione, quam de Quinto scriptam Zimmermanni annalibus a. 1836. no. 152 — 155. inseruit, eandem quam tunc *Hermannus* fecit, huius loci emendationem p. 1227. protulit et defendit: θεῇσιν Ἐκπάγλως, ἥ σεῖο etc., relativum pronomen ita interpretatus: *ut quae dei proles ex tua stirpe sit.* Sed copula καί, quae multo simplicius singula membra connectit, non aliqua obscura nota, sed *distinctis litteris expressa* in cod. Monac. legitur, ut sine dubitatione iam sit recipienda. Gaudeo autem magnopere, quod etiam *Spitznerus* eandem scripturam et iam olim invenit, et nunc com-

probavit; vid. eius dissertationem, insertam Zimmermanni annalibus a. 1837. p. 1163.

V. 212. τίς δὴ Τρῶας ἄγειρε μεθ᾽ Ἕκτορα δῃωθέντα. Ἀγείρειν fere dicitur de copiis bellicis uno loco congregandis, ut inde coniunctis viribus expeditio suscipiatur. Ita Homerus *B*. 664. *Γ*. 47. *Δ*. 28. 377. *I*. 338. *Λ*. 716. 770. *Π*. 129. Hoc loco autem non sermo de Troianorum in urbem compulsorum congregatione; sed hoc potius interrogando effertur, quis tandem Troianos, Hectore mortuo iam desperantes, novo rursus animo et bellandi furore incenderit. Cf. v. 162. 215. Hoc dicéndum erat ἔγειρε, verbo de hac re semper usurpato. Vid. Hom. *K*. 511. μή πού τις καὶ Τρῶας ἐγείρῃσιν θεὸς ἄλλος. *N*. 357. *O*. 242. 603. *P*. 552.

V. 230. Quamquam defendi potest nomen Δηριόνη, tamen cum et hic et infra v. 258. cod. Monac. praebeat Δηρινόη, hanc formam, aliorum multorum nominum analogia firmatam, recipiendam et supra v. 42. coniectura reponendam esse arbitror.

V. 250. Forma δρῦοτόμοι prima producta, etsi apud Hesiodum opp. v. 236. legitur δρυὸς ἔλυμα, tamen apud Quintum offendit. Nam quod IX. 163. 453. XIII. 56. δρυτόμος dixit, cum apud Homerum semper δρῦτόμος legatur, id eo defenditur, quod in ea forma arseos vi magnopere effertur littera *υ*. Itaque peropportune h. l. Monac. praebet δουροτόμοι, quod verum esse ex IX. 452. apparet, ubi ὑλοτόμος memoratur.

V. 285. πολυγνάμπτοισιν, quae est emendatio *Wernickii* ad Tryph. p. 419, etiam in Monac. legitur.

V. 289 sq. ἐν γάρ οἱ στέρνοισι θράσος βάλε Τριτογένεια,
ὄφρα γε δυσμενέεσσιν ὀλέθριον ἦμαρ ἐφείῃ.

Quamquam etiam codd. Venet. Vatic. *Γ* et Neapol. apud Schow. p. 73. illud γε tenent, vitiosa tamen est haec particula, quae quid sibi velit non facile dicas. In Monac. autem legitur: ὄφρά τε (γε superscr.). Quintus scripserat ὄφρα κε. Vid., ut unum simillimum locum adscribam, Hom. *π*. 233 sq.

νῦν δ᾽ αὖ δεῦρ᾽ ἱκόμην, ὑποθημοσύνῃσιν Ἀθήνης,
ὄφρα κε δυσμενέεσσι φόνου πέρι βουλεύσωμεν.

V. 307 sq. ἄλλοι δ᾽ ἀμφ᾽ ἄλλοισι φόνον καὶ κῆρ᾽ ἐτίθεντο
ἀργαλέον.

Offendit ἀργαλέον, quod si pro adverbio accipitur, magnopere id languet in sententiae fine et novi versus initio adiectum. Sin illud vocabulum tanquam adiectivum iungitur cum φόνον, im-

portune in medio posita sunt verba καὶ κῆρα. Sensit hoc iam *Pauwius*, qui reponi volebat ἀργαλέην, id quod *Rhodomannus* vertendo expressit. Equidem praetulerim ἀργαλέοι. Tum poeta ita adiectivo usus esset, ut infra id positum est VI. 23. ὑπὸ Τρωσὶ δαμήμεναι ἀργαλέοισιν. — Idem vocabulum vitiatum puto etiam v. 113, ubi vulgo legitur:

κεῖνον ὅτ᾽ ἀμφὶ πόληα ποδώκεες εἴρυον ἵπποι
ἀργαλέως Ἀχιλῆος, ὅ μ᾽ ἀνέρος εὖνιν ἔθηκεν.

Displicet adverbium eo quo positum est loco. Monac. praebet: ἀργλέος, unde fortasse scribendum est ἀργαλέου Ἀχιλῆος. —

V. 313. Bene Monac. habet: Τρώων τ᾽ Ἀργείων τε. Nam sententia est: „multorum corda illo die soluta sunt, *et* Troianorum *et* Argivorum."

V. 325. μέγα φρεσὶ κυδιόωσα ex sua coniectura dedit *Tychsenius* (cf. praef. p. CIV.), cum in Aldina, quacum consentit Monac., legatur μειδιόωσα. Bona est coniectura; sed tamen fortasse melius etiam ferocientis reginae animo conveniret μαιμώωσα. Cf. infra v. 406 sq.

κρατερῇσι δ᾽ ὑπὸ φρεσὶν ἐμμεμανῖα
θαρσαλέον φάτο μῦθον.

V. 327. οὐ γάρ πώ τις ἐμὸν σθένος ἐξυπαλύξας
χάρμα φίλοις τοκέεσσι καὶ υἱάσιν ἠδ᾽ ἀλόχοισιν
οἴσεται.

Rhodomannus vertit: *gaudium referet*. Hoc non videtur verbo οἴσεται inesse, quod, si bene memini, dicitur fere de eo, qui abiturus est aliquid apportatum, id quod nos dicimus *holen*. Neque aliter usurpatur apud Hom. X. 216 sq., qui locus comparari posse videatur:

νῦν δὴ νῶί γ᾽ ἔολπα, Διὶ φίλε, φαίδιμ᾽ Ἀχιλλεῦ,
οἴσεσθαι μέγα κῦδος Ἀχαιοῖσι προτὶ νῆας,
Ἕκτορα δῃώσαντε etc.

Scribendum videtur ἔσσεται, frequenti apud Quintum quoque loquendi ratione. Ex eo hos locos notavi: I. 126. ὅππως μιν λεύσσουσα κακὸν Τρώεσσι γένηται. 572. ᾔδεεν, ὡς Ἀχιλῆι — ῥηίδιος πόνος ἔσσεται. II. 47. δείδω, μὴ — δαμείη κεῖνος ἀνήρ, πολλοῖς δὲ καὶ ἄλλοις πῆμα γένηται. 360. ἔλπετο γὰρ Τρώεσσι φάος, Δαναοῖσι δὲ πῆμα ἔσσεσθαι. III. 312. ὃ δ᾽ ἕλκεος οὐκ ἀλέγιζεν, ἀλλ᾽ ἄφαρ οὐτήσαντι κακὸν γένετο. IV. 305. ἥ τε (πυγμαχίη) νέοισιν τερπωλὴ πέλεται. V.

149. μέγα δ' ἔσσεται ἄλγος Ἀχαιοῖς, κεῖνον ὅντινα δεινὸς ἕλῃ χόλος. 263. μέγα γὰρ κράτος ἀνδράσι μῦθος γίγνεται. 431. πολλάκις ἡμῖν (ὅγε) γίγνεται ἐσθλὸν ὄνειαρ, ἄχος δ' ἄρα δυσμενέεσσιν. 514. σὺ γὰρ ἔπλεο πήματος ἄλκαρ. 520. ἐπεὶ σύ μοι ἔπλεο κῦδος. 564. ὅς ἔπλετο κάρτος Ἀχαιῶν. VI. 95. τὸ (δεῖπνον) πέλει ἀνδράσιν ἀλκή. VII. 222. ἤν τι φάος Δαναοῖσι — γένωμαι. 310. ἄστρα, τὰ — πέλει δέος ἀνθρώποισιν. 647. ἔσκε δέ μοι μέγ' ὄνειαρ. VIII. 16 sq. — ἵν' Ἀργείοισιν ἄκος πολέμου, — δυσμενέεσσι δὲ πῆμα γενώμεθα. XII. 10. δόλον, ὅς νήεσσι καὶ ἡμῖν ἔσσετ' ὄνειαρ. XIV. 182. Τρωσὶν ἄχος πέλε, χάρμα δ' Ἀχαιοῖς. — V. 326. autem bene *Bonitz*. l. c. p. 1227. ὡς Πριάμοιο emendavit. —

V. 335. ἦ ῥα καὶ Ἀργείοισι μέγα φρονέουσ' ἐνόρουσεν,
Κηρὶ βίην εἰκυῖα.

Scribendum θηρί. Vide, ut alios poetas praeteream, Quintum ipsum XI. 476. Αἰνείαν — θηρὶ βίην ἀτάλαντον, et cf. praeterea, ne similia similibus adscribam, I. 207. 222. III. 32. V. 371. X. 101. XIII. 156. Comparatio ex Homero fluxit Γ. 447. Δ. 546. θηρὶ ἐοικώς. Cum Kere, quae nihil est nisi violentae mortis notio in deae mortiferae personam translata, non poterat tam breviter quisquam conferri. Eiusmodi comparationes petuntur aut ex rebus, quae sensibus subiectae vere cernuntur, aut ex fictis personis, quae fabularum constantia et nobilitate certam formam, qua praediti cogitentur, acceperunt. Ita cum Iove, cum Marte aliisve diis recte aliquis breviter comparari potest. Kerum extat quidem terribilis apud Hesiodum scut. Herc. 249. sqq. descriptio, cuius prima fundamenta iam Homerus obtulit Σ. 535 sqq., sed ea neque frequenti aliorum poetarum imitatione repetita est, nec satis quadraret in Penthesileam, quae impetu facto hostes prosternit. Keres autem Hesiodeae *caesos* homines unguibus corripiunt iisque cruorem exsugunt. — Obiter moneo, sequenti versu recte iam *Pauwium* scripsisse βαρυστόμῳ, quo epitheto βουπλὴξ nominatur apud Oppian. Hal. IV. 481. V. 152. Βουπλὴξ autem apud Quintum, Oppianum, Nonnum semper *bipennem*, non *stimulum* significat.

V. 339. Recte Monac. praebet ἰοδόκην. Hanc solam formam et Apollonius habet et Nonnus et ipse Quintus infra III. 33.

V. 357. καί ῥ' ὅγε μαψιδίῃσιν ἐπ' ἐλπωρῇσιν ἔειπεν.

Significantius foret ὑπ' ἐλπ. Similis est locus Oppian. Hal. IV. 632, ubi scribendum: ὥς ἀταλὴ κενεῇσιν ὑπ' ἐλπωρῇσι σκίαινα Κέκρυπται.

V. 419. τῷ μή τι φεβώμεθα δηιοτῆτος fortasse sic defendi potest: „quamobrem ne metu correpti *a bello* abstineamus." Fatendum tamen, huius liberioris structurae apud Quintum exemplum inveniri nullum, qui potius IX. 102. sollemni ratione τῷ μή τι φεβώμεθα μῶλον Ἄρηος scripserit. Itaque aut δηιοτῆτα restituendum (quod suasit iam *Pauwius*, si bene memini); aut exquisitius τῷ μὴ φειδώμεθα δηιοτῆτος scribendum.

V. 443. ἄλλη δ' αὖ ἑτέρην προκαλίζεται ἐκτὸς ἄγεσθαι. Quod *Lehrsius*, vir harum rerum peritissimus, in Quaestt. Epp. p. 280. pulchre perspexit, apud Quintum semper ante vocalem αὖτε, non αὖ scribendum esse, eam sententiam mihi iam dudum confirmaverat Monac., qui et hic et III. 409. XII. 260. longiorem formam exhibet.

V. 456 sq. αὐτὰρ Ἀμαζόσι δῆρις ἀμείλιχος ἱππασίαι τε
εὔαδον ἐξαρχῆς, καὶ ὅσ' ἀνέρος ἔργα πέλονται.

Monac. initio: εὔαδεν ἐξ ἀρχῆς. Singularis ille εὔαδεν fortasse defendendus est; sed amplius quaerendum de ea re. Ἐξ ἀρχῆς autem iam vindicavit *Spitznerus* Mant. obss. p. 204. Tum idem liber ἀνέρες praebet. Unde olim locum sic constitueram: καὶ ὅσ' ἀνέρες ἔργα πένονται; sed praestat, opinor, καὶ ὅσ' ἀνέρες ἔργα μέλονται. Similiter, ut unum locum adscribam ex multis, Apoll. Rhod. II. 376. τοὶ δ' ἀμφὶ σιδήρεα ἔργα μέλονται. Utrumque praestat vulgatae: καὶ ὅσ' ἀνέρος ἔργα πέλονται. Nam cf. v. 652. γυναικῶν ἔργα.

V. 481. Quod olim conieci, in Monac. postea inveni: καὶ ἄλλυδις ἤιον ἄλλοι, recipiendum propter sequentia: οἱ μὲν — οἱ δ' ἄρα.

V. 506. ὥσπερ νῦν τελέεσθαι ὑφ' ἡμετέρῃσιν ὀΐω
χερσίν, ἐπεὶ μέγα κάρτος ἀέξεται ἀμφοτέροισιν.

Verba sunt Aiacis, qui admonet Achillem de Patroclo lugentem, ut uterque in pugnam procedat, gloria dignus maiorum qui et ipsi Hercule duce urbem Troiam everterint. Tum adiicitur versus, quem modo adscripsi. Mens autem Aiacis haec est, ut, quemadmodum *olim* per maiorum fortitudinem Troia ceciderit, ita *nunc quoque* ipsorum manibus eundem eventum speret effectum iri. Hoc vero dicendum erat: ὡς καὶ νῦν etc.

Ita enim loquuntur, ubi e sententia generali aut ex rebus antea factis de praesentibus aut futuris conclusionem facere volunt. Vide Hom. *O.* 290 sqq.

ἀλλά τις αὖτε θεῶν ἐρρύσατο καὶ ἐσάωσεν
Ἕκτορ', ὃ δὴ πολλῶν Δαναῶν ὑπὸ γούνατ' ἔλυσεν·
ὣς καὶ νῦν ἔσσεσθαι ὀΐομαι· οὐ γὰρ ἄτερ γε
Ζηνὸς ἐριγδούπου πρόμος ἵσταται ὧδε μενοινῶν.

Apollon. Rhod. I. 677 sqq.

ὔμμι γε μὴν τίς μῆτις ἐπαυρέσθαι βιότοιο,
αἴ κεν ἐπιβρίσῃ Θρήϊξ στρατὸς ἠέ τις ἄλλος
δυσμενέων; ἅτε πολλὰ μετ' ἀνθρώποισι πέλονται·
ὡς καὶ νῦν ὅδ' ὅμιλος ἀνωΐστως ἀφικάνει.

Similia sunt, quae ipse Quintus scripsit III. 649 sqq.

ἦ οὐκ ἀΐεις ὅτι πάντας ὅσοι χθονὶ ναιετάουσιν
ἀνθρώπους ὀλοὴ περιπέπταται ἄσχετος Αἶσα,
οὐδὲ θεῶν ἀλέγουσα; τόσον σθένος ἔλλαχε μούνη·
ἣ καὶ νῦν Πριάμοιο πολυχρύσοιο πόληα
ἐκπέρσει.

V. 574 sqq.

ὦ φίλοι, ὡς οὔπω τι κακώτερον ἄλλο χόλοιο
γίνεται, ὅς τε βροτοῖσι κακὴν ἐπὶ δῆριν ἀέξει·
ὃς καὶ νῦν Αἴαντα πελώριον ἐξορόθυνεν.

Saepius autem πέρ et καὶ commutantur. Ita, ut unum afferam exemplum, etiam in Musaeo v. 311. recte sine dubio *Passovius* δὴ τότε καὶ Λείανδρος scripsit, cum male ante eum legeretur: δὴ τότε Λείανδρός περ.

Paullo infra autem v. 527. ἐμπλήσωνται, quod est necessarium inventumque iam a *Rhodomanno*, etiam Monac. praebet.

V. 542. Non occurrit alibi praesens θορεῖ. Itaque *Buttmannus* Gr. Gr. II. p. 151. θόρεν coniecit, quod quamquam ferri potest, displicet tamen ob sequens μίμνουσιν. Ex scriptura Monac. θορῇ (sic) coniunctivum θόρῃ restituendum esse eo apertius apparet, quo constantius illo in codice iota subscribendum omittitur. Ἠΰτε sequenti coniunctivo legitur apud Hom. *P.* 547. ἠΰτε πορφυρέην ἶριν θνητοῖσι τανύσσῃ Ζεύς. Quem usum vindicavit *Hermannus* Opusc. II. p. 50 sq. etiam ex Apoll. Rh. I. 1049. ἠΰτε κίρκους ὑποτρέσσωσι πέλειαι exemplo allato. — Etiam Oppian. Hal. I. 695. restituas coniunctivum εἰσαφίκηται, male mutatum a *Schneidero*.

V. 545. ὡς ἄρα Πενθεσίλειαν Ἀρήιον ἄνδρες ἔμιμνον. Ita olim de hoc loco iudicaveram: „nimis nude positum ἄνδρες, et offendit masculina adiectivi forma, cf. Apoll. Rh. III. 325. ὄρνιθες Ἀρήιαι. scribendum: Ἀρήιοι ἄνδρες, ut apud Homerum N. 499. potius Achillis et Aiacis quam Penthesileae virtus h. l. notanda erat." Et Ἀρήιοι inveni in Monacensi.

V. 591. Recte Monac. ὄφρα σε Κῆρες ἀμείλιχοι ἀμφιχάνωσιν. Eandem vocem infra V. 611. iam *Rhodomannus* restituit, probante *Spitznero* Mant. obss. p. 208. εὖτέ ἑ Κῆρες ἀμείλιχοι ἀμφιχάνωσιν. Verbum Keribus, uti ab Hesiodo describuntur, accommodatissumum, ex Homero sumpsit Ψ. 79. ἀλλ' ἐμὲ μὲν Κὴρ ἀμφέχανε στυγερή.

V. 611. τῇ γὰρ ἐπεσσυμένῃ μέγ' ἐχώσατο Πηλέος υἱός. Ita etiam Monac. At vero Penthesilea iam non impetum facit, sed vulnere accepto obstupefacta haeret, et utrum resistat an preces fundat secum reputat. Cf. v. 591 sqq. Itaque non dici potuit ἐπεσσυμένῃ, quod verbum necessario de Achille dicendum erat, *cominus* iam in Amazonem *irruente*. Itaque scribas: ἐπεσσύμενος.

V. 675. Ἄρεϊ δ' ἔμπεσε πένθος ἀάπλετον ἀμφὶ θυγατρός.

Unde sit illud ἀάπλετον, omissum in Aldina, nescio. Mutandum certe erat in ἀάσχετον vel ἀάσπετον. Sed Monac. lacunam sic explet: πένθος ὑπὸ φρένας, quod recipiendum esse usus Quinti evincit. Vid. II. 395. ὑπὸ φρένας ἔμπεσε πένθος. III. 584. ὑπὸ κραδίην πέσεν ἄλγος. IX. 80. ὑπὸ φρένας ἔμβαλε θάρσος. 229. ὑπὸ κραδίην βάλε θάρσος. X. 99. ὦρσε δέ οἱ μέγα θάρσος ὑπὸ φρένας. XII. 200. ὑπὸ φρένας ἔμπεσε δεῖμα. — Similia sunt II. 261. 277. V. 597. IX. 238. Ex his locis autem apparet, etiam XII. 521. scribendum esse: ἀλλ' οὐ δεῖμ' ἀλεγεινὸν ὑπὸ Τρώων φρένας ἷξε, ubi hodie ἐπὶ legitur.

V. 677. σμερδαλέῳ ἀτάλαντος ἀεικτυπέοντι κεραυνῷ. Offendit participium ἀεικτυπέων de singulo fulmine dictum. Fulmen, quod omnium rerum celerrume ruit, dici nequit *semper tonans*. Nec locus sanabitur, si ex Monac. divisim scripseris: ἀεὶ κτυπέοντι, ita ut ἀεὶ iungendum sit cum ἀτάλαντος hac sententia: Martem celerrume ex Olympo delatum in tota descensione *semper* similem fulmini fuisse. Sed tum quoque

propter summam, quae Marti adscribitur, celeritatem ineptum est ἀεί. Recte illud in comparatione positum IX. 159.

ὀλοῇ γὰρ ἀλίγκιος αἰὲν ἀέλλῃ
θαρσαλέως δηίοισιν ἐπῴχετο.

Per aliquod enim tempus Deiphobus hostes urget. Quintus h. l. scripsisse videtur ἐϋκτυπέοντι, quod participium, alibi quantum scio non obvium, etiam infra posuit V. 21. de apri dentibus, qui acuuntur.

V. 713 sqq.

τοὔνεκ᾽ ἀπ᾽ Ἀργείων ἑκὰς ἤιεν· ἦ γὰρ ἔμελλεν
κεῖσθαι ὁμῶς Τιτῆσι δαμεὶς στονόεντι κεραυνῷ·
εἰδὼς δ᾽ ἀθανάτοιο πατρὸς νόον ἄλλα μενοίνα.

πατρὸς νόον audaci coniectura (vid. praef. p. CIV.) dedit *Tychsenius* pro eo, quod in antiquis editionibus et in Monac. legitur, παρεκνόον. Sed ferri nequit ea scriptura. Id enim, quod ex *Tychsenii* sententia hoc versu dicitur, multo clarius et aptius iam v. 710—13. dictum erat. Et quam perverse hoc dicitur, ἄλλα μενοίνα, cum plane nihil additum sit, quo illud ἄλλα explicetur. Deinde autem verba ἦ γὰρ etc. non significant, ut vertit *Rhodomannus: alioquin enim* —, sed potius; „*profecto enim* Mars Titanum in modum fulmine occubiturus erat.“ Vid. III. 14 sqq. 700 sq. X. 51 sq. 94 sq. Optume *Pauwius* conditionale membrum restituit:

εἰ Διὸς ἀθανάτοιο παρὲκ νόον ἄλλα μενοίνα.

Eodem modo poeta II. 305 sqq. VIII. 350 sqq. locutus est. Huc etiam ducit corrupta Monac. scriptura: εἰ δὸς ἀθανάτοιο. De illo παρὲκ cf. Apoll. Rh. I. 130. 323. ubi emendandum puto: Πελίαο παρὲκ νόον ἰθὺς ἰόντας. 1315. IV. 102.

V. 739 sq. ἀνδρὶ γὰρ αἰχμητῇ νίκη κλέος, ἔργα τ᾽ Ἄρηος
τερπνά· φυγοπτολέμῳ δὲ γυναικῶν εὔαδεν εὐνή.

Vertit *Rhodomannus* ita: „etenim viro pugnaci victoria decori est, et Martis opera voluptati“ etc. Huic interpretationi duo obstant: primum, quod constructio dura est et inconcinna, deinde, quod ne sermo quidem est de eo, utrum pugnando et vincendo, an per amores gloriam vir comparaturus sit. Potius Thersitae mens haec est, viro forti victorias et bella, viro timido mulierum consuetudinem *voluptati esse*. Itaque Quintus sine dubio scripserat νίκης κλέος etc.: bellicoso viro gloria victoriis parta et Martis opera delectationi sunt.

V. 757 sqq. Hic locus sic scribendus est:

κεῖσό νυν ἐν κονίῃσι, λελασμένος ἀφροσυνάων·
οὐ γὰρ ἀμείνονι φωτὶ χρεὼν κακὸν ἀ ν τ ί' ἐ ρ ί ζ ε ι ν·
ὡς καί που τ ο π ά ρ ο ι θ ε ν Ὀδυσσῆος ταλαὸν κῆρ
ἀργαλέως ὤρινας ἐλέγχεα μυρία βάζων.

Versu altero quod legitur vulgo *ἀ ν τ ι φ ε ρ ί ζ ε ι ν*, verbum est h. l. non aptum. *ἀντιφερίζειν* enim, quod fere idem est atque *ἰσοφαρίζειν*, semper dicitur de eo, *qui sese tamquam parem in aliqua re alteri opponit.* Ita plerumque ponitur de eo, qui alteri in pugna tamquam virtute par obviam it, ut Hom. *Φ.* 357. *Ἥφαιστ', οὔτις σοίγε θεῶν δύνατ' ἀντιφερίζειν*, et v. 487 sq. ubi Iuno Dianam increpat: *ὄφρ' εὖ εἰδῇς, ὅσσον φερτέρη εἴμ' ὅτι μοι μένος ἀντιφερίζεις*, quem locum ante oculos habuit Nonnus XXXVI. 48. *Ἄρτεμι, θηρία βάλλε· τί μείζοσιν ἀντιφερίζεις;* Et eodem modo infra II. 24. ipse Quintus locutus est: *οὐ γὰρ ἔτ' Ἀργείοισι δυνησόμεθ' ἀντιφερίζειν.* Deinde omnino etiam de eo, qui aliis in rebus alteri sese aequalem esse contendit, ut apud Aristoph. Equitt. 813. ed. Br. (762. ed. Both.) *σὺ Θεμιστοκλεῖ ἀντιφερίζεις;* Et similiter apud Hesiodum Theog. v. 609. *κακὸν ἐσθλῷ ἀντιφερίζει ἔμμεναι.* — Thersites autem minume tamquam par Achilli sese obiecerat, sed ex more nihil fecerat, quam quod v. 722. his verbis indicatum erat: *Θερσίτης δέ μιν ἄντα κακῷ μέγα νείκεσε μύθῳ.* Ego quod restitui, satis firmatur iis, quae Homerus *B.* 213 sq. (*ἐριζέμεναι βασιλεῦσιν*) 221. 224. 243. 247. 250 sq. 276 sq. de eodem Thersite dixit. — Tum v. 759. *ὡς* scripsi pro *ὅς*, quod quamquam defendi potest ita, ut v. 758. tamquam parenthesi interiectus statuatur, multo tamen simplicius et elegantius est *ὥς.* — Denique *τ ο π ά ρ ο ι θ ε ν* scribendum erit ex ea observatione, quam fecit *Spitznerus* in programmate paschali a. 1818. p. 4, *προπάροιθε* de loco, *τοπάροιθε* de tempore a Quinto semper dictum esse. Et *π ρ ο π ά ρ ο ι θ ε* quidem *de loco*, adiecto genitivo, legitur III. 54. 387. IV. 3. VI. 322. VII. 4. 150. 170. 512. VIII. 498. IX. 44. XI. 338. XII. 97. XIV. 282. Sine genitivo legitur XII. 482. *τ ο π ά ρ ο ι θ ε* autem (sive, ut constanter legit Monac., *τὸ πάροιθε*) *de tempore* invenitur his locis: I. 62. 80. II. 13. 336. 340. III. 80. 750. IV. 314. V. 148. 537. 644. VII. 461. VIII. 269. IX. 401. 425. X. 243. XI. 233. XII. 128. XIII. 471. Ex tot locorum consensu recte *Spitznerus* VII. 175. *τοπάροιθε* restituit, et eadem medela etiam

IV. 401. (ubi edd. antt. tantum πάροιθε praebent) et X. 379. adhibenda est. Eandem normam secutus est, ut videtur, Homerus, apud quem ter (α. 322. β. 312. σ. 275.) τοπάροιθε de tempore, saepissime προπάροιθε de loco invenitur. In uno, qui repugnat, loco λ. 483. cod. Vindob. 5. recte τοπάροιθε praebet. Contra Κ. 476. Λ. 734. et hymn. Cer. 375. προπάροιθε recte dictum est de loco. Sed Apollonius Rhodius προπάροιθε etiam de tempore usurpavisse videtur. Vid. III. 377. 469, qui posterior locus facilem respuit medelam.

V. 766. ὣς ἔφατ' Αἰακίδαο θρασύφρονος ἄ λ κ ι μ ο ς υἱός. Hic Monac. praebet ἄ τ ρ ο μ ο ς υἱός, quod verum videtur ob Quinti consuetudinem. Apud illum enim Achilles ἀταρβὴς vocatur I. 101. III. 522. 743. VII. 472. 727. IX. 46. XII. 74. θρασὺς II. 430. ἀτάρβητος VII. 383. ἄτρεστος VII. 568. Ἀχιλλέος ἄτρομος υἱός appellatur Neoptolemus VIII. 13. et ex probabili *Iacobsii* coniectura etiam 170. Postremo XII. 77. Achilli adscribitur ἄτρομος ἀλκή.

V. 783. οἳ δὲ μέγ' οἰκτείραντες ἀγαυὴν Πενθεσίλειαν
Ἀτρεΐδαι βασιλῆες ἀγασσάμενοι δὲ καὶ αὐτοὶ
Τρωσὶ δόσαν etc.

In his displicet particula adversativa, qua nimis acriter opponuntur participia οἰκτείραντες — ἀγασσάμενοι δέ. Potius scribendum ἀγασσάμενοί ἑ καὶ αὐτοί.

V. 805. ὅσσαι ἅμ' αὐτῇ
ἑσπόμεναι, π ε ρ ὶ δῆριν ὑπ' Ἀργείοισι δάμησαν.

Quintus scripsisse videtur: ἑσπόμεναι π ο τ ὶ δῆριν, ut infra VI. 327.

ὣς ἄρα τοῖσιν ἕποντο βροτοὶ π ο τ ὶ δῆριν ἰοῦσιν,

et supra I. 174. πολλοὶ ἕποντ' ἐ π ὶ δῆριν. Similia vide I. 127. 451. 581. 695. II. 304. V. 32. VII. 276. VIII. 183. Etiam VIII. 4. huc referri poterit quo loco vix dubitari potest, quin recte *Spitznerus* Mant. obss. p. 241. ἐπειγόμενοι π ο τ ὶ δῆριν emendaverit.

V. 814. sqq. ἔξοχα δ' ἄλλων
ἀμφ' ἀγαθοῦ μύροντο Ποδάρκεος· οὐ γὰρ ἔτ' ἐσθλοῦ
δεύετ' ἀδελφειοῖο μάχῃ ἔνι Πρωτεσιλάου.

Perperam haec interpretatus est *Rhodomannus* sic: „non enim fortis amplius auxilium fratris Protesilai in pugna requirebat.“ Nam inepta est sententia, si aliquis occisus non amplius desi-

derare dicitur fratris etiam mortui auxilium. Quae sit poetae mens recte perspexit *Dausqueius* ita explicando: „numquam enim forti fratre Protesilao deterior erat in pugna.“ Et ita iam Homer. Ψ. 483 sq. ἄλλα τε πάντα Δεύεαι Ἀργείων. Sed quomodo expedienda sit particula ἔτι plane praepostera, quae eadem *Rhodomanni* acumen transversum egit, nemo ostendit. Scribere potuit Quintus οὐ γὰρ ὅγ᾽ vel οὔ τι γὰρ ἐσθλοῦ, scripsit vero οὐ γὰρ ἐπ᾽ ἐσθλοῦ etc., id quod etiam latere videtur in Monac. scriptura: ἐτ᾽ (sic) ἐσθλοῦ. Ἐπιδεύομαι proprium est hac in re verbum, cf. *E*. 636. πολλὸν κείνων ἐπιδεύεαι ἀνδρῶν. Ω. 385. οὐ μὲν γάρ τι μάχης ἐπεδεύετ᾽ Ἀχαιῶν.

LIB. II.

Initio Quintus dederat: ὀρέων ὑπὲρ ἠχηέντων (ὑπερ ηχειένεων Monac.). Solet Quintus libenter cumulare praepositiones, ita ut altera cum nomine iungenda sit, altera ad verbum pertineat. Cf. III. 466. ἐσήλυθεν ἐς φρένα πῆμα. VI. 230. ἄλλον ἐπ᾽ ἄλλῳ ἰὸν ἐπιπροΐαλλε. XI. 300. ἐν γάρ σφιν — ἔνθορον Ἀργεῖοι. XII. 136. οἳ δ᾽ ἄρ᾽ ἀπ᾽ ὄζους λείαινον πελέκεσσιν ἔτ᾽ ἀπρίστων ἀπὸ φιτρῶν. XIII. 59. ἐν δ᾽ ἄρα τοῖσιν πάλλετ᾽ ἐνὶ στέρνοισι κέαρ. Simile est quod XII. 64. legitur, ἀμφιμάχονται ἄστυ περὶ σφέτερον. Alios locos attulit *Spitznerus* Mant. obss. p. 205, qui inde rectissume XII. 198. ἐκ δὲ κεραυνοὶ — ἐξεχέοντο restituit. — Οὔρεα ἠχήεντα legitur hymn. Homer. XIII. 5.

V. 30. ἀλλά που ἐκ πύργων, uti iam dudum correxeram, etiam Monac. praebuit. Idem vitium ex V. 518. sustulit *Spitznerus* Mant. obss. p. 232. — Deinde v. 49. necessario scribendum est μηδὲ πόληος. Tum v. 51. in Aldina legitur μὴ δέ τι πάτρην, in Monac. μηδέτι πάτρην. Optume habet, quod *Rhodomannus* coniecit, μηδ᾽ ἐνὶ πάτρῃ, sed sufficit, opinor, μηδέ τι πάτρῃ μίμνοντες. Recte habet dativus sic positus apud hos poetas. Μηδέ τι etiam v. 29. ex Monac. praetulerim.

V. 82. Revocanda est Aldinae interpunctio, quam etiam tenet Monac.:

οὐ γάρ οἱ ἐναντίον ἄζετ' ἀῦσαι.
κεῖνος· ἐπεὶ στυγερὸς etc.

V. 180 sq. ἀχνύμενοι δ' ἵκανον, ὅπῃ δόμος ἦεν ἑκάστου,
ἐς λέχος.

Mire dictum est: „venerunt in lectum, ubi uniuscuiusque habitatio erat.“ Egregie vero Monac. καὶ λέχος: „abierunt, quo uniuscuiusque domus erat atque lectus.“

V. 200 sq.
ὡς οἵ ἔσαν πολλοί τε καὶ ὄβριμοι, ἀμφὶ δ' ἀγυιὰ
στεῖνετ' ἐπεσσυμένων.

Versus initio *Spitznerus* Mant. obss. p. 216. recte ἴσαν emendavit. Deinde autem cum in Monac. legatur ἀγυιαί, insolenterque dictum sit ἐπεσσυμένων de incedentibus tantum, sed nondum impetum facientibus, vide an poeta dederit: ἀμφὶ δ' ἀγυιαὶ στεῖνοντ' ἐσσυμένων. Cf. Apoll. Rhod. IV. 1173. ἐν δὲ θρόος ἔσκεν ἀγυιαῖς, et Quintum ipsum XII. 471. ἐνεστείνοντο δ' ἀγυιαῖς.

V. 221 sqq.
ὡς δ' ὅτ' ἐρίγδουποι ποταμοὶ μεγάλα στενάχωσιν
εἰς ἅλα χευόμενοι, ὅτε λαβρότατος πέλει ὄμβρος
ἐκ Διός, εὖτ' ἀλίαστον ἐπὶ νέφεα κτυπέωσιν
θηγόμεν' ἀλλήλοισι, πάρος δ' ἐξέσσυτ' ἀϋτμή.

Tempestas describitur imbre, tonitrubus et fulminibus terribilis. Sed vitiosum et plane putidum est ultimo versu πάρος. Primum enim in vivida eiuscemodi descriptione poeta non ita rem depingere potuit: „ubi nubes concursantes fragorem edunt, *prius* autem exsiluit fulmen.“ Antea conspici fulmen, quam audiatur tonitru, id diserte monere scriptoris est physici, non poetae epici. Tum ἀϋτμὴ simpliciter non potuit de fulmine dici. Nam ἀϋτμή, quod descendit ab ἄω, per se nihil est nisi πνοή. Inde apud Homerum de follibus spirantibus dicitur Σ. 471; de ventis flantibus λ. 400; de spiritu vitali *I*. 609, *K*. 89; de condensata multorum hominum exhalatione Quint. XI. 384, uti similiter iam Homerus μ. 369. Apoll. Rhod. II. 665. 736. Tum Ξ. 174. de odore, quem emittit oleum. Ubicunque ἀϋτμὴ nude de igne dicitur, totus locus semper ita est comparatus, ut de alia re cogitari nequeat, ut apud Homerum Φ. 366. ι. 389. et Quintum VII. 571. H. l. poeta scripserat: πυρὸς δ' ἐξέσσυτ' ἀϋτμή. Saepe Quintus Homeri exemplum (π. 290. τ. 20. hymn. Mercur. 137.) secutus haec voca-

bula coniunxit. Cf. V. 33. VI. 226. VIII. 90. X. 62. XII. 503. Similiter III. 110. XIII. 150 et 330. Ἡφαίστου ἀϋτμὴ dixit. Cf. Apoll. Rhod. I. 734. III. 531. IV. 929. Orph. Arg. 1226. πῦρ saepe de fulmine dicitur: vide Aesch. Agam. 651. Prometh. 1044. et ipsum Quintum V. 106. VIII. 462. ἀϋτμὴ autem de fulmine Hesiod. Theog. 696, ut ἀτμὴ ibid. 862.

V. 254. σμερδαλέον δέ οἱ ἦτορ ἐνὶ στήθεσσιν ὀρίνθη: In margine cod. Monac. adscriptum est: γρ στέρνοις (cetera simul cum margine abscisa sunt). Unde quae exit scriptura, ἐνὶ στέρνοισιν, miro modo Quinti usu commendatur. Vide enim hos locos: I. 724. II. 69. 178. 272. III. 14. 595. IV. 67. 122. V. 175. 189. 385. 405. 583. VI. 460. 604. 621. 637. VII. 255. IX. 220. X. 178. 282. XI. 225. XIII. 60. 106. Contra ἐνὶ στήθεσσιν tantum II. 335. V. 463. VII. 406. XI. 145. legitur.

V. 283. οὔρεος εὐρυβάτοιο quid sit, non satis perspicio. Recte Monac. praebet οὔρεος ἠλιβάτοιο, quod verum esse arguit Quintus ipse I. 696. II. 379. VIII. 198. X. 200. XIV. 490.

V. 296. χερσὶν ὑπ' ἀκαμάτῃσι. Monac. praebet ἀκαμάτοισι. Sed illud verum est. Quintum in *plurali numero* femininam adiectivi formam praetulisse locorum multitudo evincit. Vid. praeter hunc locum IV. 485. V. 526. VII. 99. IX. 397. XI. 407. XIV. 446. 481. 632. Inde in uno, qui repugnat, loco XII. 195. sine haesitatione ἀκαμάτῃσι restituas. Quam normam in *singulari* secutus sit, in exemplorum paucitate non satis certum est. Videtur tamen, nisi aliqua caussa femininam formam commendaret, communem clausulam praetulisse. Etsi enim I. 13. XIV. 63. δι' ἀκαμάτοιο θαλάσσης et XI. 478. δι' ἀσπίδος ἀκαμάτοιο cur dictum sit apparet, tamen sine necessitate posuit II. 118. ἀκαμάτου πέρατα χθονὸς et XII. 152. ἐπ' ἀκαμάτῳ Τριτωνίδι. Etiam XI. 419. ὑπ' ἀκαμάτου Διὸς ὁρμῆς adiectivum ad ὁρμὴ pertinere videtur. Contra quam ob rem I. 678. ἀκαμάτης ἀπὸ χειρὸς et IV. 449. ἀκαμάτης ἔχε χειρὸς scripserit patet. — Inde etiam apud Hesiodum Theog. v. 519. et 747. non cum *Muetzellio* de emend. Theog. p. 194 sq. sollicitaverim ἀκαμάτῃσι χέρεσσι, quamquam ibid. v. 39. ἀκάματος ῥέει αὐδὴ legitur. Nam quod Homerus non usurpavit femininum, nihil inde sequitur, propterea quod ille adiectivo tantummodo in formula ἀκάματον πῦρ usus est.

V. 314. ἀλλ' ἀνεχάζεο τῆλε μόγου στυγεροῦ τε φόνοιο. Quamquam nihil obstat, quin μόγος de lassitudine dicatur, quam quis ex assidue pugnando accipiat, quo sensu infra IV. 243. et VII. 593. dictum est, nusquam tamen ita ponitur, ut sine ulla fatigationis notione tantummodo pugnam pugnantiumque tumultum denotet. Contra πόνος et πονέεσθαι saepissume de proeliando apud Quintum inveniuntur. Sed h. l. ille scripserat τῆλε μόθου, verbo hac in re usitatissumo. Cf. VIII. 624. ἀμπαύοντο μόθοιο, IX. 257. ἐξ ὀλοοῖο μόθοιο ἥρπαξαν. Similiter apud Homerum, ut ceteros locos omittam, Φ. 310. Τρῶες δὲ κατὰ μόθον οὐ μενέουσιν.

V. 347 sq. Haec ex antiquis editionibus, quibuscum facit Monac., sic interpungenda sunt:

ὁππότε συννεφὲς ἦμαρ ἐπ' ἀνθρώποισι τανύσσῃ.
Ζεὺς κλονέων μέγα χεῖμα· περικτυπέουσι δὲ πάντῃ etc.

Male *Tychsenius* τε posuit, quo admisso etiam περικτυπέωσι scribendum erat. Sed vide v. 350 sqq.

V. 400. κατέναντα χολούμενος ex Monac. scribendum fuisse quivis videt. κατέναντι forma est Quinto ignota. Κατέναντα occurrit I. 542. 552. III. 444. IV. 286. V. 210. VIII. 268. XI. 113. ἔναντα legitur II. 178. IV. 27. VIII. 141.

V. 407. Recipiendum, quod iam *Rhodomannus* suasit, ex Monac. ὑπὲρ σάκεος στυφέλιζεν. Cf. Hom. Ψ. 820. ὑπὲρ σάκεος μεγάλοιο αἰὲν ἐπ' αὐχένι κῦρε. Et ita Quintus ipse infra X. 148. sq.

σχεδὸν οὔτασεν ἀντιόωντα
βαιὸν ὑπὲρ σάκεος.

V. 420. Hunc versum optume exhibet Monac. sic:

τοὔνεκά σευ καὶ δῆριν ἀμείλιχον οὐκ ἀλεείνω.

Vid. Hom. Λ. 542. Αἴαντος δ' ἀλέεινε μάχην. Cum in Ald. legeretur ἀλεγείνω, inde, *Rhodomanno* duce, suam lectionem effecit *Tychsenius*. Tum v. 421. quod correxit *Spitznerus* de v. Gr. h. p. 160. προφερεστέρῃ, perspicue legitur in Monac., itemque etiam infra v. 446. βεβλημένον, quod *Benitzio* iam (l. c. p. 1229.) in mentem venit.

V. 536. ἄτ' ἄσπετα φύλλα κατ' ἄλσῃ. Monac. ἄλσος, quod receperim ob constantem Quinti usum; I. 626. II. 383. X. 249. XIII. 73. 492. ἀν' ὕλην vel καθ' ὕλην. Cf. XI. 125. ἄλσεος εὐπεδίοιο. Nam per se rectissume habet forma contracta ἄλσῃ in versus exitu posita. Vid. *Spitznerum* Mant.

obss. p. 224 sq. et adde II. 296. 544. VI. 329. 375. VIII. 174. 420. ubi τείχη et XIV. 498. ubi λαίφη versum claudit. Versus initio τεθνεῶτας ex Hom. τ. 331. corrigendum.

V. 575 sqq.

ὡς δ' ὅταν ἀγρευτῆρος ἐνὶ ξυλόχοισι δαμέντος
ἢ συὸς ἠὲ λέοντος ὑπὸ βλοσυρῇσι γένυσσι
σῶμ' ἀναγειρόμενοι μογεροὶ φορέουσιν ἑταῖροι.

Neque ἀναγειρόμενοι quadrat, neque, quod *Rhodomannus* coniecit, ἀνεγειρόμενοι. ἐγείρω enim dicitur de eo tantum, qui alium aut somno captum excitat, aut moerore vel calamitate oppressum quasi erigit, ut Quint. VII. 93. H. l. Quintus dederat ἀναειρόμενοι, quod iam dudum a me coniectum etiam Monac. auctoritate confirmari postea vidi. Vid. Hom. Ξ. 429. Quintus IV. 6. V. 616. Medio usus est Quintus I. 546. VI. 288. XIII. 529.

V. 618. Hic versus cum in antiquis editionibus legeretur sic: οὔτ' ἄρ κεν ἐμὸν φάος ὀπίσαιτο, *Rhodomannus* coniecit ὠπήσαιτο, hac sententia: *at non videbit amplius meam lucem.* Sed non accommodatum tum esse membrum, quod sequitur, τοὔνεχ' ὑπὸ ζόφον εἶμι, recte iam perspexit *Pauwius*, male tamen ille et ipse locum interpretatus sic: „neque lucem meam curet, sed negligat, per me licet.“ *Tychsenius* ex Monac., ut nunc scio, ne littera quidem mutata edidit: οὔτ' ἄρ κεν ἐμὸν φάος ὀπίσατο Ζεύς. Sed neque quid οὔτε neque quid κὲν sibi velit intelligitur. Requiritur particula *caussalis*, ut caussam, qua commota tenebras sit aditura, eo in membro Aurora exponat. Versus sic scribendus:

μαψιδίως· οὐδὲν γὰρ ἐμὸν φάος ὠπίσατο Ζεύς.
τοὔνεχ' ὑπὸ ζόφον εἶμι· Θέτιν δ' ἐς Ὄλυμπον ἀγέσθω etc.

Fortasse sufficiebat scribi: οὐ γὰρ καὶ ἐμὸν etc. Sed alterum elegantius videbatur. Cf. Hom. Α. 244. 412. ἄριστον Ἀχαιῶν οὐδὲν ἔτισεν. Versu sequenti ἐς, quod significantius est, ex Monac. scripsi. — In antecedentibus *Hermannus* olim me monuit, v. 614. statim ponendum esse post v. 612, ut ita se excipiant:

ἀλλὰ καταχθονίων ἐσδύσομαι αἰνὰ βέρεθρα
πάντ' ἐπικιδναμένου χάεος καὶ ἀεικέος ὄρφνης,
ψυχὴ ὅπου σέο νόσφιν ἀποφθιμένου πεπότηται.

Idem v. 616. optume ἐκ Διὸς αὐτοῦ πάντ' ἐπιδερκομένη etc. emendavit.

V. 626. πάντα κατέκρυψεν οὐρανὸν ἄστρα, uti Ald. praebet, consentiente Monac., recte mutatum puto in κατέκρυφεν οὐρανὸς ἄστρα propter VII. 1, quamquam dubitat *Spitznerus* in Mant. obss. p. 217 sq., an praeferendum sit κατ᾽ οὐρανὸν ἔκρυφεν ἄστρα. Quod autem idem v. 627. φέρων χάριν coniecit, omnino probandum.

LIB. III.

V. 40 sq. χάζεο Πηλείδη Τρώων ἑκάς, οὐ γὰρ ἔοικεν
ὥς σ᾽ ἔτι δυσμενέεσσι κακὰς ἐπὶ χεῖρας ἰάλλειν.
Hic primum importunum et ab omni probabilitatis specie destitutum est ὥς σ᾽ ἔτι, quod *Tychsenius* ex coniectura posuisse videtur. Nam in Ald. legitur οὔ σ᾽ ἔτι, in Monac. ὄυσ᾽, ἔτι, apud *Schowium* autem nihil diversitatis notatum. Tum locutio κακὰς χεῖράς τινι ἰάλλειν non videtur ex more epicorum formata esse. Quamquam enim Homericum illud, οἱ δ᾽ ἐπ᾽ ὀνείαθ᾽ ἑτοῖμα προκείμενα χεῖρας ἴαλλον, quodammodo comparari potest, tamen hostibus, qui interficiuntur, non manus, sed ipsa mors immitti dicitur. Versus ita emendandus videtur:

εἰσέτι δυσμενέεσσι κακάς σ᾽ ἐπὶ κῆρας ἰάλλειν.

Haec est usitata loquendi ratio. Vid. Hom. β. 316. et Quintum ipsum III. 349. V. 412. VIII. 109. Etiam XI. 441. eadem verba, quamquam leviter corrupta, leguntur: Τρώεσσι κακὰς περὶ κῆρας ἴαλλεν. Restituendum ἐπί.

V. 54. οἳ ῥ᾽ ἔτι που φεύγεσκον ἅμα προπάροιθε πόληος. Iam *Spitznerus* in programmate paschali a. 1818. p. 4. illud ἅμα apte explicari non posse indicavit. Idem aut ἅδην ex XI. 303. (πολλοὶ γὰρ ἅδην πέσον ἐν κονίῃσιν) aut ἑῆς ex VIII. 455. (ἑὰς ἐπὶ νῆας) scribendum coniecit. Utroque non deterius, atque vulgatae scripturae propius videtur, quod mihi in mentem venit, ἀεὶ προπάροιθε πόληος.

V. 63 sqq.

ὃ δ᾽ ἀνετράπετ᾽ ἠΰτε πύργος,
ὅν τε βίη τυφῶνος ὑποχθονίῃ στροφάλιγγι
ῥήξῃ ὑπὲρ δαπέδοιο, κραδαινομένης βαθὺ γαίης.

Bonitzius, quid significet ὑπὲρ δαπέδοιο, non assecutus, ὑπ ἐκ δαπ. scribendum esse l. c. p. 1229. putavit, quod *funditus* significet. Sed δάπεδον *solum* notat, non *fundamentum*. Plane autem ille ignoravit eius locutionis frequentissumum apud seriores epicos usum, quo ea h. l. explicanda est: *supra solum* (nobis: *über den Boden hin*), ut corruentis turris fragminibus solum obtegi dicatur. Omnium saepissume hanc formulam usurpavit Nonnus, ex quo hos locos notavi: V. 500. XI. 107. XV. 78. 114. XIX. 266. XXII. 236. XXVI. 227. XXVIII. 138. XXXV. 21. 28. XXXVI. 235. XXXVII. 359. 709. XLVI. 275. XLVII. 140. 566. XLVIII. 154. 394. 611. 633. Nec alibi ipse Quintus eam repudiavit, vid. XI. 381. Similiter ὑπὲρ πεδίοιο dicitur, quam formulam *Wernickius* Tryphiodoro v. 307. feliciter ex v. 259. et Colutho v. 343. restituit. Cf. etiam Nonn. XXXIX. 280.

V. 81. κεῖνον ὕπαὶ βελέεσσιν ὀϊζυροῖς ἀπολέσθαι.
Ita *Tychsenius* edidit, e coniectura, ut videtur. Nam et antiquae editiones et Monac. praebent ὀϊζυροῖσιν. Sed ὀϊστοί, si bene memini, potius λυγροί, ἀλεγεινοί, πικροί, non ὀϊζυροὶ vocantur. Etiam versus caesura impeditur, ὀϊζυροῖς arcte cum βελέεσσιν iuncto. Restituenda igitur familiaris Quinto locutio; ὀϊζυρῶς ἀπολέσθαι, qua lubenter versuum clausulam explere solet. Vid. VI. 142. 299. VIII. 212. IX. 21. X. 36. 38. 44. 113. XIII. 126. XIV. 159. 613.

V. 147. ὣς ἄρα Πηλείδαο χόλος καὶ λοίγιον ἔγχος
θυμὸν ἄδην ὀρόθυνε.

Ita etiam Monac. Sed quomodo exitiabilis Pelidae hasta animum eius in furorem stimulare potuerit, equidem non perspicio. Indignatione exardescit Achilles propterea, quod Apollinis sagitta mortiferam sibi plagam illatam esse sentit. Apertissume hoc prodit ex versibus, qui antecedunt, 141—146, quibus Achilles cum leone comparatur, qui per vulnus ab uno venatorum inflictum in rabiem convertitur. Itaque h. l. Quintum scripsisse puto λοίγιον ἕλκος, ut v. 84. ἕλκος ἀναλθὲς et II. 565. ἕλκος οὐλόμενον dixit (ipsum λοίγιον ἕλκος vid. apud Nonnum XXIX. 150). ἔγχος eo facilius substitui poterat, quoniam hoc et statim sequitur v. 150, et saepius a Quinto dictum est λοίγιον ἔγχος, ut 317. IV. 25. XIII. 335. Cur autem λοίγιον ἔγχος non possit de Apollinis *sagitta* accipi, non obscura est caussa. Ceterum ne offendas in verborum positione paullo insolentiori, vid. XIII. 155. καὶ πού τις βρεχμόν τε καὶ ἐγκέφαλον συνέχευε

λᾶα βαλὼν ἑτάροιο κατὰ μόθον, ubi genitivus ἑτάροιο pendet a βρεχμόν τε καὶ ἐγκέφαλον.

V. 152.

οὐ γάρ οἱ κόρυς ἔσχε μακρὸν δόρυ καὶ μεμαῶτος.

Vitiata esse ultima verba non est quod copiosius demonstretur. Apparet iam ex *Rhodomanni* interpretatione: „non enim cassis ipsius *quamlibet cupientis* impedivit longam hastam." Neque μεμαώς simpliciter est *cupiens*, nec tota apta sententia. Nullam diversitatem habent aut cdd. a *Schowio* indicati epist. crit. p. 69. aut ipse Monac. Itaque ad coniecturam confugiendum. *Hermannus* latere putabat participium, ad Achillem vulneratum referendum, ut κεκμηῶτος. Ego aliquando conieci, cuius ne nunc quidem me poenitet: οὐ γάρ οἱ κόρυς ἔσχε μακρὸν δόρυ καὶ μέλαν' οἶτον, ut infra XI. 344. de galeis et clupeis dictum: αἵ τ' ἀλεγεινὸν αἰζηῶν ῥύοντο μόρον καὶ ἀμείλιχον αἶσαν. Saepe autem seriores poetae Homeri exemplum (Κὴρ μέλαινα) secuti morti et perniciei atrum adscripserunt colorem. Sic Quintus ipse VI. 651. XI. 47. XIII. 172. μέλας πότμος et II. 486. XIII. 218. XIV. 588. μέλας ὄλεθρος. Idem adiectivum XIII. 362. restituendum, ubi male μέγας ὄλεθρος commemoratur.

V. 158 sqq.

Ἀλκαθόου δ' ἄρ' ἔπειτα διὰ γναθμοῖο περήσας
γλῶσσαν ὅλην ἀπέκερσεν· ὃ δ' ἐς πέδον ἤριπε γαίης,
ἀμπνείων· αἰχμὴ δὲ δι' οὔατος ἐξεφαάνθη.

Recte offenderunt in participio ἀμπνείων *Struvius* in programmate paschali a. 1818. p. 4. et *Spitznerus* etiam in programmate paschali a. 1818. p. 6 sq. ἀναπνέω enim, quod proprie est, *spiritum sursum ducere*, nobis *aufathmen*, plerumque translate dicitur de iis, qui ab ingenti aliquo periculo aut labore, quo veluti onere ingravescente spiritus iis intercludebatur, liberati animum recipiunt seseque recreant. Ita apud ipsum Quintum verbum usurpatum reperies I. 197 sq. IV. 23 sq. 373. V. 511. VI. 118. 306. 594. VIII. 21. 369. 372. 375. IX. 470. X. 228. XI. 225. 270. XIII. 516. Inde dictum ἄμπνευσις πολέμοιο IV. 41. et XI. 438. Praeivit usum Homerus *Λ*. 327. 382. 800. *Ο*. 235. *Π*. 42. 111. 302. *Σ*. 200. *Τ*. 227. *Φ*. 534. Praeterea ἀναπνέω bis in Quinto occurrit paullo diverso sensu, sed qui tamen eius notioni convenit, primum I. 343. ὄβριμον ἐν στήθεσσιν ἀναπνείοντες ἄρηα, tum, quia respiratio certissimum est vitae signum, III. 536. de vivente: θῆκε δ' ἄρ' ἐρσήεντα καὶ εἴκελον ἀμπνείοντι.

Ex his omnibus apparet non potuisse de eo, qui moribundus exspirat, nudum dici verbum ἀναπνέω. Certe addendum erat ἔτι, ut V. 109. de Titanibus dictum fulmine percussis: οἱ δ' ἄρ' ἔτ' αἰθομένοισιν ἐοικότες ἀμπνείεσκον.

Itaque *Struvius* l. c. locum, unde egressi sumus, ita emendandum putat: ὃ δ' ἐς πέδον ἤριπε, βαιὸν ἀμπνείων, afferens III. 368. πύλης ἐπέχοντο πόληος, βαιὸν ἀναπνείοντες, atque ad hanc normam corrigens simul III. 339 sq.

ἵπποις Ἑκτορέοισι φέρον ποτὶ Τρώιον ἄστυ
βαιὸν ἔτ' ἀμπνείοντα.

Hoc quidem recte ille fecit, eademque medela etiam VI. 526. adhibenda erit. Nam ἐμπνέειν cum proprie significet *spiritum in aliquem mittere* (uti proprio sensu apud Homerum *P.* 502. de equis: ἐμπνείοντε μεταφρένῳ), tum, ut Latinorum adspirare et inspirare, de diis dicitur hominibus aut robur et animum aut prudentiam et consilium suggerentibus, de qua re vid. *Spitznerum* in Mant. obss. p. 249 sq.

Tamen non videtur *Struvius* verum invenisse. Primum enim locutio βαιὸν ἀναπνεῖν ambigua est, potestque etiam dici de eo, qui, quamquam paullulum, recreatur tamen. Vid. III. 783. τῆς δ' ἐν φρεσὶ θυμὸς βαιὸν ἀνέπνευσεν. IV. 64. ἦμος ἀναπνείουσι βροτοὶ βαιὸν καμάτοιο. 373. τυτθὸν ἀνέπνευσαν καμάτοιο. VII. 624. οἳ δ' ἀγχόθι πύργων βαιὸν ἀνέπνευσαν. Cf. IX. 430. ἀμπνύνθη δ' ἄρα τυτθόν. Tum displicet βαιὸν in versus fine, ἀμπνείων in versus initio positum. Denique ipsa locutio πέδον γαίης aliis duobus locis II. 651. (Ἠλύσιον πέδον αἴης) et VI. 374. (ὃ δ' ἐς πέδον ἤριπε γαίης), quos ignoravit *Struvius*, ita defenditur, ut non sit temere proscribenda.

Melius haud dubie *Spitznerus* l. c. *Pauwii* coniecturam, ἐκπνείων amplexus est. ἐκπνεῖν enim (vid. quos ille locos attulit, I. 349. III. 352. XI. 74. XIII. 148.) proprium est verbum de moribundis. Tamen ob litterarum similitudinem quaerendum, an potius Quintus dederit ἀππνείων, i. e. ἀποπνείων, quam syncopen defendas ex Homero *o.* 82. ἀππέμψει. ἀποπνέω autem etiam aptissumum est. Dicitur primum de iis, qui spiritum emittunt cum quadam vehementia, ut XI. 385. XIV. 455. Homer. *δ.* 406. *Z.* 182. (de odore, qui ab aliqua re emittitur, apud Quintum II. 566.), tum saepissume de iis, qui moribundi animam cum spiritu efflant; vid. I. 199. VI. 211.

228. X. 116. XIII. 124. Ita etiam dicitur θυμὸν ἀποπνεῖν, Hom. Δ. 524. N. 654. Quint. VIII. 334. XIV. 540. et μένος ἀποπνεῖν XIII. 90.

Unus est in Quinto locus, qui huic doctrinae refragari videatur, XIV. 71 sq.

καὶ τότ᾽ ἄρ᾽ ὡς ἐνόησε φίλον δεδαϊγμένον ἄστυ
Ξάνθος, ἔτ᾽ αἱματόεντος ἀποπνείων ὀρυμαγδοῦ.

Sed qui memor fuerit locorum supra allatorum, statim corriget ἀναπνείων. Et haec est antiquarum editionum scriptura, quam prava *Pauwii* coniectura expulit *Tychsenius*. Apud Apollonium, qui poeta a ceterorum consuetudine non deflexit, IV. 472. de Absyrto quamvis moriente recte dictum est: λοίσθια δ᾽ ἥρως θυμὸν ἀναπνείων χερσὶν μέλαν ἀμφοτέρῃσιν αἷμα κατ᾽ ὠτειλὴν ὑποΐσχετο· τῆς δὲ καλύπτρην ἀργυφέην καὶ πέπλον ἀλευομένης ἐρύθηνεν. Absyrtus enim *animo extremum collecto* sororem cruore conspergit.

V. 230. Pro Ἀρκύθοον in Monac. legitur Ὠκύθοον.

V. 236. εὖτε περιγνάμπτωσι μάλα στυφελὰς περὶ πέτρας. Quamquam haec sanissuma videntur, et Quintus etiam alibi similiter est locutus (cf. I. 295. VI. 478. IX. 357. XI. 368. XIV. 624.), suspicionem tamen movet Monac., in quo voci στυφελὰς ab eadem manu litteris eiusdem magnitudinis suprascriptum est tamquam varia lectio ἀγκύρας. Hoc cum per se plane nullam habeat rationem, corruptum videtur ex ἀγκύλας, quod fortasse fuit interpretamentum diversae scripturae: σκολιάς. Valde incertum est, fateor, utrum vere ita scripserit Quintus necne; sed origo illius vocis ἀγκύρας probabiliter inde derivari potest. Nec diffitendum, de promontorio, quale h. l. innuitur (περιγνάμπτωσι), apte dici σκολιὰς πέτρας. Usus est hoc adiectivo Quintus IX. 501. loco mutilo, ubi tamen ex certissuma *Rhodomanni* suspicione vitae viae, quas ingredi quemque mortalem fatum cogit, σκολιαὶ appellantur. Eo in versu autem levem maculam abstergas scribendo: τετραμμέναι ἄλλυδις ἄλλῃ.

V. 267. ὣς εἰπὼν Τρώεσσιν ἐπεστρωφᾶτο, λέων ὣς
ἐν κυσὶν ἀγρευτῇσι κατ᾽ ἄγκεα μακρὰ καὶ ὕλην.

Pugnat Aiax, circumdatus a Troianis, qui ab omnibus partibus Achillis corpus cingunt (cf. v. 213. 220 sq. 265. 275.). Sed propter hanc ipsam rem potius ἐνεστρωφᾶτο scribendum videtur, id quod etiam verba ἐν κυσὶν requirunt. Similia

vide I. 308. δεινὸς γὰρ ἐνεστρωφᾶτο Κυδοιμὸς λαοῖς ἐν μέσσοισιν. VI. 350. ἐν δὲ Κυδοιμὸς στρωφᾶτ᾽ ἐν μέσσοισι. 397. ἄγριος οὔρεσι κάπρος μαίνετ᾽ ἐνὶ μέσσοισιν. XI. 49. ἵπποι — φεύγοντες πολλοῖσιν ἐνεπλάζοντο νέκυσσιν. De iterata praepositione vid. etiam, quae supra ad II. 1. monuimus.

V. 335 sqq. de Paride procumbente:

ὃ δ᾽ ἐν κονίῃσι κατήριπεν· οὐ δέ οἱ ἰοὶ
ἤρκεσαν ἱεμένῳ· ἐκέχυντο γὰρ ἄλλυδις ἄλλοι
ἐν κονίῃ· κενεὴ δὲ παρεκτετάνυστο φαρέτρη.

Aliena ab h. l. particula caussalis. Caussa enim, ob quam sagittae nullius usus fuerint Paridi, non potest haec esse, quod eae hic illic in pulvere disiectae sunt, sed quod Paris lapidis ictu sopitus uti iis nequit. Scribendum ἐκέχυντο δ᾽ ἄρ᾽ ἄλλυδις ἄλλοι. Eadem emendatione etiam hi loci sanandi sunt, primum IV. 533 sq.

ἦ, μέγα κυδαίνων ἵππων μένος ἠδὲ καὶ αὐτὸν
Ἀτρείδην· ὃ γὰρ ἦσι περὶ φρεσὶ γήθεε θυμῷ.

Non enim ille laudavit equos propterea quod gavisus est Menelaus, sed gavisus est Menelaus propterea quod ille equos laudavit. Tum VII. 431 sqq.

ὣς φάτο· τοὶ δ᾽ ὤκιστα θοῆς ἐκ νηὸς ὄρουσαν
πανσυδίῃ· πάντας γὰρ ἕλε τρόμος εἰσαΐοντας,
νόσφι Νεοπτολέμοιο δαΐφρονος.

Non enim quia metuunt, celeriter illi ex nave egrediuntur, sed quia Neoptolemus eos adhortatus est: egressi autem omnes praeter hunc ipsum contremiscunt. Postremo IX. 470 sq.

ὃ δ᾽ ἄμπνυεν ἐκ κακότητος
ἀχροίῃ γὰρ ἔρευθος ἐπήλυθεν.

Non enim Philoctetes recreatus est, quia rubor in palloris locum successit, sed cum valetudinem recuperaret, etiam pristinum sanitatis colorem recepit.

V. 343. τῷ δ᾽ Αἴας ἐπὶ μακρὸν ἄϋτεεν ἀσχαλόωντι.

Non apte verbum ἀσχαλάαν, quod semper de vehementi ira aut moerore dicitur, h. l. ad Paridem transfertur lapidis iactu ita prostratum, ut mentis haud amplius compos a sociis ex proelio auferatur. Cf. v. 340. βαιὸν ἔτ᾽ ἀμπνείοντα καὶ ἀργαλέον στενάχοντα. Itaque de hoc si aliquid adiiciendum erat, potius ἀσθμαίνοντι seu simile quidpiam poni debebat. Sed verbum ἀσχαλάαν optume referatur ad Aiacem, Paridi infestissumum, quod efficias scribendo: ἀσχαλόων κῆρ.

Idem exitus supra I. 681. invenitur. Similiter de Achille occisum Thersiten increpante ibid. 755. dictum erat: ἀσχαλόων ἐνὶ θυμῷ. Verbum his locis praeterea occurrit, quos duxi notandos, ut quisque videat id etiam apud Quintum non de corporis dolore, sed de animi vehementiori motu dici: I. 707. II. 369. III. 55. 86. 138. 459. IV. 231. 514. V. 103. 180. 341. 411. VII. 261. 330. 465. IX. 413. X. 325.

V. 367. εἰ μὴ πεπταμένῃσι πύλῃς ἐπέχυντο πόληος. Male hoc dicitur de Troianis, non *ad* portas tantum urbis accedentibus, sed *in* ipsam *urbem per* portas irruentibus. Neque haec librorum est scriptura: nam Ald. praebet πόληα, quod Monac. non solum confirmat, sed insuper etiam ἐ σ έχυντο exhibet. Utroque recepto locus persanetur. cf. Hom. Φ. 610. ἐσέχυντο ἐς πόλιν. Quint. V. 301. Ἴλιον ἐς κατέδυσαν. VIII. 368. κατέδυσαν ἐς ὑψίπυλον πτολίεθρον. Contra ibid. 386. ἐπέχυντο πόληι dictum est de Achivis, qui urbem oppugnaturi *ad muros* succedunt.

V. 385 sqq.

τοὔνεκά μιν βασιλῆες ἀπὸ πτολέμου ἐρύσαντες
ἀμφὶ νέκυν πονέοντο ἀπείριτον, εὖτε φέροντες
κάτθεσαν ἐν κλισίῃσι.

εὖτε, *postquam*, non quadrat. Tum enim membra sic cohaererent: „reges Achillem e mortuorum strage extrahentes circa mortuum magnopere occupati erant, *postquam* portantes eum in tentorio collocaverant." Sed haec oratio ab epicorum consuetudine abhorret, nec apta inde existit sententia. Verba enim πονέοντο ἀπείριτον referenda tum essent ad eas curas, quibus Achillem in tentorio iam positum fuerint prosecuti. At vero ibi quid factum sit, inde a v. 388. diligentius narratur. Itaque, ut illa verba ad Achivorum principum in auferendo Achille laborem spectent, scribi debet: εὖ τε φέροντες etc., *bene* i. e. curiose, studiose ferentes. cf. Hom. Σ. 231.

αὐτὰρ Ἀχαιοὶ
ἀ σ π α σ ί ω ς Πάτροκλον ὑπὲκ βελέων ἐ ρ ύ σ α ν τ ε ς
κάτθεσαν ἐν λεχέεσσι.

V. 417. τοίη τ ο ι παρὰ νηυσὶν Ἀχαιῶν ἔπλετ' ἀϋτή. Si bene memini, nunquam in comparationibus particula τοὶ epici usi sunt. *Hermannus* olim coniecit τοίη τ ι ς. Scribi etiam potest τοίη κ α ὶ παρὰ ν.

V. 443 sq. οὐ γάρ τις πίσυνός γε σάκος μέγα νωμήσασθαι —
ἰοῖσιν γ' ἀπάνευθεν ἐ π ε σ σ υ μ έ ν ω ς πολεμίζει.

Consentio cum *Bonitzio*, illud ἐπεσσυμένως l. c. p. 1229 sq. in suspicionem vocante. Sed quae *Spitznerus* in censura commentationis Bonitzianae iam laudata p. 1163. contra eiusdem coniecturas ἐπεσσυμένῳ et ἐπεσσυμένοις monuit, non minus vera putaverim. Alio autem ducit Monac., in quo corrupte sane legitur ἐπεσσύμενος. Unde scribendum censeo ἀπάνευθεν ἀφιστάμενος. Iam bene describitur sagittarii segnities, qui *procul stans a pugnantium tumultu* sagittis sine periculo fortissumum quemque prosternit. Confirmat Homericus usus hanc emendationem; cf. *Δ*. 340. τίπτε καταπτώσσοντες ἀφέστατε. *N*. 738. οἱ μὲν ἀφεστᾶσιν. *Ξ*. 132. ἀφεστᾶσ' οὐδὲ μάχονται. Similiter etiam λ. 544. νόσφιν ἀφεστήκει. Vide postremo, quae *Α*. 48. de Apolline dicuntur: ἕζετ' ἔπειτ' ἀπάνευθε νεῶν, μετὰ δ' ἰὸν ἕηκεν.

V. 446.

ἀλλὰ Ζεὺς τάχα που νῦν μήδετο πάντ' ἀπολέσσαι.

νῦν, omissum in antiquis editionibus, unde intulerit *Tychsenius* ignoro. Sed multo praestat quod legitur in Monac., inventum etiam *Rhodomanni* acumine, τάχα που τάδε μ.

V. 450 sqq.

ὢ πόποι, ὡς ἄρα πάγχυ γέρων ἐν δώμασι Πηλεὺς
ὀχθήσει μέγα πένθος ἀτερπέϊ γήραϊ κύρσας·
αὐτῇ σὺν φήμῃ μιν ἀπορραίσει μεγάθυμον.

Egerunt de h. l. *Bonitzius* l. c. p. 1230. *Spitznerus* l. c. p. 1172 sq. Et hic, ut *Bonitzii* emendationem in versus fine, τάχα θυμόν, merito laudavit, ita eiusdem de versus initio suspicionem, αὐτή κεν φήμη, gravissumis argumentis refutavit. Eandem *Bonitzius* iam in societate graeca fecit coniecturam, qua reiecta *Hermannus* unica littera addita locum praeclare ita refinxit: αὐτῇ ὃ σὺν φήμῃ etc., i. e. „magnum accipiet Peleus moerorem, *qui* simul cum fama vita eum privabit.“ Neque possum de hoc loco discedere, quin aliam *Hermanni* emendationem, eodem tempore factam, Monacensis auctoritate confirmem. Etenim cum ego offendissem in illo κακὴ περὶ υἷέος αἶσα, potiusque *famae* notionem requiri monerem, *Hermannus* statim pro αἶσα legendum vidit ὄσσα. Hoc ipsum postea in Monac. inveni, sed falso spiritu instructum, ὅσσα Cf. VII. 269 sq.

V. 475 sq. καί μεν νηπιέῃσιν ὑπ' ἐννεσίῃσι δίηνας
στήθεά τ' ἠδὲ χιτῶνας.

Ita ex *Dausquerii* scripserunt correctione, cum in antiquis editionibus, quibuscum consentit Monac., legeretur ἀπεννεσίῃσι. Sed alienissumum ab h. l. vocabulum ἐννεσίαι, quod (plurali semper numero, vid. Spitzner. Mant. obss. p. 253.) adiecto genitivo constanter dicitur de eo, cuius hortatu, consilio, voluntate aut auctoritate aliquid fit. Praecipue de *diis* dicitur, qui nomine suo et potestate homines ad aliquid faciendum impellunt et perducunt. Vid. Quintum I. 125. II. 508. 656. III. 762. V. 195. 383. VII. 92. VIII. 432. IX. 325. X. 165. 250. 350. XI. 198. 278. 285. XII. 4. 185. 380. 392. XIII. 549. XIV. 352. 614. Praeivit Homerus *E*. 894. Nihil iuvat h. l. *Pauwii* interpretatio: *instinctu puerili*. Quid dici debuerit, intellexit *Rhodomannus*, qui vertit: *puerili imprudentia*, quod recte sic dici potuit: ὑπ᾽ ἀφραδίῃσιν vel ἀφροσύνῃσιν. Sed νηπιέῃσιν ut potius pro substantivo habeatur, suadet Homerus, ex quo *I*. 490 sq. hic locus est expressus:

πολλάκι μευ κατέδευσας ἐπὶ στήθεσσι χιτῶνα
οἴνου, ἀποβλύζων ἐν νηπιέῃ ἀλεγεινῇ.

Etiam *O*. 363. *Y*. 411. ω. 469. νηπιέῃσιν substantivum est. Itaque in illo ἐννεσίῃσιν adiectivum latet pertinens ad νηπιέῃσιν. Sed probabiliter id nondum restituere potui. Fortasse tamen, Homerum apprime secutus, Quintus νηπιέῃσιν ὑπ᾽ ἀλγεινῇσι dederat.

V. 496. σὺ δὲ χάρμα πεσὼν Τρώεσσιν ἔθηκας.
Post πεσὼν Monac. addit μέγα, quod indicio est Quintum dedisse: σὺ δὲ χάρμα πεσὼν μέγα Τρωσὶν ἔθηκας. Tum v. 499. a *Tychsenio* editum est:

Ζεῦ πάτερ, ἦ ῥά νυ καὶ σὺ βροτοὺς ψεύδεσσι λόγοισι θέλγεις.

Νὺ et σὺ omissa in Ald. supplevit *Rhodomannus*. In Monac. legitur: ἦ ῥ᾽ τοι καὶ σὺ βρ. Hinc praetulerim ἦ ῥά τι καὶ σὺ βρ.

V. 534. ἀμβροσίην, — ἣν ἄρα φασὶν δηρὸν ἐρυκακέειν etc. Sic quidem *Tychsenius* ex coniectura *Rhodomanni*, cum in Ald. corrupte legeretur: ἣν ὅρα φασίν. Sed verum sine dubio praebet Monac.: ἥν ῥά τε φασίν.

V. 619 sqq.

ἄλλοτε μὲν ζαὴς ἄνεμος πέλον, ἄλλοτε δ᾽ ὕδωρ,
ἄλλοτε δ᾽ οἰωνῷ ἐναλίγκιος ἢ πυρὸς ὁρμῇ·

οὔ μοι θνητὸς ἀνὴρ δύνατ' ἐν λεχέεσσι μιγῆναι
γιγνομένῃ ὅσα γαῖα καὶ οὐρανὸς ἐντὸς ἐέργει.

Initio quamquam scio defendi posse asyndeton, tamen cum in Monac. legatur *ἀλλ' ὅτε*, cum *Bonitzio* l. c. p. 1231. scribendum puto *ἀλλ' ὁτὲ μέν*, ut hoc membrum disertius opponatur verbis quae antecedunt: *ἐπεὶ οὔτι μοι ἥνδανεν εὐνή*. Multo gravior est in sqq. dubitatio. Nam primum et in Ald. et in Monac. legitur *οὐδέ μοι*; tum in Monac. plane omissum est *μιγῆναι*, adscriptum quidem a manu secunda; sed qualem ea habeat auctoritatem, codice paullo accuratius inspecto statim intellexi. Manus enim illa altera, quae hic illic codici Monacensi aliqua importune allevit, nullius est alius quam ipsius *Ignatii Hardtii*, qui librum in *Tychsenii* usum contulit. Hoc cum ex litterarum et scripturae forma, tum ex additorum, quae omnia ex Aldina petita sunt, ratione evidentissume apparet. Itaque *μιγῆναι*, nisi aliis argumentis firmetur, suspectum habuerim. Postremo accedit, quod versu sequenti non *γιγνομένῃ*, sed pro eo *φερομένην* in Monac. legitur. Haec omnia si coniungimus, non improbabile erit, tale quid a Quinto profectum esse:

οὐδέ με θνητὸς ἀνὴρ δύνατ' ἐν λεχέεσσι [*δαμάσσαι*]
φαινομένην, ὅσα γαῖα καὶ οὐρανὸς ἐντὸς ἐέργει.

Ne offendas Attica correptione in his, *οὐδέ με θνητός*, vide I. 93. 560. Tum incertum quidem est, utrum *δαμάσσαι* an aliud verbum posuerit Quintus; non tamen illud abhorrere ex III. 613. V. 526. VIII. 98. X. 337. XIV. 12. apparet. Denique *φαινομένην*, cuius interpretamentum fuit *γιγνομένην* (quod legitur in re consimili apud Homerum *δ*. 417 sq. 456 sqq.), in illo *φερομένην* latere ex eo patet, quod et *ε* cum *αι*, et ν (i. e. *ν*) cum ρ (i. e. *ρ*) in eo libro saepissume confunduntur.

V. 642 sq.

ἀλλ' ἔτλην μέγα πένθος, ἐπεὶ θεὸν οὔτιν' ἔοικεν
πένθεσι λευγαλέοισι καὶ ἄλγεϊ θυμὸν ἀχεύειν.

Si recte memini, ex epicorum more negatio potius cum verbo *ἔοικεν*, quam cum substantivo *θεὸν* iungenda erat. Cf. Homer. *B*. 233 sq. *M*. 212 sq. *ε*. 212 sq. et alibi. Itaque h. l. scribendum *οὔτι ἔοικεν*, hiatu apud Quintum legitimo; vid. I. 462. IV. 303. XI. 137. Etiam VII. 85. idem ex antiquis editionibus restituendus est. Cf. *Hermannus* ad Orph. p. 741.

V. 665—672 sqq. Hi versus cum non viderentur cohaerere, iam a *Pauwio*, et nuper etiam a *Bonitzio* l. c. p. 1231. tentati sunt. Sed praeter unam levem maculam, quae facile abstergi potest, omnia sunt integerruma. Etenim, ut ab illa incipiam, v. 666. *Tychsenius* scripsit:

λαμπρότατον (sic, ut et in Ald.) τε φάος πᾶσι Τρώεσσι φέρουσα

καὶ Πριάμῳ,

importuna particulae τε positione. At vero in Ald. legitur πᾶσιν, in Monac. τε πᾶσι φάος, ordine inverso. Unde quis non videt, poetam sic scripsisse:

λαμπρότατον πᾶσίν τε φάος Τρώεσσι φέρουσα

καὶ Πριάμῳ?

Nunc demum particula ei vocabulo adhaerescit, cui alterum respondet. — Ad nexum quod attinet, qui intercedit inter hos versus, videntur illi sane inepte consarcinati ei, qui non intellexerit, verba Δαναοὶ δὲ — — usque ad v. 671. φθιμένου Ἀχιλῆος quasi per parenthesin adiecta esse, ita ut apodosis, quae respondeat protasi ἀλλ᾽ ὅτε — Πριάμῳ, incipiat demum v. 672. καὶ τότε δὴ μεγάλοιο etc. Hanc autem longam periodum cur in medio interiiceret, idonea sane caussa poetae fuit. Qui cum indicasset, proximam post Achillis obitum lucem acceptissumam fuisse cum ceteris Troianis, tum Priamo, monere statim volebat, non solum per eum diem, sed per multo longius tempus deploratum esse Achillem et ab Achivis et a diis marinis. Nihil igitur mutandum.

V. 692. Cum in Ald. et Monac. legatur βάλοντο εὐώδεα, potius βάλοντο θυώδεα restituendum puto. Atque eodem modo infra VII. 557. cum *Rhodomanno* Οὐλύμποιο θυώδεος scribendum erit.

V. 733 sqq.

καὶ τὰ μὲν ἀμβροσίῃ καὶ ἀλείφατι πάγχυ δίηναν
κοῦραι Νηρῆος, μέγ᾽ Ἀχιλλέα κυδαίνουσαι·
ἐς δὲ βοῶν δημὸν θέσαν ἀθρόα ταρχύσασαι
σὺν μέλιτι λιαρῷ.

Versu primo in Monac. legitur ἀλείφασι, quod verum esse putaverim propter IV. 212 sq.

θέσαν δ᾽ ἐφύπερθε μοτάων
εἴρι᾽ ἅδην δεύσαντες ἀλείφασιν,

uti et ego illum locum olim emendavi, et *Iacobsius*, uti post-

ea cognovi, cum iam dudum correxerat ad Anthol. Palat. p. 246. Cf. I. 796. ἄδην ἐπέχευαν ἄλειφαρ. — Tum vero magna difficultate premuntur verba ἀθρόα ταρχύσασαι. *Rhodomannus* vertit: „boumque arvinam indiderunt, *permixta condientes* cum dulci melle.“ Et hanc inesse debere illis sententiam ex totius loci nexu apparet. Quae tamen quomodo vocabulis, uti nunc leguntur, contineri queat, nemo intelligit. Neque enim, quid ἀθρόα sibi velit, perspicitur, et abhorret prorsus verbum ταρχύειν, quod constanti omnium usu de *sepeliendo* dicitur, ut apud ipsum Quintum I. 801. 820. III. 4. V. 609. VII. 6. 13. 157. 165. 658. VIII. 482. IX. 43. XIV. 222. 242. 324. Sentiens hoc *Rhodomannus* dubitanter proposuit ταρχήσασαι vel ταρχεύσασαι, ut hoc derivatum a ταραχή, *confusio*, confundendi haberet notionem. Sed utrumque idonea caret auctoritate. Mihi quidem hoc extra dubitationem positum videtur, in extremis verbi ταρχύσασαι syllabis latere χρίσασαι. Sed caetera quomodo emendanda sint haereo. Tentari poterit ἀθρόον ἐγχρίσασαι aut ἄκρα καταχρίσασαι (ἄκρα, *magnopere*, ut XII. 547. ἄκρα κεχολωμέναι,) aut, cum I. 798. ἀμφὶ δ' ἄρ' αὐτοῖς πίονα δημὸν ὕπερθ' ἔβαλον βοὸς legatur, ἄκρον ἄδην χρίσασαι, aut etiam alia. In tota Achillei funeris descriptione respicitur Homerus ω. 65 sqq., ex quo loco v. 68. etiam mel petitum est, cum alibi, ut I. 796 sqq., oleum tantum et adeps affundantur.

LIB. IV.

V. 6. δῶκε θοοῖς ἀνέμοισι φέρειν Λυκίης σχεδὸν αἴης. Ita et Ald. et Monac. praebent. Sed cum ex sqq. appareat, in ipsam Lyciam Glauci corpus delatum ibique sepultum esse, *Struvius* in programmate verno a. 1818. p. 3. scribi iussit πέδον, quo minime opus est. Saepe enim apud seriores aliquid alicui loco *vicinum* esse dicitur, quod proprie *eo ipso in loco* esse dicendum erat. Ita infra VIII. 347. de Marte dicitur: μολὼν ἄγχιστα κυδοιμοῦ, quem tamen in medio pugnantium tumultu versari deinde videmus. Nonn. IV. 337. de Cadmo: Ἀονίης σχεδὸν ἦλθε, πέδον Βοιωτὸν ὁδεύων. Plerumque hoc modo propinquitatis notioni adiunguntur verba *motum* signifi-

cantia: ita ut imperfecta quodammodo sit oratio, qua tantum indicatur, aliquem *prope* ad locum accessisse, in quem tamen ille *intravit*. Hoc autem qui facit, necesse est antea in loci vicinitatem pervenerit. Itaque rarius ea inveniuntur exempla, in quibus *propinquitatis* notio, capienda illa de loci ipsa *occupatione*, verbis copulatur *quietem* notantibus. Inveniuntur tamen, ut apud Nonnum IX. 62. de Baccho:

παῖδα κασιγνήτης Σεμέλης σέθεν, ὃν παρὰ παστῷ
οὐ στεροπῆς ἀμάθυνεν ὅλον σέλας.

Atqui *in ipso thalamo* combusta erat Semele. Exemplum plane singulare huius usus notavi mihi ex schol. ad Arist. av. v. 149. ἔστι δὲ (Λέπρεον) τῆς Τριφυλίας, πλησίον πολὺ τῆς Πελοποννήσου. Cf. etiam Tryphiod. v. 404. 660.

V. 27. κείνῳ ἔναντ' ἐλθὼν *Tychsenius* scripsit, cum in Aldina legeretur ἐς ἄντα ἰδών, quod ferri nequit. Sed leniori medela effeceris: κείνῳ ἔναντα κιών, ut v. 286. τῷ δ' οὔτις κατέναντα κίεν.

V. 97 sqq.

Τρῶες δὲ, καὶ εἰ θάνε Πηλέος υἱός,
οὐ μάλα θαρσήσουσιν, ἔτι ζώοντος ἐμεῖο,
καὶ σεῦ ἠδὲ καὶ αὐτοῦ ἀμύμονος Ἀτρείδαο.

Post hunc versum in multis codd. apud *Schowium* (Veneto, Vaticc. *Α Β Γ*, Laurent. *Α Β*) insuper hic versus legitur:

ἠδὲ Τελαμωνιάδαο μέγα σθένος ἔκτοσθε μίμνειν
ὣς ἄρ' ἔφη Τελαμῶνος ἐῢς πάϊς, οὐδέ τι ἤδη.

Ita totum locum perverti, non est quod moneam. Sed tamen haud negligendum videtur illud additamentum, etiam in optumis codicibus (cf. *Tychsen.* praef. p. C.) obvium. Ut dicam quod sentio: post v. 99. unus videtur periisse versus, cuius verba extrema ἔκτοσθε μίμνειν nobis servata sunt; in illis autem verbis ἠδὲ Τελαμωνιάδαο μέγα σθένος varia scriptura latet versus 100; ita ut olim locus sic *fere* scriptus videatur:

Τρῶες δὲ, καὶ εἰ θάνε Πηλέος υἱός,
οὐ μάλα θαρσήσουσιν, ἔτι ζώοντος ἐμεῖο,
καὶ σέθεν ἠδὲ καὶ αὐτοῦ ἀμύμονος Ἀτρείδαο,
[ἐς πεδίον προμολεῖν καὶ τεῖχεος] ἔκτοθι μίμνειν.
φῆ (aut ἦ) Τελαμωνιάδαο μέγα σθένος. οὐδέ τι ἤδη κτλ.

Pro hoc versu autem in aliis libris legebatur v. 100:

ὡς ἄρ᾽ ἔφη Τελαμῶνος ἐῢς παῖς· οὐδέ τι ἤδη etc.
Infinitivi pendent a verbo θαρσεῖν. Huic coniecturae si quis hoc obiiciat, quod etiam v. 85. simpliciter dicatur:

μή πως θαρσήσωσιν, Ἀχιλλέος οὐκ ἔτ᾽ ἐόντος,

mire profecto factum est, quod etiam post hunc versum in iisdem codd. praeterea hic versus adiicitur:

ἀντίον ἐλθέμεναι πολεμίζειν μαιμώοντες,

quem ego a verbosa Quinti ubertate haud alienum existimaverim. Incerta quidem haec sunt, fateor; sed quae tamen non videantur ab omni veri specie abhorrere. Satius autem duco, praesertim in scriptore tam male habito, si quae enotatae sint e codd. mirae scripturae, quid sub iis latere possit inquirere, quam ex aliorum libris collectam scripturae diversitatem nullo adiecto verbo repetere. Hoc enim et pueri, dummodo graecas litteras legere et pingere didicerint, facili opera praestent. — V. 99. scribendum esse καὶ σέθεν ἠδὲ καὶ αὐτοῦ, apparet ex comparata lectionis varietate, quae haec est: καὶ σοῖο καὶ α. Ald.; καί σευ ἠδὲ καὶ α. Neapol. et Caesar. A.; καὶ σέθεν καὶ α. Venet., Vaticc. *A B Γ*, Laurent. *A B*. — Tum v. 101. revocanda est antiqua scriptura κακὸν μόρον.

V. 151. Legendum esse ὡς δ᾽ ἐδάϊξεν apparet comparatis v. 152. 153. 156. 157. 160. Cf. etiam I. 9—13. XIV. 127—140. Postremo loco etiam v. 131. ὡς δὲ (vel ὥς τε) Κύκνον scribi debet. — Supra v. 146. ego neque cum *Bonitzio* l. c. p. 1231. ὣς δ᾽ Ἀχιλῆος scripserim, quod dicendum erat ὣς δὲ καί (ut in omnibus locis, quos ille attulit), neque cum *Spitznero* l. c. p. 1174 sq. retinuerim ὅσσ᾽ Ἀχιλῆος. Sed verum videtur, quod *Rhodomannus* coniecit, ὃς δ᾽ Ἀχιλῆος. Finita Thetidis laudatione ad Achillis facta transgreditur Nestor.

V. 197. τῶν δὲ καὶ ἀμφήριστος ἔην δρόμος.
Explicari nequit particula καί, quam difficultatem obscurat, non tollit *Rhodomanni* interpretatio: „*et* cursus eorum dubius erat." Varia tentari possunt, aut τῶν δὲ μέγ᾽ vel μάλ᾽ ἀμφ., aut τῶν δ᾽ ἦν ἀμφήριστος ἀεὶ δρ. (cf. Ψ. 766. αἰεὶ ῥίμφα θέων de Ulixe, qui cum Aiace Locrensi pedibus certat), ut vocabula καὶ (i. e. ἀεί) et ἔην sedem permutaverint; aut αἰεὶ δ᾽ ἀμφήριστος etc. aut etiam alia.

V. 241 sq.

τοὶ δ᾽ ἄσχετα μαιμώοντες
κράατα συμφορέουσιν ἀτειρέα καὶ μέγα κάρτος,

θυμῷ ἐπ᾽ ἀλλήλοισι πονεύμενοι· ἐκ δὲ μόγοιο
λάβρον ἀνασθμαίνοντες ἀμείλιχα δηιόωνται·
πουλὺς δ᾽ ἐκ στομάτων χαμάδις κατεχεύατο ἀφρός.

In his tria sunt, de quibus dicatur. Primum μαιμώοντες ex *Rhodomanni* coniectura posuit *Tychsenius*, cum in antiquis editionibus legeretur μαιμαῶτες. Fortasse magis ad pristinam scripturam accedamus scribendo: ἄσχετον ἐμμεμαῶτες. Singularis ἀάσχετον etiam I. 165. ex Monac. reponendus erat, uti iam dudum sagaciter viderat *Hermannus* ad Orph. p. 740. probavitque ex V. 445. XIV. 612. *Spitznerus* de v. Graec. her. p. 38. Hiatum in eo loco a Quinto non esse admissum locus eiusdem rationis IX. 135. monstrare poterat. Sed revertor ad locum unde egressi sumus. Ibi θυμῷ *Pauwii* est emendatio, qua *Tychsenius* insolentem sane Aldinae scripturam θυμὸν ἐπ᾽ ἀλλήλοισι πονεύμενοι expulit. Sed Quintus potius δεινὸν ἐπ᾽ ἀλλήλοισι πονεύμενοι scripsisse videtur. πονέεσθαι saepe absolute de pugnando apud eum usurpatur. Nisi latet aliquod verbum, unde apte accusativus θυμὸν pendeat. Cur autem ex Il. 516. non scribendum sit θυμὸν — φορεύμενοι, non obscura est caussa. Postremo in extremo versu *Hermannus* ad Orph. p. 744, ut hiatus removeretur, dubitanter proposuit κατεχεύατ᾽ ἀφλοισμός. At hiatus quidem ferri potest, ut ipse *Hermannus* indicavit: sed tamen ea verba vitiata esse videntur. Nam cum in tota hac comparatione poeta verbis usus sit praesenti tempore positis (v. 239. 240. 242. 244.), mirum profecto esset, ni ille etiam hic scripsisset καταχεύεται ἀφρός.

V. 340. — — ἐποτρύνοντες ἐϋσθενέων μένος ἀνδρῶν. In antiquis editionibus legebatur εὐρυσθενέων, quod mutavit *Rhodomannus* in ἐϋσθενέων. Sed ob litterarum similitudinem potius emendandum erat ἐρισθενέων. Nam hoc adiectivum, quod ab Homero (*N*. 54. *T*. 355. *Φ*. 184. *ϑ*. 289.) et Hesiodo (opp. 416.) de Iove tantum dicitur, a serioribus poetis etiam ad homines translatum est. Cf. Apoll. Rhod. I. 41. ἐρισθενέων Λαπιθάων. 543. ἐρισθενέων μένει ἀνδρῶν. Orph. Arg. 330. ἐρισθενέων βασιλήων, et Quintum ipsum X. 91. Τρωσὶν ἐρισθενέεσσι.

V. 346 sqq.

ἐπ᾽ ἀκροτάτοις δὲ πόδεσσι
βαίνοντες, κατὰ βαιὸν ἑὸν γόνυ γουνὸς ἄμειβον,
ἀλλήλων ἐπὶ δηρὸν ἀλευόμενοι μέγα κάρτος.

Ineptissimum est illud ἐόν, aperte oriundum ex antecedentium litterarum similitudine. Nam cum in locutione, γόνυ γουνὸς ἀμείβειν, *genu cum genu commutare*, quae est nil nisi gradiendi circumscriptio, utrumque genu eius, qui graditur, esse per se pateat, profecto absurdum est pronomine possessivo, quod plane supervacaneum est, sed utrique genu convenit, alterum genu efferri. Neque ita Homerus Λ. 547, unde hausit Quintus: ὀλίγον γόνυ γουνὸς ἀμείβων. Emendandum videtur: κατὰ βαιὸν ἀεὶ γόνυ γουνὸς ἀμείβων, cui in sequenti versu optume congruit ἐπὶ δηρὸν ἀλευόμενοι. Etiam Apollonius Rhod. Homerum ante oculos habuit II. 92. de Polluce:

ὁ δ' ἀΐξαντος ὑπέστη
κρᾶτα παρακλίνας, ὤμῳ δ' ἀνεδέξατο πῆχυν
τυτθόν· ὁ δ' ἄγχ' αὐτοῖο παρὲκ γόνυ γουνὸς ἀμείβων
κόψε μεταΐγδην ὑπὲρ οὔατος κτλ.

Hic vero vitiosum est τυτθόν, quod pessume coniungere solent cum πῆχυν. Nam *plaga* quidem dici potest *exigua*, sed non *brachium*. Itaque, si verum esset τυτθόν, deberet iungi cum κρᾶτα παρακλίνας (ut apud Quintum IV. 366. βαιὸν ὑποκλίνας), verbis ὤμῳ δ' ἀνεδέξατο πῆχυν in medio positis. Sed et hoc durius est, neque Homeri imitatio negligenda. Apollonius scripsit:

κρᾶτα παρακλίνας, ὤμῳ δ' ἀνεδέξατο πῆχυν·
τυτθὸν. δ' ἄγχ' αὐτοῖο παρὲκ γόνυ γουνὸς ἀμείβων κτλ.

Rem per se claram Nonnus conficit, suo more haec imitatus XXXVII. 525 sq.

ἄμφω δ' εἰς ἓν ἵκανον ἐπήλυδες, ἄλλος ἐπ' ἄλλῳ
ἴχνεσι φειδομένοισι ποδὸς πόδα τυτθὸν ἀμείβων.

V. 396 sq.

τῶν δ' ἀμφιτετρυμμένα τύμματα πάντα
ἠκέσατ' ἐνδυκέως Ποδαλείριος.

Vulnera quo pacto dici possint ἀμφιτετρυμένα (ita enim scribendum esset) non perspicio. τρύω enim, quod proprie *terendi* notionem habet, translate plerumque de hominibus dicitur, qui laboribus et molestiis prorsus fatigati et confecti sunt. Ita Apoll. Rhod. I. 1174. de aratore domum redeunte:

αὐτοῦ δ' ἐν προμολῇ τετρυμένα γούνατ' ἔκαμψεν.

Et sic Quintus ipse I. 637. μόγῳ στονόεντι τετρυμένοι (uti iam correxit *Spitznerus* de v. Graec. h. p. 38.). Itaque pugiles quidem ipsi mutuis ictibus confecti dici poterant τετρυμένοι,

non vulnera ipsa. Habet Quintus ἀμφιδεδρυμμένα dixit, verbo aptissimo. δρύπτω enim de eiusmodi dicitur vulneribus, quae non solitis militiae telis, sed cum aliis instrumentis, tum unguibus inferuntur, nec tam secando aut pungendo, sed *radendo* efficiuntur. Ita iam apud Homerum β. 153. de aquilis pugnantibus: δρυψαμένω δ᾽ ὀνύχεσσι παρειάς. Inde sollemne est verbum de feminis, quae lugentes faciem et pectus unguibus dilaniant. Orph. Arg. 598. στήθεα δρυπτομένη. Apoll. Rhod. III. 672. δρύψεν δ᾽ ἑκάτερθε παρειάς. Quint. XIV. 391. στήθεα λυγρὰ ἀμφ᾽ ὀνύχεσσι δέδρυπτο; ibid. 577. de Aiace Locrensi, qui mari immersus in rupem evadere nititur: χεῖρες ἀπεδρύφθησαν, quod sumptum ex Homero ε. 435. ῥινοὶ ἀπέδρυφθεν. Quid, quod hoc verbum de plaga caestu inflicta legitur apud Apollonium Rhod. II. 109. δρύψε δέ οἱ βλέφαρον. — Ne quis autem putet, faciliori mutatione nostro loco ἀμφιτεθρυμμένα reponi posse, monendum, verbum θρύπτω, cui *frangendi* inest notio, de iis tantum dici posse vulneribus, quibus non solum cutis et carnes laeduntur, sed simul ossa confringuntur et comminuuntur. — Tum eodem versu quod legitur οὕνεκ᾽ ἄρ᾽ αὐτὸς πρῶτα μὲν ἐκμύζησεν, equidem non propter Homerum Δ. 218. mutaverim in αἷμα δ᾽ ἄρ᾽ αὐτός. Potius in pronomine αὐτός, *ipse*, offenderim; illius enim temporis medicis nulli erant famuli, qui adiuvarent. Itaque vide an Quintus οὕνεκ᾽ ἄρ᾽ αὐτὰ dederit.

V. 463 sq.

αὐτὸς δ᾽ αὖτ᾽ ἀνάειρε μέγαν σόλον, ὄφρα οἱ εἴη
τερπωλῆς μένος ἠῢ λιλαιομένῳ πονέεσθαι.

Ita haec in antiquis editionibus legebantur. Sed locutio τερπωλῆς μένος recte visa est editoribus insolentior, quam quae ferri possit. Neque enim *Rhodomanni* interpretationem cuiquam placere puto: „ut sibi foret *singulari* oblectamento;“ neque etiam ex Oppiano Hal. IV. 105. νίκης τε γλυκύδωρον ἑλεῖν κράτος aut ex Quinto ipso XIV. 86. νίκης ἐρικυδέος ὄβριμον ἀλκὴν defendas eam scripturam. Itaque *Tychsenius* ex *Pauwii* coniectura dedit: ὄφρα οἱ εἴη τερπωλή, μένος ἠῢ λιλαιομένῳ πονέεσθαι. Sed iterum offendit πονέεσθαι accusativo iunctum. Itaque ego scribendum censeo: ὄφρα οἱ εἴη τερπωλὴ βέλος ἠῢ etc. Quam familiaris haec loquendi ratio sit Quinto, supra ad I. 329. vidimus. Vide etiam supra v. 455. εἴη δὲ πόνος πειρωμένῳ ἀλ-

κῆς. βέλος autem quin recte de disco dicatur, nemo dubitabit: infra XI. 117. dictum est de lapide.

V. 533.

ἤ, μέγα κυδαίνων ἵππων μένος ἠδὲ καὶ αὐτὸν
Ἀτρείδην· ὁ δ' ἄρ' ἧσι περὶ φρεσὶ γήθεε θυμῷ·
τοὺς δὲ μέγ' ἀσθμαίνοντας ἄφαρ θεράποντες ἔλυσαν
ζεύγλης· οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ ἀελλόποδας λύον ἵππους
πάντες, ὅσοις ἐν ἀγῶνι δρόμου πέρι δῆρις ἐτύχθη.

Totum locum adscripsi, quo clarius statim appareret, huc non quadrare locutionem οἱ δὲ καὶ αὐτοί, Quinto aliisque epicis alias maxume familiarem. (Restituenda est XI. 6. ex *Pauwii* coniectura). Ea enim ubicunque usurpatur, semper dicitur de eo, qui etiam sua sponte aliquam rem persequitur, ad quam exsequendam ab alio aut admonitum aut alia qualibet ratione adactum eum esse in antecedentibus monitum est. Itaque h. l. si recte haberet οἱ δὲ καὶ αὐτοί, praegressa esse debebat aliqua adhortatio, qua ceteri certatores, ut equos solverent, permoti esse dicerentur. Quintum dedisse puto ὧς δὲ καὶ ἄλλοι, qua formula in locis simillumis XII. 173. 562. XIV. 590. usus est. Postquam Menelai famuli equos eius de curru solverant, *etiam ceteri omnes* suos quisque equos solvere coeperant.

L I B. V.

V. 1. ἀλλ' ὅτε δὴ πολλοὶ μὲν ἀπηνύσθησαν ἄεθλοι. At vero non *multa* tantum aut *pleraque*, sed uno excepto *omnia* finita erant certamina. Cf. v. 123. νῦν μὲν δὴ κατ' ἀγῶνος ἀέθλια πάντα τελέσθη. Itaque non recte dictum est πολλοί; quod sentiens *Rhodomannus* ita interpretatus est: *multifaria certamina.* Sed haec significatio non inest vocabulo. Quintus scripserat: ἀλλ' ὅτε δή ῥ' ἄλλοι μὲν ἀπηνύσθησαν ἄεθλοι, cum *cetera* certamina finita essent.

V. 14 sqq.

Τηθὺς δ' ἀμφιτέτυκτο καὶ ὠκεανοῦ βαθὺ χεῦμα,
τῷ δ' ἄφαρ ἐξεχέοντο ῥοαὶ ποταμῶν κελαδεινῶν
κυκλόθεν ἄλλυδις ἄλλη, ἑλισσομένων διὰ γαίης.

τῷ pro τῶν, quod est in Aldina, non recte scripsit *Tychsenius*, illaturus sine dubio recentiorum de fluviis in mare currentibus

doctrinam. Atqui opinio erat veterum, omnes et fluvios et fontes originem ducere ex oceano, terram undique cingente. Vid. Homer. Φ. 195.

μέγα σθένος ὠκεανοῖο,
ἐξ οὗπερ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα
καὶ πᾶσαι κρῆναι καὶ φρείατα μακρὰ νάουσιν.

Oppian. Cyneg. I. 44.

σοὶ δέ τε πάντα νάουσιν ἀπ' ὠκεανοῖο ῥέεθρα.

Orph. hymn. 82, 4 sq.

ἐξ οὗπερ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα,
καὶ χθόνιοι γαίης πηγόρρυτοι ἰκμάδες ἁγναί.

Itaque etiam hoc Quinti loco aut τῶν retinendum erit, hoc ut ad Tethyn et oceanum simul referatur, aut, quod ob locos modo allatos magis probaverim, τοῦ reponendum.

V. 52. ἀμφὶ δὲ πάντες
ἀτραπιτοὶ θαμέεσσι διειργόμενοι σκοπέλοισιν
ἀνθρώπων ἀπέρυκον ἐῢν πάτον.

Primo versu scribendum est πάντῃ, usitatissuma epicis clausula. Ut h. l. autem ἐῢν πάτον, i. e. *gradum*, *qualis esse debet*, *firmum et rectum*, ita supra II. 504. ἐῢν δρόμον de cursu solis dixit. Sed vitium traxit idem adiectivum I. 184, ubi de Priamo dictum: εὔχετ' ἐς ἱερὸν ἠῢ τετραμμένος Ἰδαίοιο Ζηνός. Sagaciter *Dietschius* meus, gymnasii Hildperthusani praeceptor, reponendum olim vidit αἰπὺ.

V. 168 sq.

ὃς φῂς Ἀργείοισιν ἀπηλεγέως χαλεπῆναι
ἀνέρα, ὅντινά τῶνδε θεοὶ μετόπισθε βάλωνται
νίκης.

Non admissus est hic hiatus a Quinto. Itaque iam *Hermannus* ad Orph. p. 745. ὅντινά κεν τῶνδ' ἄνδρα etc. coniecit. Sed multo facilius locus ita restituatur: ἄνδρα τόν, ὅντινα τῶνδε etc. Vid. Homer. κ. 74. ἄνδρα τόν, ὅς κε θεοῖσιν ἀπέχθηται. Apollon. Rhod. IV. 1655. μούνη γὰρ ὀΐομαι ὔμμι δαμάσσειν ἄνδρα τόν, ὅστις ὅδ' ἐστί. Neque supra v. 27. μίγδα ἑοῖς ἵπποισι a Quinto profectum crediderim, qui aut μίγδην οἷς ἵπποισι aut μίγδ' ἄμ' ἑοῖς ἵπποισι scripsit.

V. 190.

οὐ γάρ τοι στέρνοισι πέλει μενεδήιον ἦτορ,
ἀλλά σοι ἀμφιμέμηλε θράσος καὶ ἀτάσθαλα ἔργα.

Recte iam *Pauwius* in eo offendit, quod Ulixi h. l. ab Aiace ad-

scribatur θράσος, quae vox nonnisi in laudem accipi potest. *Rhodomannus* enim quod vertendo expressit: „temeritati studes," id neque inest in vocabulo, neque unquam Ulixi obiectum esset ab Aiace, qui ipse erat ferocientis audaciae. Nec satisfacit iam ea ratio, qua olim hunc locum mihi explicavi, ut arctissume iunctis θράσος κ. ἀ. ἔ. *audacia* significetur *ad turpissuma facinora prompta.* Hoc enim et propter id, quod oppositum est, μενεδ. ἦτορ displicet, et abhorret ab epica dictione. Itaque et *Pauwius* coniecit et probavit *Iacobsius* specim. emend. p. 38. δόλος, afferentes inprimis locum ex Homero ι. 19 sq.

εἴμ' Ὀδυσεὺς Λαερτιάδης, ὃς πᾶσι δόλοισιν
ἀνθρώποισι μέλω.

Sed hic quidem *dolus*, qui erat in Ulixe maxume memorabilis, aptissume memoratur, ubi et nomen ille et artem profitetur; h. l. autem mihi videtur plane eius mentio esse aliena. Totam enim si consideramus orationem, videmus in ea Aiacem hoc demonstratum ire, Ulixem et fortitudine et robore se multo esse inferiorem. Inde statim (v. 182.) illum περὶ κάρτεος non parem sibi esse affirmat, non illum, sed se defendisse contra Troianos Achillis corpus (—186.); Ulixem enim timidum esse et invalidum (187.), multoque ipso inferiorem atque sola improbitate callere (— 190.). Iam timiditatis illius affert exemplum, quod noluerit ad Troiam proficisci (—194.); neque adventum eius Achivis utilem fuisse; eo enim auctore Philoctetam relictum, Palamedem occisum esse (—198.). Haec pertinent ad ἀτάσθαλα ἔργα. Eodem modo in sqq. suam fortitudinem suumque robur cum pusillo Ulixis et anxio animo comparat, obiter tantum et εἰρωνικῶς v. 210. astutiae facta mentione. Itaque etiam eo, quem tractamus, loco non *dolum* Ulixis, per se minume vituperabilem, sed, ut etiam ex oppositis verbis μενεδήιον ἦτορ apparet, *timorem* eius castigari existimo, et proinde potius δέος vel φόβος vel τρόμος pro θράσος (quod ne est quidem in Ald. θάρσος praebente) rescribendum puto. Vid. etiam Il. 69., qui locus est simillumus, ubi Paris Polydamantem his increpat:

οὐδέ σοι ἐν στέρνοισι πέλει μενεδήιον ἦτορ,
ἀλλὰ δέος καὶ φύζα.

Bene autem respondet Ulixes v. 240.

οὐτιδανόν τέ μ' ἔφησθα καὶ ἀργαλέον καὶ ἄναλκιν,

ubi respiciuntur tria, quae ei obiecta erant, crimina, corporis imbecillitas, segnities et improbitas.

Hermannus, quocum meam super hoc loco sententiam communicavi, eo consentit, quod et ipse doli notionem alienam putat. Sed ille hic quoque lacunam esse ratus sic totum locum constituit:

οὐδέ σοι ἀμφιμέμηλε θράσος * * * * * *
ἀλλὰ * * * * * * καὶ ἀτάσθαλα ἔργα.

V. 273. Scribendum: οὐ γάρ ἔμοιγ' ἐπάμυνας.

V. 342 sqq.

ὢ πόποι, ὡς ὅγε λυγρὸς ἐπάξια πήμαθ' ὑπέτλη
δεσμῷ ἐν ἀρρήκτῳ, ὅτε οἱ μέγας αἰετὸς ἧπαρ
κεῖρεν ἀεξόμενον, κατὰ νηδύος ἔνδοθι βαίνων.

Ultima verba *Rhodomannus* sic vertit: *in intimum ventrem grassans*. Non hoc inest in verbis graecis, quorum sensus necessario hic est: *intus in ventrem ingrediens*. Hoc autem et per se plane monstrosum est, et iis, quas adhuc ex antiquitate habemus, Promethei imaginibus prorsus contrarium. In iis enim fere sedens fingitur Prometheus, expansis manibus Caucaso affixus: aquila autem genu eius insidens rostro ventrem appetit, iecurque eius dilaniat. Eadem est sententia *Hermanni*, qui proinde in Opusc. V. p. 48. locum sic emendavit:

ὅτε οἱ μέγας αἰετὸς ἧπαρ
κεῖρεν ἀεξόμενον κατὰ νηδύος, ἐγγύθι βαίνων.

Liceat mihi aliam proferre coniecturam, factam antequam *Hermanni* cognitam haberem. Scripsisse enim puto Quintum: κατὰ νηδύος ἔνδοθι θείνων. Legitur hoc verbum infra VIII. 42. de vespis: ἐελδόμενοι χρόα θείνειν ἀνδρόμεον.

V. 355 sqq. de Aiace:

καὶ ἄσπετα πορφύρεσκεν,
ἢ ὅγ' ἐνιπρήσῃ νῆας καὶ πάντας ὀλέσσῃ
Ἀργείους, ἢ μοῦνον ὑπὸ ξίφεϊ στονόεντι
δῃώσῃ μελεϊστὶ θοῶς δολόεντ' Ὀδυσῆα.

Quamquam non defuturos arbitror, qui illud θοῶς defendant, tamen mihi non solum languidum, verum etiam ineptum videtur propterea, quod Aiacis mens, ut ex omnibus constat atque h. l. ex adiecto adverbio μελεϊστὶ apparet, haec erat, ut Ulixem *lenta* morte cruciaret. Accedit quod ad illud adverbium aliud desideratur verbum, quam illud δῃώσῃ. Itaque

non dubito, quin Quintus ad Homeri exemplum scripserit μελεϊστὶ ταμών. Cf. Ω. 409.

ἠέ μιν ἤδη
ἧσι κυσὶν μελεϊστὶ ταμὼν προὔθηκεν Ἀχιλλεύς.

ι. 291. διαμελεϊστὶ ταμών. σ. 339, ubi Ulixes ancillam se irridentem sic increpat:

ἦ τάχα Τηλεμάχῳ ἐρέω, κύον, οἷ' ἀγορεύεις,
κεῖσ' ἐλθών, ἵνα σ' αὖθι διαμελεϊστὶ τάμῃσιν.

et ita Oppianus Cyn. IV. 281. μελεϊστὶ τάμεν. Apoll. Rhod. II. 626. μελεϊστὶ κεδαιόμενος θανέεσθαι.

V. 382.

γάστρην ἀμφί γε πᾶσαν ὅτε ξύλα πολλὰ θέρηται.

Sic *Tychsenius* ex coniectura *Rhodomanni*, cum in Aldina legeretur ἀμφὶ δέ. Neutrum ferri potest. Scribendum puto ἀμφὶς ἅπασαν. Ita etiam supra v. 93. et XIV. 130. ἀμφὶς ἄνακτα forma ἀμφὶς eodem modo usus erat, quo apud Homerum ceterosque poetas solum ἀμφὶ ponitur. Cf. *Buttmannus* in lexilogo II. p. 225.

V. 444 sqq.

κεῖσο, κύων· σὲ γὰρ οὔτι γοήσεται ἀμφιπεσοῦσα
κουριδίη μετὰ παιδὸς ἀάσχετον ἀσχαλόωσα,
οὐ τοκέες· τοῖς οὔτι μετέσσεαι ἐλπομένοισι
γήραος ἐσθλὸν ὄνειαρ.

Si recte novi Quinti usum, scripserat ille ἐλδομένοισι, quo desiderium notatur parentum, filium adiutorem sibi adesse vehementer cupientium. Nam ubi aliqua res grata alicui dicitur accidere, Quintus desiderium eius hominis, quo eam rem expectavit, per solum participium verbi ἔλδομαι aut λιλαίομαι exprimere solet. Vid. X. 141. sq. qui locus est simillumus:

οὐδέ μιν ἐκ πολέμοιο πολυκλαύτοιο μολόντα
καίπερ ἐελδόμενοι μογεροὶ δέξαντο τοκῆες.

Cf. VI. 119. VII. 222. 428. X. 24. XII. 120. 221. 248. 252. 263. 280. 349. XIII. 472. 514. XIV. 62. 119. 337. 339. 346. 447. Praeivit usum Homerus, vide *H*. 4. 7. μ. 438. φ. 209. ω. 400.

V. 495. αἳ δὲ μέγ' ἀσκαίρουσι. Usitatam formam restituendam arbitror, μέγα σκαίρουσι, quam solam et Homerus novit Σ. 572. κ. 412. et Nonnus Dion. XVIII. 53. 119. 127. 179. XXIV. 123. XXX. 117. XXXVII. 742. XXXVIII. 121. XXXIX. 395. XLI. 234. XLII. 476. XLIII. 353. XLIV. 249.

XLV. 31. XLVII. 632. XLVIII. 196. 202. et Theocr. IV. 19. Quod apud Quintum legitur VIII. 321. ἀνεσκαίρεσκε, et ab *ἀσκαίρω* **et a** *σκαίρω* **factum esse potest.**

V. 500.

Τεῦκρος δ' ἀμφ' αὐτῷ μάλα μήδετο κῆρας ἐπισπεῖν.

Quamquam defendi potest *μάλα*, tamen videndum an Quintus *ἅμα* scripserit, clarius indicaturus Teucri voluntatem *simul cum fratre* obeundi. Hoc enim Teucrus voluntaria morte se exsecuturum esse v. 515 sq. his verbis prodit:

οὐδέ τ' ἐμοὶ νόστοιο τέλος σέο δεῦρο θανόντος
ἁνδάνει, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ὀΐομαι ἐνθάδ' ὀλέσθαι.

De hoc loco non possum consentire cum *Spitznero*, l. c. p. 1175. *Bonitzii* sententiam, l. c. p. 1233. propositam, impugnante. Is enim pro *ὀΐομαι* potius * *ἵεμαι* desiderat, bene quidem, sed obscurius tamen eius suspicionis caussam explicavit. Res ita expedienda erat. *ὀΐομαι*, quod est *mente praevidere*, et de bono dicitur, quod *speratur*, et de malo, quod *metuitur*; nusquam vero de *optando* et *cupiendo*. H. l. autem minume aut *sperandi* aut *metuendi*, sed solummodo *vehementer cupiendi* notionem requiri apparet cum ex oppositis, *οὐδέ τ' ἐμοὶ νόστοιο τέλος - ἁνδάνει*, tum ex tota narratione. Nam qui gladio (cf. v. 501 sq.) mortem sibi inferre parat, is mortem non *sperare*, sed *cupere* dicendus est. Itaque pro *ὀΐομαι*, quod etiam in omnibus, quos attulit *Spitznerus*, locis aut *metuendi* (VI. 91.), aut *sperandi* (I. 132. II. 33. IV. 577. VII. 480. XII. 257. XIII. 445.) significationem tenet, iam dudum, quamvis audacius, conieceram *ἐέλδομαι*, nunc vero, duce *Bonitzio*, *ἅμ' ἵεμαι* leniori mutatione emendandum censeo. De vocula *ἔτι* autem ante *ἵεμαι* addenda debebat *Bonitzius* ne dubitanter quidem cogitare. Ea enim tam parum apta est h. l., ut, in libris si legeretur, quavis coniectura esset expellenda. Versus 515. initio autem praetulerim *οὐδ' ἔτ' ἐμοί*. cf. v. 513. *οὐ γὰρ τοῖσδ' ἔτι θάρσος — ἔσσεται.*

V. 523 sq. *καί μιν ἁπάντων*
τεῦξεν ἄνασσαν ἔμεν, ὅσσων κτλ.

Vitiosa est ultimae syllabae productio in *ἔμεν*. **Inde iam** ***Hermannus*** **ad Orph. p. 714. coniecit:** *καί μιν ἄνασσαν τεῦξεν ἁπάντων ἔμμεν, ὅσων κτλ.* **Elegantius etiam locus sic constituendus videtur:** *καί μιν ἔτευξαν πάντων ἔμμεν*

ἄναυδαν, ἄδωἱ etc. Verborum ordo in Aldina saepius aperte turbatus est.

V. 560 sq.

ὦ γύναι, οὔ νύ σέ τις δμωὴν ἔτι θήσεται ἄλλος,
Τεύκρου ἔτι ζώοντος ἀμύμονος, ἠδ᾽ ἐμεῦ αὐτοῦ.

Displicet prius *ἔτι*, et quia statim repetitur, et quia tum gravius apud Aiacem Tecmessae servitium innueretur. Itaque poetam scripsisse puto: *δμωήν ποτε θήσεται ἄλλος.*

V. 585. *οὔτε τιν᾽ ἄλλων*
ἐκ Δαναοῖσιν ἔασα.

Sine dubitatione scribas *ἄλλον.* Genitivus tum tantummodo, sed paullo diverso sensu, recte haberet, si sequeretur *Δαναῶν.*

V. 639 sqq. *ὁ δὲ νύκτα καὶ ἠῶ*
καίετο πὰρ νήεσσιν, ἐπειγομένου ἀνέμοιο·
οἷός που τοπάροιθε Διὸς στονόεντι κεραυνῷ
Ἐγκέλαδος δέδμητο κατ᾽ ἀκαμάτοιο θαλάσσης —,
ἠδ᾽ οἷον ζώοντα μέλη πυρὶ δῶκε θέρεσθαι
Ἡρακλέης.

Hic quoque, quod aliis locis iam *Spitznerus* de v. Gr. her. p. 154. et mant. obss. p. 223. et *Bonitzius* l. c. p. 1237. fecerunt, restituenda erit particula disiunctiva. Quintus enim scripsit *ἢ οἷος.*

LIB. VI.

V. 131. de Eurypylo, cum copiis Troiam ingrediente, haec leguntur:

ὁ δ᾽ ἔξοχος ἕσπετο λαῶν,
ἠΰτε τις θώεσσι λέων ἐν ὄρεσσι μετελθών.

Incredibile est, quod hic narratur, Eurypylum *copias secutum esse*, quibus praeerat. Ducis enim heroici est, praegredi suis viamque monstrare. Idemque etiam Eurypylum fecisse v. 121. diserte refertur:

καί οἱ λαοὶ ἕποντο δαήμονες ἰωχμοῖο.

Ita etiam I. 33. de Penthesilea dictum: *σὺν δέ οἱ ἄλλοι ἕποντο δυώδεκα.* Cf. v. 47. et v. 341, ubi illa pugnam ingreditur: *θοοὶ δέ μιν ἄνδρες ἕποντο*, et VII. 368. Itaque quin vitium adsit, non videtur dubitandum esse, consentiuntque ea in iis

Bonitzius l. c. p. 1234. et *Spitznerus* l. c. p. 1175. Quod autem ille coniecit ἔπλετο, id, quamquam in idem ipse etiam olim incidi, non amplius mihi probatur. Cum enim sermo sit de *incedentibus* Eurypylo et comitibus, multo accommodatius refingas: ὃ δ' ἔξοχος ἔσσυτο λαῶν. Recte dictum hoc verbum de agili alacrique herois incessu. Eodem modo II. 211. de Achille, Graecos ad proelium ducente, postquam ille cum sole oriente comparatus erat, haec adiiciuntur: τοῖος ἐν Ἀργείοισι τότ' ἔσσυτο Πηλέος υἱός. Idem 205. dictum erat: ὃς δ' ἐνὶ μέσσοις ἤιε. Cf. etiam I. 41. 299. VII. 358. 364. et alibi.

V. 150 sqq.

ἄμφω δ' ὡς ὀάριζον, ἅμ' ἀλλήλοισι κιόντες,
ἤλυθον ἐς μέγα δῶμα καὶ ὄλβιον, ἔνθ' ἄρα ἧστο
ἀντιθέη Ἑλένη.

Hic primum male habet membrorum haec consociatio: „ambo autem dum sermocinabantur, simul euntes, venerunt in magnam opulentamque domum.“ Et alio ducit scriptura Aldinae, in qua cum ἦλθον legatur, apparet locum ita disponendum esse:

ἄμφω δ' ὡς ὀάριζον, ἅμ' ἀλλήλοισι κιόντες.
ἦλθον δ' ἐς μέγα δῶμα καὶ ὄλβιον· ἔνθα δ' ἄρ' ἧστο κτλ.

Ultima verba *Rhodomannus* sic constituerat: ἐνθάδ' ἄρ' ἧστο, probante *Spitznero* de v. Gr. her. p. 154. Sed meam rationem praetulerim. *Hermannus* ἔνθα καθῆστο suspicatus est.

V. 160 sqq.

αἶψα δ' Ἀλέξανδρος κατ' ἄρ' ἕζετο· πὰρ δ' ἄρα τῷγε
Εὐρύπυλος· Δαναοὶ δὲ πρὸ ἄστεος αὖλιν ἔθεντο,
ἧχι φυλακτῆρες Τρώων ἔσαν ὀβριμόθυμοι.

Plane incredibile est, Danaos, qui, ut V. 660 sqq. exponitur, Achillis morte consternati extrema nocte magnopere timuerant, ne impetum in ipsos facerent Troiani, eosdem nunc subito, ubi Troiani etiam Eurypyli copiis aucti sunt, sine timore ad urbem Troianorumque custodes non accedere tantum, sed etiam ibi armis positis pabulum equis proiicere. Et nulla inde inter eos et Troianos pugna. Iidem tamen Danai v. 173 sqq. *procul* Troianorum et ceterorum pro urbe excubantium clamorem perhorrescunt, atque *tentoriis inclusi* custodias ponunt, ne improviso petantur ab hostibus. Apage igitur istos Danaos importuno tempore audaces. Scripserat enim Quintus v. 161. ita:

Εὐρύπυλος· λαοὶ δὲ πρὸ ἄστεος αὖλιν ἔθεντο.

Nam cum Eurypylus in urbe maneret apud Paridem, copiae eius

extra urbem apud vigilias Troianorum stationem cepere. Inde *pro urbe* utrique proxumam noctem laetitia et epulis transegerunt. Vid. v. 166—172. 179. 646 sqq. Milites Eurypyli λαοὶ dicuntur etiam v. 121.

Similis error in Euripidis Cyclope v. 428—430. invenitur, ubi in codd. haec leguntur:

ἀλλ᾽ εἴπατ᾽, εἴτε χρήζετ᾽, εἴτ᾽ οὐ χρήζετε,
φεύγειν ἄμικτον ἄνδρα, καὶ τὰ Βακχίου
ναίειν μέλαθρα Δ α ν α ΐ δ ω ν νυμφῶν μέτα.

Ita Ulixes ex Satyrorum turba quaerit. V. 430. viri docti Ν α ι ά δ ω ν νυμφῶν correxerunt, errorem errori substituentes. Minume enim Satyri *sollemnes* celebrant cum *Naiadibus* congressus; quid quod, ubi ebrii eiusmodi facinus tentant, eluduntur a nymphis, teste Nonno Dion. XII. 375 sqq.

ἀμφὶ δὲ πηγὰς
ἄλλος ἐγερσινόοιο μέθης ἑτερόφρονι παλμῷ
ὑδρηλὴν ἐδίωκεν ἀνείμονα Νηΐδα κούρην·
καί νύ κε νηχομένην λασίῳ πήχυνεν ἀγοστῷ,
εἰ μή μιν φθαμένη βυθίῳ κεκάλυπτο ῥεέθρῳ.

Imo cum Bacchabus tantum mulieribusve entheis, quae Bacchum comitabantur, rem habere solebant Satyri. Inde, cum Silenus Bacchi comes in fluvium esset mutatus, Maron, qui longiori oratione eum valere iubet atque pristinae recentisque conditionis discrimina exponit, inter alia haec memorat, ibid. XIX. 327 sqq.

ἀλλὰ σὺ νύμφην
μηκέτι μαστεύσειας ἀσάμβαλον ἠ θ ά δ α Βάκχην,
Βάκχην λυσιέθειραν ὀρειάδα· λυσικόμων γὰρ
Νηιάδων ἀπέλεθρος ἐϋφραίνοι σε γενέθλη.

Neque plus Satyri apud Euripidem sibi poscunt, qui v. 70 sqq. sic canunt:

μέλπω πρὸς τὰν Ἀφροδίταν,
ἂν θηρεύων πετόμαν
Βάκχαις σὺν λευκόποσιν.

Relegamus igitur ex Bacchi aedibus Naiades, diis marinis tantum amatas et faciles. Scripsit enim Euripides: Μ α ι ν ά δ ω ν νυμφῶν μέτα.

V. 176 sq. τοὔνεκ᾽ ἄρ᾽ ἥ σ ι ν ἕκαστος ἐνὶ κ λ ι σ ί ῃ σ ι κέλευσε
νῆας ἀμοιβαίῃσι φυλασσέμεν.

Plane ineptum est illud additamentum, unumquemque *in suis tentoriis* iussisse naves custodiri. Scribendum:

τοὔνεκ' ἄρ' οἷσιν ἕκαστος ἐπὶ κλισίῃσι κέλευσε
νῆας ἀμοιβαίῃσι φυλασσέμεν.

Unusquisque *suos milites* iussit alternatim naves custodire, statione *ad tentoria*, h. e. inter murum navalem atque tentoria capta. Cf. VI. 450. *οἷσιν ἀμυνέμεναι,* et IX. 130. *ἐπαῦτεε δ' οἷσιν ἕκαστος κεκλόμενος.* Et similiter II. 47. dictum: *πολλοῖς δὲ καὶ ἄλλοις πῆμα γένηται ἡμετέροις.* Etiam *Rhodomannus* iam *οἷσιν* suasit. Sed quod idem versu sequenti coniecit *ἀμοιβαίοισι,* id ego non probaverim, quamvis sciam virum summae auctoritatis, *Lobeckium* in paralip. Gr. gr. p. 314, in idem incidisse. At vero *ἀμοιβαίοισι* pro neutro vix poterit accipi: sin coniungitur masculino genere cum *οἷσιν,* constructio videtur ab epica simplicitate alienior esse. Itaque alteram Lobeckii tenuerim opinionem, ad *ἀμοιβαίῃσι* ex verbo *φυλασσέμεν* intelligendum esse dativum *φυλακαῖς,* uti similiter V. 157. poeta sic locutus est:

τοὔνεκα Τρωσὶν ἐφῶμεν ἐΰφροσι τήνδε δικάσσαι
ἀντιθέῳ τ' Αἴαντι, φιλοπτολέμῳ τ' Ὀδυσῆι.

Praeivit Homerus locutione *προσηύδα μειλιχίοισι Δ.* 256. *Z.* 214.

V. 213 sq.

καρήατα δ' ἀλγινόεντα,
ἄλλα μέν οἱ δέδμητο κατὰ χθονός, ἄλλα δ' ἄεξεν.

Hermannus in Orph. p. 784. *ἄλλα ῥά οἱ δέδμητο* emendavit. Sed displicet etiam *δέδμητο* coniunctum cum *κατὰ χθονός.* Itaque vide an Quintus *ἄλλα μὲν ἤδη κεῖτο* dederit. Sunt autem in Quinto alii etiam loci, eodem modo corrupti, quos *Hermannus* l. c. p. 783 sq. non attigit. Eorum maxuma pars (II. 400. V. 126. VII. 421. 610. XI. 409.) detracta littera *ν* sine negotio sanatur. Alibi, ut IV. 326. IX. 376. XII. 395, tantum ad pristinam scripturam redeundum; III. 783. cum *Rhodomanno τὰ δέ οἱ* scribendum est. Restant VIII. 400, ubi *Tychsenius* ex *Pauwii* coniectura edidit: *αἰεὶ γάρ οἱ ἤθελε θυμὸς ἀμύνειν.* Legebatur: *αἰεὶ γάρ οἱ ἀμύνειν ἤθελε θυμός. Rhodomannus* pronomen omisit; melius *Hermannus* nuper: *δὴ γάρ οἱ ἀμύνειν ἤθελε θυμὸς* scribendum esse me monuit. X. 392. *ἄνερ ἐμοὶ καὶ Τρωσὶ καί οἱ αὐτῷ μέγα πῆμα.* Poeta, opinor, scripserat *καὶ αὐτῷ τοι μ. π.,* ut apud Homerum X. 345. *αὐτῷ τοι μετόπισθ' ἄχος ἔσσεται* legitur.

V. 223 sq. Hunc locum iam ante tres annos sic refinxeram:

κεμμὰς δ' εὖ ἤσκητο θοὴ πόδας, ἥτ' ἀλεγεινῶν
ἀμφὶ περικτιόνων μέγ' ἐσίνετο πᾶσαν ἀλωήν.

Gaudeo, quod etiam *Bonitzius* l. l. p. 1234. idem verbum restituit. Praeter Quintum I. 399. afferre poterat Theocr. I. 49. de vulpe: *σινομένα τὰν τρώξιμον*, et Hesiod. fragm. CLVI. ed. Goettling. de Iphiclo supra aristas currente: *καὶ οὐ σινέσκετο καρπόν.* Sed etiam quod vulgo legitur, *ἀλεγεινόν*, mutandum erat, quia sequitur *μέγ' ἐσίνετο.* Similiter infra VII. 458. IX. 104. de ipsis hominibus calamitate oppressis dictum est *ἀλεγεινός.* Versu sequenti levem maculam abstergas scribendo: *χρυσέοιο κεράατος.*

V. 276 sq. *καί ῥ' οἱ μὲν πεύκῃσι περιδμηθέντες ἔκειντο,*
τὰς ἔχον ἐν χείρεσσι μάχης ἄκος.

Vertit *Rhodomannus:* „et pars quidem inter piceas prostrati iacent," ad sensum recte; sed vereor ut haec in verbis graecis insint, quae potius hanc praebent sententiam: „alii piceis prostrati circumcirca iacebant." Hoc autem non probaverim. Centauri enim irruebant piceis aliisque arboribus armati, Hercules autem eos sagittis alium super alium prostravit. Vid. Apollod. II. 5, 4. *παρῆσαν οἱ Κένταυροι πέτραις ὡπλισμένοι καὶ ἐλάταις ἐπὶ τὸ τοῦ Φόλου σπήλαιον· τοὺς μὲν οὖν πρώτους τολμήσαντας εἴσω παρελθεῖν Ἄγχιον καὶ Ἄγριον Ἡρακλῆς ἐτρέψατο βαλὼν δαλοῖς, τοὺς δὲ λοιποὺς ἐτόξευσε διώκων ἄχρι τῆς Μαλείας.* Et ita Quintum quoque rem sibi cogitasse, ex verbis, quae adiecta sunt, apparet: *τὰς ἔχον ἐν χείρεσσι μάχης ἄκος.* Itaque nisi altius latet huius loci vulnus atque *πεύκῃσι περικλινθέντες* restituendum, certe vulgatam ita correxerim: *πεύκῃσι περὶ δμηθέντες ἔκειντο*, ut *περὶ* iungendum sit cum *ἔκειντο*, *δμηθέντες* autem per se dictum.

V. 323 sqq.

ἀμφὶ δὲ λαοὶ
πολλοὶ ἔπονθ' ὡσεί τε μελισσάων κλυτὰ φῦλα
ἡγεμόνεσσιν ἑοῖσι διηρεφέος σίμβλοιο
ἐσσύμεναι καναχηδόν, ὅτ' εἴαρος ἦμαρ ἵκηται.

Haec non satis cohaerent. Unde enim pendent genitivi *διηρεφέος σίμβλοιο*? Itaque, nisi subest post v. 325. lacuna, quod mihi quidem non probabile videtur, pro *ἐσσύμεναι* restituendum est *ἐκχύμεναι.*

V. 406. sq. ὃ δ' ἔπειτα κραταιῷ χώσατο φωτὶ·
Εὐρύπυλος μεγάθυμος ἰδ' ἀσχαλόων ἐνὶ θυμῷ.
Ita *Tychsenius* edidit, cum in Aldina tantum legeretur: Εὐρύπυλος, μέγα δ' ἀσχαλόων. Nisi *Tychsenii* lectio ex bono codice fluxit, dubitari magnopere potest, an ea vere a poetae manu sit profecta. Satis enim displicet otiosum adiectivum μεγάθυμος, praesertim cum statim sequatur ἐνὶ θυμῷ. Potius, quoniam etiam antea Eurypylus infensus erat Machaoni, qui eum prius vulneraverat (cf. v. 393—399.), tale quid a Quinto profectum arbitror: μᾶλλον ἔτ' Εὐρύπυλος, μέγα δ' ἀσχαλόων, aut Εὐρύπυλος πολὺ μᾶλλον, ἰδ' ἀσχαλόων. Hoc enim aptissumum foret, si diserte indicaretur *magis etiam* Eurypyli iram exarsisse, lapidis insuper ictu a Machaone petiti. Cf. Homerus Ψ. 430. Ἀντίλοχος δ' ἔτι καὶ πολὺ μᾶλλον ἔλαυνεν. Quint. IX. 230. ἔτι μᾶλλον ἵππους ὠτρύνεσκεν ἐλαυνέμεν. ibid. v. 284. τοὶ δ' ἔτι μᾶλλον ἐς Ἄρεος ἔργον ὄρουσαν. Et ita etiam Apollod. I. 6. ὡς δὲ ἐκράτησαν οἱ θεοὶ τῶν Γιγάντων, Γῆ μᾶλλον χολωθεῖσα — γεννᾷ Τυφῶνα.

V. 469. Λᾶσσον, ὃν ἀντίθεον Προνόη τέκεν ἀμφὶ ῥεέθροις. Scribendum ἀντίθεος.

V. 484 sqq.

τῷ ἔνι δοιαὶ ἔνεισι καταιβασίαι τ' ἄνοδοί τε,
ἡ μὲν πρὸς βορέαο τεταγμένη ἠχήεντος
πνοιάς, ἡ δὲ νότοιο καταντίον ὑγρὸν ἀέντος.

Offendit me vox τεταγμένη, quae recte posita esset, si memoraretur aliquis homo, qui ab alio ipsi imperitante septentrionem versus esset collocatus. Cum autem poeta h. l. exponat de situ amborum introituum, quos illud nympharum antrum habuerit, apparet scripsisse eum non τεταγμένη, sed τετραμμένη. Hoc enim verbum usurpatur, ubi alicuius rei in aliquam coeli plagam conversio describitur. Cf. Homerus ε. 71. de fontibus:

πλησίον ἀλλήλων τετραμμέναι ἄλλυδις ἄλλη.

ibid. μ. 80 sq.

μέσσῳ δ' ἐν σκοπέλῳ ἐστὶ σπέος ἠεροειδὲς
πρὸς ζόφον, εἰς Ἔρεβος τετραμμένον.

Neque aliter Quintus I. 184. ἐς ἱερὸν τετραμμένος. IX. 501. de viis τετραμμέναι ἄλλυδις ἄλλῃ, ubi male ἄλλῃ editur. X. 488. στήλας, αἵπερ ἔασι τετραμμέναι ἄλλυδις ἄλλη. XIII. 484. (θυτήριον) ἐς νότον ἠερόεντα τετραμμένον.

V. 528 sq. πὰρ δέ σφιν ὀλέθριος ἵσταθ' ὅμιλος,
βαλλόντων ἑκάτερθεν, ὅ τ' ἔσθενε χερσὶν ἕλεσθαι.

Plane abhorret ab h. l. pronomen ὅστε. Requiritur potius haec notio: „iaculantes *quodcunque* in manus venit." Poeta igitur sine dubio dederat ὅ τι σθένε χ. ἑ., quam emendationem hi loci firmant: VII. 535. πᾶν ὅ τι χερσὶν ἕηκεν de Neoptolemo, et XI. 423. de Aenea:

ἐκ δ' ἄρα χειρῶν,
πᾶν ὅ τι οἱ παρέκυρσεν ἐπειγομένῳ ποτὶ μῶλον
βάλλεν.

V. 603. κέκλετο δ' αὖ Τρώεσσι καὶ ἱπποδάμοις ἑτάροισιν,
Ita quidem *Tychsenius*, sed cum in Aldina legatur Τρώεσσί θ' ἱπποδάμοις, potius Τρώεσσιν ἰδ' ἱπποδάμοις refingendum fuit.

V. 648. οἱ δ' ἐνὶ νηυσὶν
Ἀργεῖοι γοάασκον, ἐπὶ ψαμάθοισι πεσόντες,
πολλὰ μάλ' ἀχνύμενοι κταμένων ὕπερ, οὕνεκ' ἄρ' αὐτοῦ
πολλοὺς ἐν κονίῃσι μέλας ἐκιχήσατο πότμος.

Minume eo loco, quo gemebant Achivi, h. e. in ipsa navium statione, mortui ciciderant. Itaque αὐτῶν scribendum esse apparet pro αὐτοῦ.

LIB. VII.

V. 67 — 89. Nestor longam instituit disputationem, qua ostendat, hominum sortes minume deorum voluntate aut malas aut prosperas secundum diversos illorum mores unicuique destinari, sed potius solo Parcae potentissumae arbitrio temere distribui. Sed in eo sermone plures sunt loci, qui emendatione indigere videantur, ex quibus duos tantum locos tractavit *Bonitzius* l. c. p. 1225 sq. De his omnibus breviter sententiam meam explicabo. Et statim initio multo rectius sic scribendum puto ex codd. Vatic. *A. B.* et margine Ald. apud *Schowium*:

πᾶσι μὲν ἀνθρώποισιν ἴσον κακὸν ὤπασε δαίμων,
ὀρφανίην.

Vulgo legitur ex *Rhodomanni* coniectura ὀρφανίης, quod mihi multo minus graviter dici videtur, quam quod ego posui. Ald. praebet ὀρφασίῃ. Nec debebat *Rhodomannus* in nota ad

h. l. commendare ὀρφανίη hoc sensu: „cunctis a deo malum aliquod tribuitur quod orbitati respondeat.“ Haec enim sententia plane ab Nestoris consilio abhorret, qui inde facit consolationis initium, quod omnibus communem esse orbitatem pronuntiat.

Pergit v. 69. ita:

πάντας δὲ καὶ ἡμέας αἶα καλύψει,
οὐ μὲν ἄρ᾽ ἐκτελέσαντας ὁμὴν βιότοιο κέλευθον,
οὐδ᾽ ἦν εἷς τις ἕκαστος ἐέλδεται.

Nimium videtur mihi εἷς τις ἕκαστος; quamquam nec ignoro iam Homerum (*A*. 144. cf. Matth. §. 487.) εἷς τις dixisse, et Sophoclem in Antigona v. 262. his ipsis verbis coniunctim usum esse scio:

εἷς γάρ τις ἦν ἕκαστος οὐξειργασμένος.

Neque ita legitur in Aldina, quae sensu sane haud apto οὐδ᾽ εἷς ἦν τις ἕκαστος praebet. Sed videtur commode inde erui posse: οὐδ᾽ οἵην τις ἕκαστος.

Sed in his quidem, quomodocunque scribitur, sententia plana est. Multo gravioribus premuntur incommodis, quae statim sequuntur:

οὕνεχ᾽ ὕπερθεν
ἐσθλά τε καὶ τὰ χέρεια θεῶν ἐν γούνασι κεῖται
Μοίρης εἰς ἓν πάντα μεμιγμένα.

De his *Rhodomannus* ita scripsit: „hic μοίρης initio legebam κατ᾽ ἔλλειψιν pro ὑπὸ μοίραις. at commodum effici sensum postmodo animadverti, si retento gignendi casu subintelligatur ταμιεῖον, vel σώρευμα, vel φύραμα, aut simile. et hanc lectionem ut illi praeferam adducit me hoc quod de fato deinceps loquens singulari numero utitur.“ Neque huic assentiendum puto, nec si quis memor participiorum passivorum interdum, ubi substantivi vice funguntur, genitivo iunctorum (cf. Matth. §. 375. not. 1. Wund. ad Soph. Phil. v. 3.), hoc quoque loco *Μοίρης* a μεμιγμένα pendere putaverit. Aliena enim talia ab epicorum consuetudine. Unica restat ratio, ut verba ἐσθλά τε καὶ τὰ χέρεια iungenda sint cum *Μοίρης* hoc sensu: „bona et mala sortis.“ At vero et verborum collocatio repugnat, neque placet ipsa illa constructio. Apud Homerum quoque (σ. 229. υ. 310.) nihil ex verbis ἐσθλά τε καὶ τὰ χέρεια pendet. Neque cum *Bonitzio* facere possum, qui cum et ex h. l. et ex XI. 272 sqq. conclusisset, sortes hominum non penes deos esse sed,

a sola Parca hominibus destinari, pro θεῶν l. c. p. 1226. corrigendum censuit θεῆς, hoc ut referendum esset ad Μοίρης. At vero primum non credibile est, plane immutatam esse illam ab Homero acceptam sententiam θεῶν ἐν γούνασι κεῖται, ita ut, quod ille de diis praedicaverat, ad solam Parcam referretur. Eadem est *Spitzneri* sententia l. c. p. 1183. Quid quod ipse Quintus VI. 310. eandem formulam retinuit, qui locus *Bonitzium* fugit:

ταῦτα μὲν ἀθανάτων ἐνὶ γούνασιν ἐστήρικται,
ὅστε θάνῃ κατὰ δῆριν ὑπέρβιον ἠὲ σαωθῇ.

Et hoc quoque loco de deorum genubus sermonem fuisse suadent, opinor, quae sequuntur: καὶ τὰ μὲν οὔτις δέρκεται ἀθανάτων, et τοῖς ἐπὶ χεῖρας οἵη Μοῖρα τίθησι. Quae verba si comparantur cum v. 71. uti in libris legitur, apparet hanc esse Nestoris sententiam: sortes hominum, bonas et malas, temere in unum conflatas, iacere quidem in genubus deorum, nec tamen ab his inter homines distribui, imo ne conspici quidem; sed potius a Parca sola arripi et caeco iactu in terram mitti, unde et probus saepe malam, improbus felicem vitae conditionem nanciscatur. Ita minume repugnat Parca sortes distribuens deorum mentioni inter genua eas tenentium. Sed quid faciamus corrupto Μοίρης? Aut mutari debet in Μοίρῃ γ' εἰς κτλ., aut, quod multo magis praefero, scribendum μυρία γ' εἰς ἓν πάντα μεμιγμένα, sensu unice bono: „sortes bonae et malae, *innumerae* unum in cumulum commixtae.“ Similiter apud Homerum Μ. 326 sq. Κῆρες ἐφεστᾶσιν θανάτοιο, μυρίαι.

In sqq. primum obiter moneo scribendum esse v. 74. τοῖς δ' ἐπὶ χ. etc.; tum v. 77. recte puto a *Spitznero* mant. obss. p. 237. emendatum, et l. c. p. 1182 sq. contra *Bonitzium* l. c. p. 1225. defensum esse πνοιῇ ὁμῶς ἀνέμοιο. Tum v. 79. et restituenda est Aldinae scriptura οὔτι ἑκών (nullum enim in hiatu periculum), et recipienda optuma *Lobeckii* ad Phrynich. p. 632. coniectura: ἀλαὸς δὲ πέλει βίος ἀνθρώποισιν, quae sequentibus comprobatur. Sed in iis ipsis, quae iam adduntur, iterum inest difficultas:

τοὔνεκ' ἄρ' ἀσφαλέως οὐ νίσσεται, ἀλλὰ πόδεσσι
πυκνὰ ποτιπταίει· τρέπεται δέ οἱ αἰόλον εἶδος
ἄλλοτε μὲν ποτὶ πῆμα πολύστονον, ἄλλοτε δ' αὖτε
εἰς ἀγαθόν.

Hic enim quid sibi velit εἶδος non perspicio. Vertit *Rhodo-*

mannus: „varieque eius species alteratur, interdum in calamitatem lacrymosam, interdum vero in prosperitatem." Haec non satis intelligo. Pertinere autem *οἷ* non ad vitam hominis, sed ad ipsum hominem ex antecedentibus apparet. Qui autem totum locum comparaverit, hominesque dici reputaverit incerto gradu vacillare et saepe pedibus offendere, is non dubitabit in illo corrupto εἶδος latere vocem *gradus* vel *ingressionis* notione dictam. Quae quidem facile restituitur scribendo *αἰόλον* ἴχνος. Iam omnia bene habent.

V. 85 sqq. apud *Tychsenium* sic leguntur:

παῦρον δὲ ζώοντας ἐν ἄλγεσιν οὔτοι ἔοικεν
ζωέμεν· ἔλπειν δ' αἰὲν ἀρείονα, μηδ' ἐπὶ λυγρῷ
θυμὸν ἔχειν.

Pro *οὔτοι* ex Ald. restituendum esse *οὔτι* iam supra monui. Sed totus locus laborat. Vertit *Rhodomannus*: „cum itaque homines exiguo tempore vivant, non par est in moerore vitam transigere, sed semper meliora sperare, nec tristitiae animum deditum habere." At vero quamquam scio, *ἄλγος* etiam dici de *moerore* ex aliqua calamitate concepto (ut apud Homerum ε. 83.), plerumque tamen non moerorem significat, sed *calamitatem*, qua moeror provocatur. Locutio autem *ἐν ἄλγεσιν* tam nude posita nihil aliud potest denotare nisi *in calamitatibus*; cf. Homerus Ω. 568. η. 212. Tum aperte falsum est ἔλπειν, quod *spem facere*, non *spem habere* significat. Neque hoc praebet Aldina, in qua cum legatur ἔλπεαι, usitatum in ea lectione *sperandi* verbum ἔλπεσθαι latere putaverim. Iam cum imperfecta sit locutio, *ἐν ἄλγεσιν οὔτι ἔοικεν ζωέμεν*, lacunam hic esse arbitror, Quintum autem, quod sententiam attinet, haec *fere* dedisse:

παῦρον δὲ ζώοντας ἐν ἄλγεσιν οὔτι ἔοικεν
ζωέμεν [ἀργαλέως καὶ ἀπείριτα δάκρυα χεύειν],
ἀλλ' αἰεὶ ἔλπεσθαι ἀρείονα, μηδ' ἐπὶ λυγρῷ
θυμὸν ἔχειν.

Similis autem est quae infra profertur sententia XIV. 202 sq.

μήτ' ἐπὶ πήματι πάγχυ δαΐζεο θυμὸν ἀνίῃ,
μήτ' ἐσθλῷ μέγα χαῖρε.

V. 119 sq. *βρέμει δ' ἄρα μακρὰ ῥέεθρα*
αἰὲν ἐρειπομένων, εἴκει δέ οἱ ἕρκεα πάντα.

Rhodomannus vertit: „ac circumquaque praerupta dant fragorem, longaque fluenta infremunt, subinde ruentibus illis, cun-

ctaque ei septa cedunt.“ Non satis quadrare mihi videtur ἐρειπομένων, quod si sanum est, referri omnino debet ad ea quae antecedunt: κρημνοὶ ἐπικτυπέουσι. Sed satis languide additur illud ἐρειπομένων, et fremit continuo torrens, etiam cum non rupes in eum praecipitantur. Itaque potius latere crediderim aliquod participium, quod pertineat ad fluvium. Et hoc facile restitui potest, si scribatur αἰὲν ἐ ρ ευγο μ έ ν ῳ. Hoc enim ex sollemni usu bene dicitur de flumine undas fluctuosas vehementer in mare effundente.

V. 235 sqq.

χρειὼ δ' ἦν τιν' ἵκανον ἐπέκρυφε μέχρις ἐς ἠῶ·
ὄφρα μὴ ἀχνυμένην μιν ἕλῃ πολύδακρυς ἀνίη,
καί μιν ἐπ εσσύμενον μάλα λισσομένη κατερύκῃ.

Rhodomannus ἐπ εσσύμενον vertit *properantem*, ac si ἐπειγόμενον legisset. Sed hoc nimis remotum a vulgari scriptura, quae tamen magnopere offendit propterea quod ἐπεσσύμαι de hostili tantum impetu dicitur. Quintus dederat ἀπ έσσυμενον, i. e. celeriter abeuntem. Cf. IX. 114. de Troiano in pugnam ruente; τῷ μὲν ἄκοιτις — ἔντε' ἀποιχομένῳ παρενήνεε. Nihil autem valet ad defendendam vulgatam v. 251. παιδὸς ἐπεσσυμένοιο ποτὶ πτολέμοιο κυδοιμόν. Contra vid. I. 244. τοῦ δ' ἄρ' ἀπ εσσυμένοιο ποθὴ φυλάκεσσιν ἐτύχθη, et VIII. 255. λαὸν ἀπ εσσύμενον μέγ' ἄϋτει.

V. 242 sq.

ἀλλ' οὐ Δηιδάμειαν ἐπήρατον ὕπνος ἔμαρπτεν,
οὔνομα κερδαλέου μιμνησκομένην Ὀδυσῆος.

Quamquam quin omnino recte Deidamia dicatur ἐπήρατος, nihil dubito, h. l. tamen an ita dicta sit, quaeri potest. Primum enim h. l. cum tantummodo sermo sit de sollicitudine, qua Deidamiae somnus abigitur, nulla caussa est, ob quam eius pulchritudo memoretur. Magis etiam adiectivum languet eo, quo positum est, loco. Itaque poeta scripsisse videtur ἐπήρατ ο ς, quo epitheto h. l. eo aptius somnus insignitur, quia aeger describitur Deidamiae animus, quo nec per noctem quietis beneficio frui potuerit. Notae sunt Homericae formulae: γλυκύς, ἡδύς, ἀμβρόσιος ὕπνος. Similiter apud Nonnum XLVII. 346. ὄνειρος ἐπήρατος dicitur.

V. 338 sqq. φίλῳ δ' ἐγκάτθετο κόλπῳ
εἴ τι ἐνὶ μεγάροισι τετυγμένον ἦεν ἄθυρμα,
ᾧ ἔπι τυτθὸς ἐὼν μεγάλας φρένας ἰαίνεσκεν.

Non apte de Neoptolemo parvulo *μεγάλας φρένας* dicitur. Ne littera quidem mutata *μεγάλ' ἃς φρένας* scribendum esse pro certo pronuntiarem, nisi non minus probabile esset poetam dedisse *μέγ' ἑὰς φρένας*. Familiaris Quinti locutio est *φρεσὶν ᾗσι*, quam vide I. 466. 786. III. 187. 609. IV. 534. V. 361. 577. VII. 305.

V. 362.

τοῦ δὲ παρειαὶ
κάλλος ὁμοῦ κρυόεντι φόβῳ καταειμέναι αἰὲν
φαίνοντ' ἐσσυμένου· τρομέουσι δὲ οἱ θεοὶ αὐτοί.

Cum in antecedentibus iam expositum sit de Martis irati facie atque habitu, ita ut non opus sit dei iterum inferri notionem, potius scribendum censeam *ταὶ δὲ παρειάι* etc. Tum in sequentis versus clausula corrigendum est *αἰεί*, uti prudenter monuit *Wernickius* ad Tryph. p. 146. Denique versu extremo, si *οἱ* pro articulo habetur, intolerabilis existit hiatus; sin pro dativo pronominis, explicari quidem quodammodo poterit, intelligi tamen nequit, cur poeta, casum si volebat adiicere, non sollemnem posuerit quartum. Ne multa, scripserat is h. l. *τρομέουσι δὲ καὶ θ. αὐτοί*, quod vid. I. 579. *τρομέεσκε δὲ καὶ θοὸς Ἕκτωρ*. 653. *τόν περ τρομέουσι καὶ ἄνδρες*. VIII. 224. *ὅν τε περιτρομέουσι καὶ ἀθάνατοι κατιόντα.*

V. 384 sq.

ἡ δέ που ἐν θαλάμῃσιν ἀκηχεμένη περὶ παιδὶ
ἐσθλὴ Δηιδάμεια πολύστονα δάκρυα χεῦεν.

θαλάμη, quod tantummodo dicitur de bestiae alicuius latibulo (ut apud Homerum ε. 432. hymn. Apoll. 77. Oppian. Hal. IV. 666.), nullo modo dici poterat de cubiculo, in quo Deidamia delitescebat. Poetam *ἐν θαλάμοισι* scripsisse non est pluribus quod demonstrem.

V. 530 sqq.

ὡς δ' ὅτε νηπίαχοι περὶ γούνασι πατρὸς ἑοῖο
πτώσσουσι βροντὴν μεγάλου Διὸς ἀμφὶ νέφεσσι
ῥηγνυμένην, ὅτε δεινὸν ἐπιστοναχίζεται ἀήρ·
ὣς ἄρα Τρώιοι υἷες ἐν ἀνδράσι Κητείοισιν
ἀμφὶ μέγαν βασιλῆα Νεοπτόλεμον φοβέοντο·
πᾶν ὅ τι χερσὶν ἕηκεν ἐς ἰθὺ γὰρ ἔπτατο πῆμα,
δυσμενέων κεφαλῇσι φέρον πολύδακρυν Ἄρηα.

Totum adscripsi locum, quo certius de eo iudicari posset. Nam v. 535. magnopere offendit particula *γάρ* post sextum membri vo-

tabulam posita. Emendare locum, non tamquam exemplum insolentioris positurae afferre debebat *Bonitzius* p. 1222. Iam vide mihi totam illam comparationem: cum puerulis, qui genubus patris implicati Iovis tonitrua metuunt, comparantur Troiani, qui eodem modo circa Eurypylum metuunt Neoptolemum. Ita quidem nunc legitur. Sed ut comparatio perfecta existeret, potius dicendum erat, eos *Neoptolemi tela*, ceu puerulos Iovis fulmina, perhorruisse. Et hoc sine dubio Quintus ita indicaverat:

ὣς ἄρα Τρώιοι υἷες ἐν ἀνδράσι Κητείοισιν
ἀμφὶ μέγαν βασιλῆα Νεοπτολέμου φοβέοντο
πᾶν ὅ τι χερσὶν ἧκεν· ἐς ἰθὺ γὰρ ἔπτατο πῆμα κτλ.

metuerunt Neoptolemi tela, quaecunque ille emisit. Fecit idem ille, quod infra XI. 422. de Aenea narratur:

ἐκ δ᾽ ἄρα χειρῶν
πᾶν ὅ τι οἱ παρέκυρσεν ἐπειγομένῳ ποτὶ μῶλον
βάλλεν etc.

Supra autem v. 532. scite *Wernickius* ad Tryph. p. 73. emendavit: ἐπιστοναχίζεται αἰθήρ.

V. 571 sq. διεγρόμενον δ᾽ ὑπ᾽ ἀϋτμῆς
μαρμαίρει περὶ νῆα πυρὸς σέλας.

Unde hoc scripserit *Tychsenius*, me nescire fateor. Neque recte ea habere puto. Ita enim si legitur, ἀϋτμὴ deberet id esse, quo splendor ignis excitaretur, deberet igitur explicari de flabris ventorum, ut infra IX. 271. dictum: κῦμα — ἐξ ἀνέμοιο διεγρόμενον. At ἀϋτμὴ nihil est nisi ipsius ignis aura, uti satis apparere puto ex iis, quae supra ad II. 224. disputata sunt. Cur autem non retinuit antiquarum editionum scripturam: διεγρομένη δ᾽ ὑπ᾽ ἀϋτμῇ μαρμαίρει etc.?

V. 617 sq.

βριαρὴ δὲ περιθραυσθεῖσα καρήνῳ
ἐθραύσθη τρυφάλεια.

Ita haec in antiquis editionibus leguntur. *Tychsenius* restituit περιθρυφθεῖσα, quod non placet de *galea* collisa. Potius altero utro loco verbum θλᾶν reponendum erit, quo constanter eadem in re usus est poeta. Vid. III. 333. ἐν δ᾽ ἄρα θλάσσεν ἀμφίφαλον κυνέην ὀλοὸς λίθος. VIII. 94. ἐν δ᾽ ἀνέθλασσεν (an fortasse hic quoque ἐν δ᾽ ἄρα θλάσσεν?) ὀστέα σὺν πήληκι. XI. 119. ἀλλ᾽ ἄρα σὺν πήληκι κάρη κρατεροῖο Μέλητος θλάσσε περὶ πληγῇσι. ibid. 488. θλάσ-

σὺν δὲ κάρῃ, συνέαξε δὲ πάντα ὀστέα σὺν πήληκι. Et ita iam Homerus M. 384. θλάσσε δὲ τετράφαλον κυνέην.

V. 621 sqq.

ἤνυτο δ᾽ ἠὼς
ἀμβροσίη, καὶ λαὸς ἀταρβέος Εὐρυπύλοιο
χάσσατο τυτθὸν ἄπωθε νεῶν· οἱ δ᾽ ἀγχόθι πύργων
βαιὸν ἀνέπνευσαν· καὶ δ᾽ αὐτοὶ Τρώιοι υἷες
ἀμπαύοντο μόθοιο δυσαλγέος.

Postquam Troiani et Cetei per totum diem Eurypylo duce murum Graecorum adorti fuerant, tandem nocte ingruente pugna dirimitur. Id singulatim h. l. exponit poeta. Memorantur igitur primo loco Eurypyli copiae, tum Graeci, denique ipsi Troiani. Versu autem 623 sq. Graecos innui et ex re ipsa intelligitur, et ex verbis βαιὸν ἀνέπνευσαν. Hanc enim locutionem de iis dici, qui diuturni laboris onere tandem levati animum recipiunt, supra ad III. 160. vidimus. Unicum tantum repeti placet locum IV. 23.

τοῦ (ita cum *Iacobsio* legendum) γὰρ ὀΐω
βλημένου ἀμπνεύσειν Τρώων ἐρικυδέα φῦλα.

Sed magnopere displicet locutio ἀγχόθι πύργων. Nam cum Graeci non nominentur, sed significentur tantum, debet id fieri ita, ut ad solos Graecos possit recte referri. At vero verba ἀγχόθι πύργων, per se si spectentur, recte etiam dici possunt de Troianis, qui paullulum tantum (τυτθόν) recesserunt a turribus Graecorum. Itaque Quintum scripsisse arbitror: οἱ δ᾽ ἔνδοθι πύργων. Ita apud Homerum Σ. 287. dicitur: ἐελμένοι ἔνδοθι πύργων. Et Quintus ipse supra v. 132. οἱ δ᾽ ἄρα τείχεος ἐντὸς ὑποπτώσσοντες ἔμιμνον, v. 517. ἔνδον ἐόντες, idem XII. 158. de Troianis ἔνδοθι πύργων. Et eadem locutio etiam apud Tryphiod. v. 391. atque Nonn. XXXV. 6. invenitur.

V. 645 sq.

καί οἱ ἔγωγε
γήθεον εἰσορόων ἠμὲν δέμας ἠδὲ καὶ αὐδήν.

Notus est versus Homericus, aliquoties in Odyssea recurrens, quo de Minerva dicitur: Μέντορι εἰδομένη ἠμὲν δέμας ἠδὲ καὶ αὐδήν. Et hoc quidem rectissume dicitur, estque ex rei natura petitum. Nam aut corporis figura, aut vocis sono homines dignoscuntur. Sed h. l. quomodo explicari apte possit nescio. Non equidem in eo haereo, quod verbum εἰσο-

ρόων etiam ad αὐδὴν referatur. Sed αὐδὴ quid ipsum significet? De voce Achillis cogitare *cantando* exercitata ineptissumum est. Nec si quis vocabulum ita interpretetur, ut sermones intelligat, quibus Achilles cum Phoenice tamquam filius cum patre sit confabulatus, melius ille rem expediet. Non enim potuit hoc per simplex αὐδὴν dici. Itaque magnopere vereor, ne librarii oscitantes Homericam clausulam negligenter substituerint pro eo, quod unice aptum erat: εἰσορόων ἠμὲν δέμας ἠδὲ καὶ ἀλκήν. Gaudebat et *formam* et *robur* Achillis intuitus. Cf. v. 652. μακάρεσσι δέμας καὶ κάρτος ἐῴκει.

V. 712.

αἳ δ' ἀμφί μιν ἄλλοθεν ἄλλαι
χῆραι ληιάδες κλισίην ἐπιπορσύνεσκον.

Nec per se satis placent χῆραι ληιάδες, et magis etiam propter eam, quae sequitur, comparationem Neoptolemi cum leone in patris *vacuum specus* (κενεὸν σπέος v. 718.) intrante. Scribendum puto χήρην ληιάδες, quod etiam his verbis ὡς ζώοντος ἄνακτος confirmatur. Eodem modo VII. 333. cum *Rhodomanno* scribendum est de luscinia pullos lugente: ἣ δ' ὅτε μὲν χήρην περιπέπταται ἀμφὶ καλιήν, quae emendatio et per se totius loci nexu commendatur, et eiusdem rei descriptione, quae legitur XII. 489 sq. extra dubitationem ponitur: ὡς δ' ὅτ' ἐρημαίην περιμύρεται ἀμφὶ καλιὴν πολλὰ μάλ' ἀχνυμένη κατὰ δάσκιον ἄγκος ἀηδών.

LIB. VIII.

V. 1. Ἦμος δ' ἠελίοιο φάος περικίδναται αἶαν.
Sine dubio scribendum περικίδνατο γαῖαν. Nam praesens quod dicitur historicum et ab h. l. alienum est, et abhorret omnino a poesi epica. Terminationes το et ται autem compendiis tantum indicatas ubique confundi ipse expertus sum.

V. 68. Ἔρις δ' ὀρόθυνε καὶ αὐτή.
Quotiescunque hunc locum legi, offendi in illa locutione καὶ αὐτή, quae, alibi frequentissuma, semper mihi visa est huic loco non esse apta. Tam vehementer si Eridis vim efferre voluit poeta, descripsisset, si bene eum novi, pluribus eius imaginem,

uti saepius fecit. Sed hic simpliciter eum scripsisse arbitror: Ἔρις δ᾽ ὀρόθυνε καὶ ἀλκή. Cf. v. 58. ἐὴ δ᾽ ἐκέλευεν ἕκαστον ἀλκὴ ἀνιηρὴν ἐς φύλοπιν ὀτρύνουσα, et infra v. 173. ἐπεί ῥά μιν ὀτρύνεσκεν θάρσος ἑὸν καὶ Κῆρες.

V. 86.

τῷ δ᾽ ἄρ᾽ ὁμῶς Πολυνόν τε καὶ Ἱππομέδοντα κατέκτα.

Non satis perspicio nominis Πολυνόν etymologiam atque rationem. Nam ab Homero θ. 114. Phaeacensis quidem nominatur Πολύνηος, sed hoc nomen recte est formatum, et cum eo non potest comparari Πολυνός, quod alibi inveniri vix puto. Itaque credibile est, Quintum scripsisse Πόλυβόν τε. Nam hoc nomen et omnino est usitatum, et Λ. 59. invenitur, ubi unus Antenoris Troiani filius ita appellatur. De quo hic etiam quominus cogitemus nihil impedit.

V. 87. τὸν μὲν ὑπὸ κραδίην, τὸν δὲ κληῗδα τυχήσας.

Quamquam vulgata, per se si spectetur, defendi sane potest, tamen et propter praepositionem, quae opposita est, ὑπό, et propter poetae usum praetulerim τὸν δ᾽ ἐς κλ. Cf. infra v. 312. τύψας ἐς κληῗδα θοῶς, I. 239. οὔτασεν ἐς μυῶνα, et v. 256. τῇ μὲν ἄρ᾽ ἐς κραδίην ἐλάσας δόρυ, τῇ δ᾽ ὑπὸ νηδὺν φάσγανον ἐγχρίμψας.

V. 88 sqq.

. . . . . . ἐπέστενε δ᾽ αἶα νέκυσσιν
Τρώων· οἱ δ᾽ ὑπόεικον ἐοικότες αὐαλέοισιν
θάμνοις, οὓς ὀλοοῖο πυρὸς κατεδάμνατ᾽ ἀϋτμὴ
ῥηιδίως ἐπιόντος ὀπωρινοῦ Βορέαο,
ὣς τοῦ ἐπεσσυμένοιο κατηρείποντο φάλαγγες.

Totum adscripsi locum, quo luculentius ex tota eius conformatione, inprimis ex adiecta comparatione appareret, mendum inesse in voce ὑπόεικον, quae cum semper et apud alios et apud Quintum, saepe ea utentem, de *cedentibus*, non de *cadentibus* hostibus dicatur, mutari debet in ὑπέκειντο. Eam emendationem alii tuentur loci, veluti infra v. 230 sqq.

ὡς δ᾽ ὅτε μυρία φύλλα κατ᾽ οὔρεος ἐν βήσσῃσι
ταρφέα πεπτηῶτα χύδην κατὰ γαῖαν ἐρείψῃ·
ὣς Τρώων τότε λαὸς ἀάσπετος ἐν χθονὶ κεῖτο
χερσὶ Νεοπτολέμοιο καὶ Ἀργείων ἐριθύμων.

Similiter etiam X. 247. dictum: νεκροὶ δ᾽ ἐπέκειντο νέκυσσιν, ubi itidem proprie *cadendi*, non *iacendi* verbum ponendum fuisse docent quae statim sequuntur:

πανσυδίῃ, ψεκάδεσσιν ἐοικότες ἠὲ χαλάζῃ,
ἢ χιόνος νιφάδεσσιν, ὅτ' οὔρεα μακρὰ καὶ ὕλην
Ζηνὸς ὑπ' ἐννεσίῃς ζέφυρος καὶ χεῖμα παλύνει·
ὣς οἵγ' ἀμφοτέρωθεν ἀνηλέϊ Κηρὶ δαμέντες
ἀθρόοι ἀλλήλοισι δεδουπότες ἀμφεχέοντο.

V. 164 sqq. de Eurypylo:

ὃς δ' ἑτέρωθεν
χερσὶν ὑπὸ κρατερῇσιν ἀπειρεσίην λάβε πέτρην
καί ῥα Νεοπτολέμοιο κατ' ἀσπίδος ἧκε φέρεσθαι
χρυσείης· τὸν δ' οὔτι προσεσσυμένη στυφέλιξεν.

Ita *Tychsenius* ex *Rhodomanni* coniectura edidit, cum in Aldina corrupte legeretur: τόνδ' οὔτιπο σεσσυμένον. Sed inde equidem coniecerim: τὸν δ' οὔτι προϊσχόμενον στυφέλιξεν. Non potuit scopulus concutere Neoptolemum *scuto proteuso* sese tegentem. Ea res illustratur in sqq. comparatione a promontorio ducta. Cf. Homerus *P.* 355. πρὸ δὲ δούρατ' ἔχοντο. Apoll. Rhod. II. 120. ἄρκτον προσχόμενος σκαιῇ δέρος. IV. 202. ἀσπίδας — προσχόμενοι. 1662. πτύχα — προσχομένη πέπλοιο παρειάων. Προΐσχετο idem dixit IV. 1553.

V. 300. Δηίφοβος δὲ Λυκῶνα, μενεπτόλεμόν γε, κατέκτα. Ita *Tychsenius* scripsit pro eo, quod in antiquis editionibus corrupte legitur, Μενεπτόλεμόν τε. Sed aliena est particula γέ, nullis machinis excusanda. Quintus scripserat: μενεπτόλεμον κατέπεφνε. Cf. VIII. 110. πρῶτον δὲ μενεπτόλεμον κατέπεφνεν Εὔρυτον. Mirum est contrario modo v. 303. erratum esse, ubi male in antiquis editionibus Δάμαντα κατέπεφνεν legebatur, pro quo *Rhodomannus* bene κατέκτανεν emendavit.

V. 306. Εὐρύαλος δ' ἐδάμασσε βαλὼν ἀλεγεινὸν ἄκοντι
Ἀστραῖον.

Hoc modo epici non separant epitheton ab eo, ad quod pertinet, substantivo. Certe vocibus transpositis scribendum erat: βαλὼν Ἀστραῖον ἄκοντι ἀλγεινόν. Sed equidem scripsisse credo Quintum ἀλεγεινὸν ἄκοντα.

V. 331 sqq.

ὡς δ' ὅτε τις μυίῃσι περὶ γλάγος ἐρχομένῃσι
χεῖρα περιρρήσσῃ κοῦρος νέος, αἳ δ' ὑπὸ πληγῇ
θᾶττον δαμνάμεναι σχεδὸν ἀθρόαι ἄλλοθεν ἄλλαι
θυμὸν ἀποπνείουσι, πάϊς δ' ἐπιτέρπεται ἔργῳ etc.

Altero versu pro περιρρήσσῃ, quod est in antiquis editionibus, *Rhodomannus* coniecit περιρρήξῃ. Sed omnino hoc verbum,

quod semper habet frangendi notionem, non apte mihi dici videtur de manu muscis *iniicienda*. Recipienda videtur *Dausquei* emendatio περιρρίψη; cf. XIII. 504. χεῖρας ἐπερρίψαντο. Sed quis ferat et retineat Atticam formam θᾶττον, quam *Tychsenius* ex infelici *Pauwii* coniectura recepit pro eo, quod in codicibus legitur, τυτθόν? Vertit hoc *Rhodomannus: paullatim attritae paene omnes*. At vero τυτθὸν non potest significare *paullatim*, sed, ut recte indicavit *Pauwius*, *paullulum*, ita ut haec existeret sententia: „muscae *paullulum*, i. e. non prorsus collisae," quod et per se mire dictum esset, et aperte repugnat sequentibus: θυμὸν ἀποπνείουσι. Poeta scripserat: αἱ δ' ὑπὸ πληγῇ τυτθῇ δαμνάμεναι, quo indicatur, muscas plaga quamlibet levi et exigua, qualis esse solet pueri infantis, tamen esse contritas. Eodem modo infra v. 418, ubi loquitur poeta de gubernatore, qui manu leviter in gubernaculum iniecta navem a scopulis deflectit, hoc legitur: τυτθὴ δὲ βίη μέγα πῆμ' ἀπερύκει. Praeterea similes quosdam locos notavi ex *Theocrito* IV. 55. ὁσσίχον ἐντὶ τὸ τύμμα, καὶ ἁλίκον ἄνδρα δαμάσδει. XIX. 8. ὡς τυτθὸς μὲν ἔῃς, τὰ δὲ τραύματα ἁλίκα ποιεῖς. XXII. 180. ὀλίγῳ τοι ἔοικε κακῷ μέγα νεῖκος ἀναιρεῖν. et ex *Nonno* VI. 166. de Zagreo: χειρὶ δὲ βαιῇ ἀστεροπὴν ἐλέλιζε. VII. 274. ἐνικήθη δὲ καὶ αὐτὴ ἀπτολέμου Παφίης ὀλίγῳ πυρὶ τοσσατίη φλὸξ οὐρανίη. XLII. 178. ὀλίγῳ δὲ δέμας βεβολημένος οἴστρῳ τηλίκος ἐστυφέλικτο.

V. 336 sqq. de Neoptolemo:

ὁ δ' οὐκ ἀλέγιζεν Ἄρηος
Τρωσὶν ἐπαμύνοντος· ἐτίνυτο δ' ἄλλοθεν ἄλλον
λαοὺς ἐπαΐσσοντας.

Ita haec corrupte in antiquis editionibus legebantur. *Tychsenius* partim e sua, ut videtur, partim e *Rhodomanni* emendatione locum ita scripsit:

ὁ δ' οὐκ ἀλέγιζεν Ἄρηος
Τρῶας ἐποτρύνοντος· ἐτίνυτο δ' ἄλλοθεν ἄλλους
λαὸν ἐπαΐσσοντας.

Hic primum sufficiebat scribi Τρωσὶν ἐποτρύνοντος; vid. Homerus O. 258. ἱππεῦσιν ἐπότρυνον πολέεσσιν, et κ. 531. ἑτάροισιν ἐποτρῦναι. Quamquam fateor, magis mihi h. l. placituram fuisse *auxiliandi* notionem, quae sane inest in illo corrupto ἐπαμύνοντος. Itaque dubito, an fortasse ea lectio in-

terpretamentum fuerit eius, quod Quintus ex Homero dederit, *Τρωσὶν ἀοσσητῆρος*, de quo vocabulo vid. *Spitznerus* ad O. 254. Supra certe v. 258. de eodem Marte Helenus dixerat: ὅς μέγ᾽ (sic) ἀρήγει ἧμιν ἐελδομένοισι. Cur autem ex eo loco et v. 453. IX. 19. scribi nequeat *Τρωσὶν ἀμύνοντος μέγ᾽*, neminem latebit. Male enim positum esset *μέγα*, quod etiam infra X. 254. ad sequens *ἄμφεπον*, non ad antecedens *ἐλύοντα* pertinet (cf. *Gerhardus* in lectt. Apoll. p. 133.).

Sed ne in sequentibus quidem verum a *Rhodomanno* inventum esse arbitror. Primum enim praeter necessitatem mutatus est singularis *ἄλλοθεν ἄλλον*. Haec enim locutio, quae Quinto maxume est familiaris, invenitur pronomine *ἄλλος* promiscue et plurali et singulari posito. *Singularem* vide in his: I. 395. VI. 202. VIII. 88. 228. IX. 176. X. 101. XIII. 160, et verbo, quod ad *ἄλλοθεν ἄλλος* pertinet, per pluralem adiecto: V. 438. VII. 113. IX. 148. XII. 134. 361. XIII. 21. *Pluralis* his locis invenitur: I. 425. 794. V. 408. 556. VII. 711. VIII. 64. 132. 333. IX. 165. X. 402. 461. 468. XII. 55. XIII. 108. 430. XIV. 11. 31. 491. 522. Hos locos, quos consulto adscripsi omnes, qui diligenter comparare non dedignatus fuerit, ad eam perveniet opinionem, ut Quintum liberius hac formula etiam ibi usum esse confiteatur, ubi, si res severe exigatur, parum, *unde* aliquid moveatur, quaeritur. Semper tamen notio illa, quae proprie inest, applicari poterit. Itaque nulla erat caussa, cur *Bonitzius* l. c. 1234 sq. duobus in locis hanc formulam in suspicionem vocaret. Nam VI. 258 sq. ubi, cum de Hesperidibus legatur:

ταὶ δ᾽ ἄλλοθεν ἄλλαι
πτώσσουσαι θρασὺν υἷα Διὸς μεγάλοιο φέβοντο;

Bonitzius ἄλλυδις ἄλλαι requirit, nihil impedit, quominus cogitemus Hesperides, quae antea e diversis partibus arbori adstiterint, alias *hinc*, alias *illinc* fugisse. Et cf., ut unum ex illis locis adscribam, V. 438, ubi eodem modo de pastoribus legitur, Aiacis furorem effugientibus: ὥς οἵγ᾽ ἄλλοθεν ἄλλος ὑπέτρεσαν ὄβριμον ἄνδρα. Neque XIII. 54. attrectanda erat librorum scriptura:

οἵ ῥα τότ᾽ ἀμφ᾽ αὐτῇσι κατήιον ἄλλοθεν ἄλλοι.

Heroes enim ex *eodem* quidem equo per *eandem* portam, verum ex *diversis* equi angulis egressi descendunt. Vid. Quin-

tum XII. 329 sqq. atque inprimis Tryphiodorum v. 200 sqq. 483 sqq. Contra XII. 197. e coniectura restituenda erat haec formula, ubi hodie male legitur:

ἄλλοτε δ' ἄλλαι βρονταὶ ὁμῶς στεροπῇσι μέγ' ἔκτυπον.

Sed ut revertar ad locum, unde evagatus sum, displicet etiam in *Rhodomanni* emendatione vocabulum λαόν, quod cum nudum ibi tantum dicatur, ubi plane dubitari nequit, quae copiae sint intelligendae, durius intelligi ibi debet de Achivorum exercitu, quorum nulla in antecedentibus iniecta erat mentio. Itaque cum illud modo sit expositum, Neoptolemum Troianis Marte incitante in ipsum irruentibus acriter restitisse, facilique opera alium super alium prostravisse, apparet Quintum scripsisse:

ἐτίνυτο δ' ἄλλοθεν ἄλλον
λαοῦ ἐπαΐσσοντος.

Ad quam emendationem firmandam nihil adscribo nisi eam, quae statim sequitur, comparationem:

ὅπως δ' ἀνέμοιο θυέλλας
μίμνῃ ἐπεσσυμένας ὄρεος μεγάλοιο κολώνη,
ὣς ἄρα μίμνεν ἄτρεστος.

V. 377 sqq.

οἳ δ' ἄφαρ ᾗσι πύλῃσιν ἐπειρύσσαντες ὀχῆας.
ἐν τεύχεσσιν ἔμιμνον ἐπεσσυμένων μένος ἀνδρῶν.

Troiani, Eurypylo caeso, et Marte, qui aliquamdiu eos adiuverat, digresso, a Graecis Neoptolemo duce in urbem repelluntur. Hoc iam supra memoratum erat v. 367.

οἳ δ' ὑπὸ φύζαν
χασσάμενοι κατέδυσαν ἐς ὑψίπυλον πτολίεθρον.

Tum Graeci urbem corona cinxere (v. 369—376.). Iam cum inde a v. 377. Troianorum describatur conditio, mirum est neminem animadvertisse interpretum, quam absurde dicantur Troiani ἐν τεύχεσσι expectasse ingruentium hostium impetum. Nam et antea in armis fuerant Troiani, neque instantibus Graecis ea deposuerant. Ne multa, poeta scripserat ἐν τείχεσσι. Troiani enim in urbem repulsi iam *intra moenia* vim hostium manent. Vix opus est ut praeterea moneam, facta cum opilionibus comparatione ad eandem sententiam recurrere poetam v. 385.

ὣς οἵγ' ἐν τείχεσσι μένον τρομέοντες ὁμοκλὴν
θυσμενέων.

V. 431—442. Ganymedes intercedit apud Iovem pro patria urbe, quam vehementissume Graeci undique adoriuntur. Orationem inde a v. 438. his verbis claudit:

σοὶ δὲ καὶ εἰ μέμονε κραδίη τάδε μεχανάασθαι,
ἔρξον ἐμεῦ ἄπο νόσφιν· ἐλαφρότερον δέ μοι ἄλγος
ἔσσεται, ἦν μὴ ἔγωγε μετ' ὄμμασιν οἷσιν ἴδωμαι·
κεῖνο γὰρ οἴκτιστον καὶ κύντατον, ὁππότε πάτρην
δυσμενέων παλάμῃσιν ἐρειπομένην τις ἴδηται.

Adscripsi locum, non ut aliquid in eo emendarem, sed ut mirum Nonni cum illis verbis consensum notarem. Is enim XXVII. 244 sqq. haec habet:

τοῖσι δὲ δαινυμένοισιν ἀπὸ κρητῆρος ἀφύσσων,
εὐχαίτης γλυκὺ νέκταρ ἐῳνοχόει Γανυμήδης. —
οὐ τότε γὰρ Τρώεσσιν Ἀχαιικὸς ἔβρεμεν Ἄρης,
ὡς πάρος, ὄφρα κύπελλα πάλιν μακάρεσσι κεράσσῃ
Ἥβη καλλιέθειρα, καὶ ἀθανάτων ἑκὰς εἴῃ
Τρώιος οἰνοχόος, μὴ πατρίδος οἶτον ἀκούσῃ.

Sine dubio uterque eandem aliquam respexerunt antiqui cuiusdam poetae narrationem. Nam quominus Nonnum ex solo Quinto sua hausisse putemus, impediunt quae ille praeterea memorat, Ganymedem, ne praesens spectaret patriae interitum, per aliquod tempus a deum societate remotum, proque eo in pocillatoris munus Heben substitutam esse.

V. 458 sqq.

τοῖσιν μὲν τεράεσσι πιθώμεθα· τῷ γὰρ ἔοικεν
πάντας ἐπιπείθεσθαι, ἐπεὶ μάλα φέρτατός ἐστιν
ἰφθίμων τε θεῶν ὀλιγοσθενέων τ' ἀνθρώπων.

Iovem ipsum Troianis auxilium ferre atque, nisi Graeci a pugnando absistant, eos omnes perditurum esse, in antecedentibus dictum erat. Iam satis languide sententiarum cursus illo *τοῖσιν μὲν* etc. interrumpitur, in quibus cur articulum poeta posuerit plane non intelligitur. Quid scribendum esset, ex sequenti membro, *τῷ γὰρ ἔοικεν* etc., cognosci poterat. Emendandum enim *τοῦ νῦν μὲν τεράεσσι* etc. i. e. „huius portentis nunc quidem obediamus.“ Quae huic sententiae opponenda sint, ea Nestor paullo post v. 471 sq. addit hisce:

ἀλλ' ἴομεν ποτὶ νῆας, ἐπεὶ Τρώεσσιν ἀρήγει
σήμερον· αὐτὰρ ἔπειτα καὶ ἡμῖν κῦδος ὀρέξει.

De versu sequenti, qui in Aldina et codd. Schowii p. 76. sic legitur:

ἐπιπείθεσθαι, ἐπεὶ μάλα φέρτατός ἐστιν,

hoc tantummodo certo dici potest, eum non ita a poeta profectum esse, ut eum edidit *Tychsenius*. *Spitznerus* in mant. obss. p. 243. scite eum sic supplevit: πάντ᾽ ἐπιπείθεσθαι, ἐπειὴ μάλα etc. Non tamen poenitet coniecturae, quam olim feci, πάντας ἀεὶ πείθεσθαι, in qua πάντας magnopere placet propterea, quod sequitur: ἰφθίμων τε θεῶν ὀλιγοσθενέων τ᾽ ἀνθρώπων.

LIB. IX.

V. 55.

Νῦν δ᾽ οὔτ᾽ ἂρ σύγ᾽ ἐσεῖδες ἐὸν τέκος οὐδέ σ᾽ ἐγώ περ εἶδον ζωὸν ἐόντα.

Ineptum est illud πέρ, nec ferri potest οὐδέ. Poeta scripserat οὔτε σ᾽ ἔγωγε.

V. 80.

καὶ τότ᾽ ἄρ᾽ ἠὲ θεῶν τις ὑπὸ φρένας ἔμβαλε θάρσος
Δηιφόβῳ καὶ θῆκε μάλ᾽ ἄτρομον, ἠὲ καὶ αὐτὸν
θυμὸς ἐποτρύνεσκε ποτὶ κλόνον, ὄφρ᾽ ἀπὸ πάτρης
δυσμενέων ἀλεγεινὸν ὑπ᾽ ἔγχεϊ λαὸν ὀλέσσῃ.

Aut deorum aliquis Deiphobum fortitudine dicitur implevisse, aut *ipsius* animus eum ad pugnandum incitasse. Inde ex iis, quae opponuntur, apparet poetam dedisse: ἠὲ καὶ αὐτοῦ θυμὸς ἐποτρύνεσκε etc. Vid. Homerum *Z*. 438 sq.

ἤ πού τίς σφιν ἔνισπε θεοπροπίων εὖ εἰδώς,
ἤ νυ καὶ αὐτῶν θυμὸς ἐποτρύνει καὶ ἀνώγει,

ubi conferenda est *Spitzneri* adnotatio.

Tum in extremo versu videtur aliqua esse difficultas. Vertit eum *Rhodomannus*: „ut a patria (repulsas) saevas hostium copias hasta neci daret.“ Sed ea locutio satis est mira, cum *repellendi* verbum in Quinti oratione reperiatur nullum. Deinde autem quid hoc tandem est, quod *repulsas* a patria hostium copias trucidare gestit Deiphobus? Imo sufficiebat repellere eos atque ut domum navigarent cogere. Aut si *interficere* volebat, quid opus erat ut eos prius ab Ilio repelleret? Quidni trucidare cuperet in ipsa urbis obsidione? Nec

poterit ille versus explicari alio modo, ita ut adhibeatur VII. 526 sq. ubi de Neoptolemo dicitur:

οὐδὲ μὲν οὐδὲ τότ' ἔσκεν ἄτερ κρυεροῖο πόνοιο,
ἀλλ' ἄρα Τρῶας ἔναιρεν ἀφ' ἕρκεος· οἱ δ' ἐφέβοντο
βαλλόμενοι καθύπερθε.

Is enim, stans in muri navalis propugnaculis, telis Troianos irruentes prosternit. Itaque verba illa, *Τρῶας ἔναιρεν ἀφ' ἕρκεος*, idem significant, quod ibidem v. 144 sqq. de omnibus Graecis dictum erat:

οἱ δ' ἄλληκτον ἀφ' ἕρκεος αἰπεινοῖο
δυσμενέας βάλλοντες ἀνιηροῖς βελέεσσι
κτεῖνον ἐπασσυτέρους.

Ita quominus etiam nostrum locum explicemus, obstant verba *ἀπὸ πάτρης*. Quamquam enim *πάτρη* et *πατρὶς* saepissume non *terram*, sed *urbem patriam* denotat (vid. *Wernickium* ad Tryph. p. 371. et 496.), tamen nudum hoc vocabulum nunquam ita poni potuit, ut tantum intelligantur muri turresque, quibus urbs paterna cincta est. Iam vide, quo in loco sint res Troianae. Compulsis antecedente die Neoptolemi fortitudine in urbem Troianis, iam Achivi prima luce progressi undique moenia Hii oppugnaturi circumdant (v. 68—79.). Iam in his rerum angustiis quid amplius potuit et sperare et cupere Deiphobus, quam ut ipsius virtute *ab urbe* iterum *repellerentur* hostes? Itaque quid poterat Quintus h. l. scribere nisi:

ὄφρ' ἀπὸ πάτρης
δυσμενέων ἀλεγεινὸν ὑπ' ἔγχεϊ λαὸν ἐλάσσῃ. ?

Eodem modo VIII. 33 sqq. de Neoptolemo, qui in pugnam vehitur adversus Troianos extra urbem munimenta Graecorum obsidentes, hoc dicitur:

φόρεον δέ μιν ἄμβροτοι ἵπποι,
τούς οἱ ἐελδομένῳ νηῶν ἄπο λαὸν ἐλάσσαι,
ὤπασεν Αὐτομέδων.

Et VII. 514 sq. Eurypylus Graecos a muro pugnantes increpat:

οὐκ ἂν δή με βέλεσσι νεῶν ἄπο ταρβήσαντα
ἠλάσατ', εἰ μὴ τεῖχος ἐμὴν ἀπέρυκεν ὁμοκλήν.

V. 131 sqq. *ἀμφὶ δ' ἄρα σφιν*
τεύχε' ἐπεσμαράγησε· μίη δ' ἑκάτερθεν ἀϋτὴ
λευγαλέη.

Neque quae sit illa *μίη ἀϋτή* satis perspicio, et aegre abesse videtur verbum. Nisi fallor, poeta dederat: *μίγη δ' ἑκάτερ-*

θεν αὐτῇ. Tum paullo post v. 134. apparet scribendum esse ὑπ᾽ ἔγχεσι δ᾽ ἀσπίδες ἀνδρῶν θεινόμεναι κτυπέεσκον.

V. 195. τίς κεν ἐκείνους
ἀνδρῶν μυθήσαιτο, κατὰ κλόνον ὅσσοι ὄλοντο etc.

Locus, a *Rhodomanno* et *Pauwio* male intellectus, videtur recte accipi posse hac sententia: „ecquis virorum illos enumeret, quicunque in pugna ceciderunt etc." *Rhodomannus* ἀνδρῶν iunxit cum verbis κατὰ κλόνον, vertens: „in conflictu virum quotquot neci dati fuerint." *Pauwius* ἐκείνους cum genitivo iunctum miratur. Utroque iam non opus. Nec tamen diffitendum, v. 195. in Ald. appictum esse asteriscum, quem tamen equidem positum putaverim ob hiantem versum, voce post ἔκτανεν omissa, quam feliciter *Rhodomannus* coniiciendo αἰὲν supplevisse videtur. Absurdum enim, quod posuit *Tychsenius*, est αὖθις.

V. 259. ὃ δ᾽ ἐς κενεὴν δόρυ τύψας
ἠέρα Πηλείδαο πάϊς τοῖον φάτο μῦθον.

Minume *Bonitzius* l. l. p. 1238. ex Hom. *N.* 529. *Y.* 462. Quint. XI. 56. (de quo loco infra dicetur), quibus locis alios multos addere poterat, δόρυ mutare debebat in δορί. Insolentior quidem est illa cum accus. verbi τύπτειν constructio, non tamen abiudicanda, ut mihi videtur, recentiorum epicorum consuetudini, qui omnino haud paucas locutiones antiquioribus epicis inauditas a tragicis mutuati sunt. Hic autem praeiverat Eurip. Or. 1476 sq. παίειν λαιμὸν ἔμελλεν εἴσω μέλαν ξίφος. Poterat autem Quintus eo facilius τύπτειν δόρυ h. l. dicere, quoniam de *vibrata* hasta sermo est, ut similiter infra X. 61. πάλλε δὲ λοίγιον ἔγχος ἐς ἠέρα. Similiter Nonnus bis usus est participio πεπαρμένος: XXXII. 196. πεπαρμένον ἔγχος, et XXXIX. 316. de sagitta, ἄλλος ἔην προτόνοισι πεπαρμένος. Pertinet huc etiam IV. 558 sq., quo loco ex *Pauwii* coniectura scribendum est:

ἵπποις οἷσιν ἕκαστος ἐκέκλετο, τῇ μὲν ἱμάσθλην
ταρφέα πεπληγώς, ἑτέρῃ δ᾽ ἐν χειρὶ τινάσσων etc.

Sermo enim est de flagello crebro *agitato*. — Sed locus iste alibi vitiatus est. Legitur enim v. 260. in Ald, sic:

ἠέρα Πηλείδαο πάϊς τοῖον ποτὶ μῦθον ἔειπεν.

Unde quis non videt nihil nisi importunum glossema ἠέρα a versus initio cum *Rhodomanno* removendum esse, ut restituatur genuina poetae manus? Nam in ellipsi illa nemo, opi-

nor, offendet, qui meminerit Quintum et *μειλιχίοισιν* (scil. *ἐπέεσσιν*) et *ἀμοιβαίῃσιν* (scil. *φυλακῇσιν*) et alia dixisse. Quo fonte fluxerit, quod dedit *Tychsenius*, nescio.

V. 298. *ἐκ δὲ βοήσας*
σμερδαλέον Τρώεσσι θράσος βάλε, δεῖμα δ' Ἀχαιοῖς.

Ita *Tychsenius* scripsit ex emendatione *Rhodomanni*, cuius in verbis sane nihil est quod vituperari posse videatur. Sed alio ducunt Aldinae vestigia. In ea enim legitur: *ἐκ δ' ἐβόησε σμερδ. Τρώεσσι δὲ θάρσος βάλε* etc. Apparet poetam dedisse: *ἐκ δ' ἐβόησε σμερδαλέον, Τρωσὶν δὲ θράσος βάλε* etc. Paullo ante v. 297. scribendum puto:

γαῖα μέγ' ἴαχεν, εὖτ' ἀκάμαντας
θῆκε παρὰ Ξάνθοιο ῥόον πόδας.

Terra ingemuit, *cum* Apollo pedes in solo sisteret; non tantum *ea terrae particula* contremuit, *cui* ille imponebat vestigium.

V. 375. *γόος δέ μιν οὔποτε λεῖπεν,*
οὕνεχ' οἱ ἕλκος ἔμελλεν ἐς ὀστέον ἄχρις ἱκέσθαι
πυθόμενον καθύπερθε.

Ita *Tychsenius* scripsit, quod quibus de caussis ferri nequeat nemo non hodie scit. In Ald. vitiose haec sic leguntur:

γόος δέ μιν οὔτι λίπεν
οὕνεκά οἱ μέλαν ἕλκος ἐς ὀστ. etc.

Inde alii alia coniecerunt. *Rhodomannus* aut *μέλεν* pro *μέλαν*, aut *ἵκανε* pro *ἱκέσθαι* scribendum pronuntiavit, quorum posterius etiam proposuit *Spitznerus* de v. Gr. h. p. 36. Mihi locus ita scribendus et interpungendus videtur:

γόος δέ μιν οὔτι λέλοιπεν,
οὕνεκά οἱ μέλεν ἕλκος, ἐς ὀστέον ἄχρις ἱκέσθαι,
πυθόμενον καθύπερθε.

i. e. *quoniam ei cordi erat ulcus, putrescens superne, ut vel in ossa penetraret.* Ita ut scriberem maxume me adegit locus simillumus, quamvis mutilus, X. 273. ubi de Paridis vulnere haec dicuntur:

ἀμφὶ μέλαιν' ἐφύπερθε, καὶ ἔνδοθι μέχρις ἱκέσθαι
μυελὸν ἐς λιπόωντα δι' ὀστέου etc.

Ibi verba *ἀ. μέλαιν' ἐφύπ.* de Paridis letali plaga accipienda esse suadet loci nexus; versu antecedenti, qui periit, *ὠτειλὴ* scriptum fuisse puto. Solet autem Quintus particulas *ἄχρι* et *μέχρι* cum infinitivo coniungere. Vid. I. 830. *μέχρις ἠῶ δῖαν*

ἱκέσθαι. IV. 361. ἄχρις ἱκέσθαι ὀστέον. VIII. 464. καὶ ἐς πέρατ' ἄχρις ἱκέσθαι. X. 273, quem locum modo adscripsi, XIII. 97. ἄχρις ἱκέσθαι αἰδοίων ἐφύπερθε. Cum coniunctivo invenitur μέχρις I. 700. ἄχρις IV. 92. XIII. 341, cum indicativo ἄχρις II. 528 sq. cum optativo VIII. 383. Moneo hoc propterea, quia infinitivus his particulis iunctus uno vel altero loco *Pauwio* displicuit.

V. 383. ὡς τοῦ ὑπίχνιον ἕλκος ἀέξετο πυθομένοιο
ἰοῦ ἀπὸ στυφελοῖο, τόν οἱ ἐνομόρξατ' ὀδοῦσιν
λυγρὸς ὄφις.

Sic edidit *Tychsenius*; recte e cdd. emendato ἐνομόρξατο, pro quo in Ald. legebatur ἀπομόρξ. Sed aliud idque gravius mendum non abstersit. *Hermannus* ad Orph. p. 784. olim coniecit στυγεροῦ, τόν οἱ etc., quod epitheton sane melius convenit veneno, quam στυφελοῖο, quam vocem *Rhodomannus* haud accurate „rigidum“ vertit. Mihi facilior etiam videtur emendandi via, si scribatur: ἰοῦ ἄπο, στυφελοῖς τόν οἱ etc. Cf. Oppian. Cyneg. III. 443. de aspide, angue venenosissumo: στυφελόν θ' ὑπέσηρεν ὀδόντα. Pro ἰοῦ ἄπο fortasse aliquis scribi malit ἰοῦ ὕπο, στ. aut ἰοῦ, ὑπὸ στ. Sed illud recte mihi habere videtur.

V. 392. φαρέτρη παρέκειτό γε μακρή.

Particulam γε recte in suspicionem vocavit *Bonitzius* l. c. p. 1232. Sed an recte scripserit μακρὴ παρέκειτο φαρέτρη, dubitari poterit. Elegantius certe et lenius reponas φαρέτρη παρεκέκλιτο μακρή, cui emendationi ne doctam quidem *Spitzneri* (l. c. p. 1175.) coniecturam παρακέσκετο praetulerim.

V. 442 sq. ἀμφὶ δέ οἱ δελφῖνες ἀολλέες ἐσσεύοντο,
κῦμα διαπρήσσοντες, ἁλὸς πολιοῖο κέλευθα.

Vertit *Rhodomannus*: „undam secantes, (in qua sunt) cani maris viae.“ Quod recte vituperavit *Pauwius*. Nam si haec ita scripsit poeta, ἁλὸς πολιοῖο κέλευθα apposititio est verbi κῦμα. Id ipsum autem mirifice languet. Nam cum satis esset κῦμα διαπρήσσοντες, non videmus cur addatur ἁλὸς πολιοῖο κέλευθα, quibus verbis nihil novi continetur. Accedit quod undae ipsae ne recte quidem ita appellari posse videntur, cum viae marinae *per undas* quidem atque *in undis* perficiantur, non tamen undae ipsae sint viae marinae. Inde

Homerus semper aut nude posuit, πλεῖν ὑγρὰ κέλευθα, cf. *Α.* 312. *γ.* 71. *ι.* 252. *δ.* 842. *ο.* 474. (similiter *γ.* 177. ἰχθυόεντα κέλευθα διέδραμον), aut utrumque distinxit, ἡ δ' ἔθεεν κατὰ κῦμα, διαπρήσσουσα κέλευθον, *Α.* 483. *γ.* 429. — Non igitur videtur illud κῦμα a poeta esse profectum, qui etiam alibi Homerum secutus est, ut VI. 105.

ὑγραὶ δ' ἀμφ' ἐλάτῃσι διαπρήσσοντο κέλευθοι.

Itaque iam *Pauwius* coniecit ὦκα διαπρήσσοντες etc.; quod quamquam recte dici potuit, nimis tamen longe a vulgatae vestigiis recedit. Poeta potius scripserat κοῦφα διαπρήσσοντες. Dicitur hoc vocabulum de omnibus rebus, quae velociter et sine negotio moventur. Cf. Homerus *Ν.* 158. κοῦφα ποσὶν προβιβάς. Hesiod. scut. Herc. 323. κοῦφα βιβάς. Apollon. Rhod. II. 539 sq. de Minerva:

νεφέλης ἐπιβᾶσα πόδεσσι
κούφης, ἥ κε φέροι μιν ἄφαρ, βριαρήν περ ἐοῦσαν.

id. IV. 12. κούφη κεμάς. ibid. 601. πτερὰ κοῦφα. ibid. 1465. 1771. ποσσὶ κούφοις, et Orph. Hymn. XXX. 30. et L. 6. ἴχνεσι κούφοις. ibid. LIV. 23. ἅλματι κούφῳ. Arion apud Aelian. hist. anim. XII. 45. de monstris marinis: κούφοισι πτερύγων ῥίμμασιν — ἀναπαλλόμενοι. — Delphinem autem constat piscium esse celerrumum. Cf. Pindar. Pyth. II. 92. de deo, θαλασσαῖον παραμείβεται δελφῖνα, ubi scholiasta haec notat: ὁ δελφὶς δὲ δοκεῖ τῶν ἐναλίων—ταχύτατος εἶναι: id. Nem. VI. 108 sq. δελφῖνί κεν τάχος δι' ἅλμας ἴσον εἴποιμι Μελησίαν.— Postremo notandum, apud Homerum *γ.* 176. de navibus αἱ δὲ μάλ' ὦκα ἰχθυόεντα κέλευθα διέδραμον, et *ν.* 83. de equis dici ῥίμφα πρήσσουσι κέλευθον.

V. 520.

οἶδα γὰρ, ὡς στρεπτὸς πέλεται νόος ἀνδράσιν ἐσθλοῖς.

Ita *Tychsenius* edidit ex *Rhodomanni* coniectura. In Aldina legebatur metro perturbato: νόος ἀνδράσι πέλεται ἐσθλοῖς, quam scripturam emendatam inveni in codice bibliothecae Monacensis, qui insignitus est numero 313. atque cum ex aliis scriptoribus, ut ex Sophocle et Euripide, tum etiam ex Quinto, fol. 99. b. locos quosdam communes, et inter eos hunc quoque continet. Ibi autem legitur: νόος ἀνδράσι γίνεται ἐσθλοῖς. Et idem adnotavit ex Escurial. 1. *Tychsenius* p. CIII. Et videtur hoc sane praeferendum.

V. 538 sq. πάρος κλυτὰ τείχεα λῦσαι.
Τροίης εὐπύργοιο, καταπρῆσαί τε πόληα.

Ita *Tychsenius* scripsit ex codd. Neapol., Venet., et tribus Vaticc. Sed cum in Aldina legatur κέλευθα, equidem praetulerim καταπρῆσαί τε μέλαθρα. Cf. Homerus *B.* 414. κατὰ πρηνὲς βαλέειν Πριάμοιο μέλαθρον.

LIB. X.

V. 30. Ἀλλά γ᾽ ἐπιβρίσουσιν, ἀλευομένους ἐσιδόντες.

Recte *Bonitzius* l. c. p. 1232. damnavit particulam γέ. Sed quod idem coniecit, ἀλλ᾽ ἄρ᾽ ἐπιβρίσ., id non extemplo probaverim. Etenim cum in Ald. legatur ἀλλ᾽ ἐπιβρίσουσιν, hac recepta scriptura deinde emendandum censeo: μέγ᾽ ἀλευομένους ἐσιδ. Restituta est ea locutio I. 21. e cod. Monacensi.

V. 42 sqq.

εἰ δέ τοι ἄρ κἀκείνῳ ἀπεχθόμενοι θανέωμεν,
εὐκλειῶς μέγ᾽ ὀλέσθαι ἀμυνομένους περὶ πάτρης
βέλτερον, ἢ μείναντας ὀϊζυρῶς ἀπολέσθαι.

Hic primum incommodum est τοι, pro quo in antiquis editionibus haud melius scribitur οἱ. Verum invenisse videtur *Hermannus* in Orph. p. 806. εἰ δέ κεν ἄρ scribens. Tum disiunctim καὶ κείνῳ scribendum esse vix opus est moneatur. Maiorem difficultatem movet versu sequenti illud μέγα, quod cum non possit trahi ad ὀλέσθαι, insolenter iungendum foret cum antecedente εὐκλειῶς. Sed, nisi fallor, poeta scripserat τάχ᾽ ὀλέσθαι, quod vide quam probe toti Aeneae orationi conveniat. Suaserat Polydamus (v. 10—25.), ut Troiani intra urbem sese reciperent atque, cum cibi satis magna copia adesset, Graecos oppugnantes de muris repellerent. Hanc vero sententiam magnopere improbat Aeneas, quia tum fame confecti misera lentaque morte obituri sint. Cf. v. 27 sq.

Πουλυδάμα, πῶς γάρ σε σαόφρονά φασι τετύχθαι,
ὅς κέλεαι ποτὶ δηρὸν ἀνὰ πτόλιν ἄλγεα πάσχειν,

et v. 31 sq.

νῶιν δ᾽ ἔσσεται ἄλγος, ἀποφθιμένων ἐνὶ πάτρῃ,
ἤν πως ἐνθάδε πουλὺν ἐπὶ (sic *Spitznerus* mant. obss. p. 251.) χρόνον ἀμφιμάχωνται.

Itaque cum patribus et filiis in apertam pugnam prodeundum esse et Iovem fortasse adiutorem fore; sin minus, melius esse *celeriter cum gloria* quam *lente et misere* perire. Opponuntur εὐκλειῶς et ὀϊζυρῶς, τάχα et μείναντας. Et idem est Antenoris desiderium, supra IX. 20 sqq. pronuntiatum:

ἀλλά σοι εἰ τόδε θυμὸς ἐνὶ κραδίῃ μενεαίνει,
Τρῶας ὑπ' Ἀργείοισιν ὀϊζυρῶς ἀπολέσσαι,
ἔρξον ἄφαρ, μηδ' ἄμμι πολὺν χρόνον ἄλγεα τεῦχε.

Postremo eo quem tractamus loco aliquis pro illo θανέωμεν potius ἔωμεν seu tale quid requirat, ut sensus hic existat: „sin illi quoque invisi fuerimus." Sed recte statim interitus memoratur, qui necessario e Iovis ira sequitur. Plane eodem modo apud Apollon. Rhod. III. 465 sqq. loquitur Medea:

τίπτε με δειλαίην τόδ' ἔχει ἄχος; εἴθ' ὅγε πάντων
φθίσεται ἡρώων προφερέστατος εἴτε χερείων,
ἐρρέτω.

V. 53 sqq.

τοὺς δ' ἄγεν εἰς ἕνα χῶρον Ἔρις μεδέουσα κυδοιμοῦ,
οὔτινι φαινομένη· περὶ γὰρ νέφος ἄμφεχεν ὤμοις
αἱματόεν.

Hic primo versu *Tychsenius* ex *Rhodomanni* coniectura μεδέουσα κυδοιμοῦ dedit, pro quo cum in Aldina legatur μεδέουσα κυδοιμόν, fortasse praeferendum est μεθέπουσα κυδοιμόν. Id vero egregie convenit Eridi in medio pugnantium tumultu versanti. — Tum versu sequenti suspectus est dativus, quem *Rhodomannus* ita expressit: „humeris enim circumdatam habet nubem cruentam." Sed repugnat verbi ἀμπέχειν, vel, quam formam Quintus praetulit, ἀμφέχειν usus, quo semper de re ipsa dicitur, qua aliquid circumdatur, eo, quod circumdatur, per accusativum adiecto. Vid. Hom. ζ. 225. et Quintum ipsum VI. 225 sq. VII. 584. 654 sq. XII. 555. XIII. 12. 190. XIV. 28. 39. — Unde etiam h. l. ὤμους rescribendum erit.

V. 81. Υἵαλον εὐγλώχινι βαλὼν κατὰ λαιμὸν ἄκοντι. Sic *Tychsenius* ex *Rhodomanni* coniectura edidit, cum in Aldina ἀγλώχινι legeretur, quod nequidquam *Pauwius* defendere studuit. Nec tamen locum perpolitum putaverim. Nam et Υἵαλον nomen est plane insolens atque inauditum, et suspecta est forma εὐγλώχινι, cum alibi semper soluta usurpetur forma ἐϋγλώχινι, vid. Quintum ipsum VIII. 406. X. 240.

Nonnum XXXVI. 211. XXXVII. 717. XLVI. 132. et cf. *Hermannum* ad hymn. Apoll. v. 36. Scripserat poeta Ὕλλον ἐϋγλώχινι. Nomina propria etiam alibi in Quinto corrupta sunt. Ita etiam infra v. 87. *Spitznerus* in mant. obss. p. 252. Σχέδιον, et v. 89. *Rhodomannus* Γαληνὸν recte emendarunt. Nec suspicione caret v. 86.

Κέβρον μὲν πρῶτον καὶ Ἀρίονα, Πασίθεόν τε.

Ita *Tychsenius* ex *Rhodomanni* coniectura. Sed cum in Ald. legatur πρώτιστα καὶ Ἀρίωνα, suspicio oritur hoc nomen magis etiam corruptum esse, et olim dactylum effecisse. Commode enim πρώτιστα καὶ Ἅρμονα vel Αἵμονα vel aliud nomen poni potuit.

V. 91. — — κίεν δ' ἅμα πίονι λαῷ.

Ineptum est πίων, sive de divitiis, sive de corporis pinguedine accipiatur. Quintus scripserat ἅμ' ἀπείρονι λαῷ. Cf. II. 102. ὅς κίε λαὸν ἄγων ἀπερείσιον. V. 556. ἀπείρων δυσμενέων λαός.

V. 96. πρὶν δόμον ἐκ Πριάμοιο περικλυτὰ δῶρα φέρεσθαι.

Cur id notatur tanta vi, e Priami *aedibus* illum non retulisse dona, cum is potius dicendus esset non *domum* rediisse cum donis? Scribe πρὶν δόμον ἐκ Πρ. etc. Cf. Homerus Ω. 76. ὥς κεν Ἀχιλλεὺς δώρων ἐκ Πριάμοιο λάχῃ.

V. 130 sqq. de Luna legitur ad Endymionem descendente:

δριμὺς γὰρ ἄγεν πόθος ἠιθέοιο
ἀθανάτην πονέουσαν * * *. ἧς ἔτι νῦν περ
εὐνῆς σῆμα τέτυκται ὑπὸ δρυσίν.

Ita ex antiquis editionibus scripsit *Tychsenius*, nisi quod illae mendose, ut saepius, praebent ἄγε. In lacuna autem explenda non solita felicitate usus est *Rhodomannus*, qui addi volebat ἐπ' ἀνέρι, quod propter antecedens ἠιθέοιο ferri nequit. Quae autem *Dausqueius* et *Pauwius* hallucinati sunt, silentio praestat praeterire. Nuper *Spitznerus* l. c. p. 1169. ἀπ' αἰθέρος vel ἀφ' ἅρματος commendavit. Me, ut aliquid in hoc loco tentarem, movit *Schowius*, qui in epist. crit. p. 79. ex cdd. Vaticanis *A* et *B* (quibus assentiri dicit cdd. Matritenses) hanc commemoravit scripturam:

δριμὺς γὰρ ἄγαν πόθος ἠιθέοιο
ἀθανάτην πονέουσαν ἐτείρετο· κτλ.

Apparet, illud ἄγαν consulto esse mutatum, ne, corrupto illo

ἐτείρετο admisso, unum membrum duobus verbis oneraretur. Fortasse autem latent in eo verbo genuinae lectionis vestigia. Nam facile inde effici potest:

δριμὺς γὰρ ἄγεν πόθος ἠιθέοιο
ἀθανάτην πονέουσαν ἀπείριτον· κτλ.

Saepe enim hoc verbo Quintus utitur. Cf. III. 386. *πονέοντο ἀπείριτον.* — Multo maiorem difficultatem sequentia interpretibus facessiverunt, quae in antiquis editionibus sic leguntur:

ἧς ἔτι νῦν περ
εὐνῆς σῆμα τέτυκται ὑπὸ δρυσίν· ἀμφὶ δ' ἄρ' αὐτῇ
ἐκκέχυτ' ἐν ξυλόχοισι βοῶν γλάγος· οἳ δέ νυ φῶτες
θηεῦντ' εἰσέτι κεῖνο· τὸ γὰρ μάλα τηλόθι φαίης
ἔμμεναι εἰσορόων πολιὸν γάλα· κεῖ δ' ἴησι
λευκὸν ὕδωρ, καὶ βαιὸν ἀπόπροθεν ὁππόθ' ἵκηται,
πήγνυται ἀμφὶ ῥέεθρα· πέλει δ' ἄρα λάϊνον οὖδας.

Tamen partem veri iam vidit *Rhodomannus*, v. 136. ex I. 303. *ἵκηαι* scribens, quod etiam *Bonitzius* l. c. p. 1243. et *Spitznerus* l. c. p. 1169. probaverunt. Infeliciter hunc locum tractavit olim *Tychsenius* in commentatione, quam anno 1783. de Quinto edidit, ubi p. 56. v. 135. cum *Dausqueio* *κὰδ δὲ ἴησι* scribit, *aquam* intelligens *ex antro emanantem*, *e parietibus cavernae marmoreis particulis plenam (tophum)*, *quae ad solum concrescens candore suo speciem praebebat lactis effusi.* In eadem videtur permansisse sententia, cum in editione haud melius *κεῖνο δ' ἴησι* (inepte enim *ἴησι* editur) scriberet; neque quod *Rhodomannus* coniectabat, *κεῖθε δ' ἵησι*, praestat. Sed non opus est ut pluribus haec refutentur. Locum, si bene memini, recte iam explicuit *Pauwius*. Res enim haec erat secundum poetam. Monstrabatur in Latmio monte antrum, in quo Luna congressa esse dicebatur cum Endymione (cf. Pausan. V. 1. §. 5. ἄδυτον Ἐνδυμίωνός ἐστιν ἐν τῷ Λάτμῳ). Cuius congressus signum esse dicebatur effusum ante antrum sub quercubus lac boum, quod etiam tunc cernere sibi videbantur accolae. Ante illud antrum enim procul stantibus lac effusum, propius accedentibus candida aqua esse videbatur; sed ubi proxume quis accesserat, id, quod primum lac, tum aquam esse putaverat, nil esse cognovit nisi solum marmoreum, splendidi lapidis, opinor, unde radii solis repercussi poterant procul stanti et lactis et aquae imaginem referre. Itaque in illo *κεῖ δ' ἴησι* latere debet

haec sententia: „ubi appropinquaveris.“ Imperite *Pauwius* εἰ δὲ ἴῃς πρό. Nisi fallor, Quintus locum ita scripserat:

ἧς ἔτι νῦν περ
εὐνῆς σῆμα τέτυκται ὑπὸ δρυσίν· ἀμφὶ γὰρ αὐτῇ
ἐκκέχυτ' ἐν ξυλόχοισι βοῶν γλάγος· οἱ δέ νυ φῶτες
θηεῦντ' εἰσέτι κεῖνο· τὸ γὰρ μάλα τηλόθι φαίης
ἔμμεναι εἰσορόων πολιὸν γάλα· εἰ δ' ἐπίῃσθα,
λευκὸν ὕδωρ, καὶ βαιὸν ἀπόπροθεν ὁππότ' ἵκηαι,
πήγνυται ἀμφὶ ῥέεθρα· πέλει δ' ἄρα λάϊνον οὖδας.

Γὰρ scripsi, quia lac bovinum ipsum est signum congressus. Tum formam coniunctivi ἐπίῃσθα sumpta ex Homero *K*. 67. ἢ κεν ἴῃσθα. Postremus versus, qui transversum egit *Tychsenium*, vivide describit, quomodo appropinquanti sensim aqua, quam antea cernere sibi videbatur, quasi concrescens apparet, donec nihil iam superest nisi solum marmoreum, cuius splendore procul stans delusus erat.

Nemini autem displiciturum esse illum hiatum γάλα· εἰ arbitror, qui et ex quarta sede et ex interpunctione excusationem habet satis gravem. Saepius eodem modo littera α in Quinto hiatum facit. Sic, ut eos locos omittam, ubi id fit sequente vocabulo ἔργον (I. 403. III. 447. VI. 18. XII. 244. 359.), I. 793. μένος μέγα Ἡφαίστοιο. III. 326. ἄλσεα ὑλήεντα. VI. 193. κατὰ Ἴλιον. XI. 66. θαλάσσια ἤρκεσαν ἔργα. XIV. 104. μέγα ἤνυσαν ἔργον legitur. Alios locos consulto omisi. Fatendum tamen, facile evitari potuisse hiatum, si v. 133. βοῶν γάλα· τοὶ δέ, v. 135. γλάγος· εἰ scripsisset.

V. 139. καί μιν ἀεὶ σπαίρουσαν ὑπὸ κραδίην ἐπέρησεν
ἐγχείῃ.

Magnopere suspectum est ἀεί. Cur enim *perpetuitatis* notio tantopere prematur? Legebatur in Aldina καί μιν ἀεισπαίρουσαν. Unde apparet poetam dedisse καί ῥά μιν ἀσπαίρουσαν etc. Cf. Homerus *N*. 442 sq. δόρυ δ' ἐν κραδίῃ ἐπεπήγει, ἥ ῥά οἱ ἀσπαίρουσα καὶ οὐρίαχον πελέμιζεν ἔγχεος.

V. 170 sqq. θῦνε γὰρ ἐν δηίοισιν ἀτειρεῖ ἶσος Ἄρηι,
ἢ ποταμῷ κελάδοντι, ὅς ἕρκεα μακρὰ δαΐζει
πλημμύρων, ὅτε λάβρον ὀρινόμενος περὶ πέτρης
ἐξ ὀρέων ἀλεγεινὰ μεμιγμένος ἔρχεται ὄμβρῳ.

Versu tertio in antiquis editionibus legebatur, versu mutilo, ὀρινόμενος * * πέτρης, unde *Rhodomannus* coniecit: κατὰ πέ-

τρης, „*de petra concitatus.*“ At recte iam contra eum monuit *Pauwius*, haec nimis esse tautologa, cum statim sequatur ἐξ ὀρέων. Accedit, quod tres optumi cdd. apud *Schowium* in epist. crit. p. 79. praebent περὶ πέτρης, ita ut vix dubitandum sit, quin haec praepositio a poeta sit profecta. Sed tamen remanet aliqua difficultas; nam non satis intelligitur, quae sit unica illa rupes, quam circa intumescere torrens dicatur. Itaque potius plurali numero scripsisse puto poetam: ὀρψόμενος περὶ πέτρῃς, cui coniecturae etiam id favet, quod apud *Schowium* l. c. codd. Vatic. *A* et *B*, quemadmodum et Matritensis *B*, tenent περὶ πέτρῃ.

V. 364 sqq.

ἀμφὶ δέ μιν νύμφαι μέγ' ἐκώκυον, οὕνεκ' ἄρ' αὐτοῦ
εἰσέτι που μέμνηντο κατὰ φρένας, ὅσσα πάροιθεν
ἐξέτι νηπιάχοιο συναγρομένῃς ὀάριζε.

Ita *Tychsenius* edidit ex emendatione *Rhodomanni*, cum in Aldina corrupte legeretur νηπιάχοισι. Et recte sane per se dici potuit ἐξέτι νηπιάχοιο, i. e. *a puero*, *a prima pueritia*; cf. Opplan. Hal. V. 463. ἐξέτι τυτθοῦ, et quos alios locos attulit *Lobeckius* ad Phrynich. p. 48. H. l. autem mihi non satis apta esse videtur ea locutio, quia, si Paris mortuus *a puero* dicitur inter nymphas vixisse, id non poterit aliter intelligi, nisi eum usque ad mortem in earum societate fuisse. Atqui Paris decem iam amplius annos Troiae vivebat. Itaque potius dicendum erat: „memores erant sermonum, quos Paris, *cum adhuc esset parvulus*, cum iis habuerat.“ Itaque Quintum sic potius scripsisse arbitror: ὅσσα πάροιθεν παῖς ἔτι νηπίαχός σφι συναγρομένῃς ὀάριζε.

V. 405.

ὡς ὄφελόν μ' ἐδάμασσα πάρος τάδε πήματ' ἰδέσθαι.

Et alienum mihi videtur ab animo Helenae, ut morte voluntaria obiisse cupiat, neque apud epicos aliud inveni exemplum, ubi quis, quod mortem ipse sibi non intulerit, dolet. Deinde etiam vix tam simpliciter dici potuit μ' ἐδάμασσα, „utinam mihi manum ipsa intulissem.“ Accedit quod iste versus ita legitur ex sola *Rhodomanni* coniectura; nam in Ald. legitur:

ὡς ὄφελόν μ' ἐδαμάσσατο πάρος πήματ' ἰδέσθαι.

Haec quidem ita corrupta sunt, ut *quid* dixerit Quintus non possit erui, *quale* fuerit, quod dixerit, facile appareat. Nam

qui hos locos comparaverit e Quinto: I. 109. III. 464. 573. V. 537. VI. 14. VII. 656. X. 288. 379. 395. 428. XIII. 231. XIV. 301, is non dubitabit, quin mortem fato seu natura immissam h. l. sibi optet Helena. Id vero variis modis eloqui potuit. Equidem aut lacunam hic esse statuo, quae sic fere poterit suppleri:

ὡς ὄφελόν μ' ἐδάμασσε πάρος τάδε πήματ' ἰδέσθαι
["Ἄρτεμις ἰοχέαιρα θοὸν βέλος ἰθύνουσα.]

Similia vid. apud Hom. *T.* 59 sq. *σ.* 202 sqq. *v.* 61 sqq. Aut idem sensus inest in ipso illo versu sic emendando: ὡς ὄφελόν μ' ἐδάμασσε μόρος (v. πότμος), πρὶν πήματ' ἰδέσθαι.

Etiam in sqq. nonnulla turbata sunt. V. 406. ita legitur in Aldina:

ὡς ἔφατ' οὔτι γοόωσα πόσιν τόσον, ὅσον αἰνῆς.

Quod *Tychsenius* initio scripsit ex *Dausquei* coniectura οὐ γοόωσα, posthabendum erit leniori emendationi οὔτι γοῶσα, quam formam vide II. 634. III. 631. 784. VII. 342. XIV. 172. Et βοῶσα legitur XIII. 266. XIV. 260. Multo minus ex eiusdem *Dausquei* sententia τόσσον, ὅσον recipere debebat *Tychsenius*, productione aperte falsa. Bene iam *Rhodomannus* τόσον, ὅσσον ἄρ' αἰνῆς suppeditavit. Quamquam ego aliud insuper requiro. Dicitur Helena non tam mariti mortem, quam *ipsius* delictum, quo secuta erat Paridem, deploravisse. Cf. v. 395 sqq. Inde apparet oppositionis caussa aliquod vocabulum addendum fuisse, quo ἀλιτροσύνη Helenae, non Paridis esse diserte indicaretur. Itaque vide an scribendum sit:

οὔτι γοῶσα πόσιν τόσον, ὅσσον ἄρ' αὐτῆς
μύρετ' ἀλιτροσύνης μεμνημένη.

Similiter pronomen, quamquam fere falso spiritu instructum, legitur II. 157. πείθεο δ' αὐτῷ. V. 279. αὐτὸν ἀεικίσσας. IX. 119. ὑπὲρ τεκέων τε καὶ αὐτοῦ. XII. 559. Ἀργείοισι κακὴν προτιόσσεο φήμην ἠδ' αὐτῇ. XIII. 445. οἰόμενος δηΐων ἑκὰς ἔμμεναι αὐτόν. XIV. 88. μέλποντες — ἠδὲ καὶ αὐτῶν θυμὸν τολμήεντα. De Apollonio cf. *Wellauerus* ad I. 476. — Tum in sqq. male mutavit *Tychsenius* optumam Aldinae scripturam: ἀμφὶ δὲ Τρωαὶ ὡς κεῖνον στενάχοντο, cuius sententiam recte assecutus est *Rhodomannus* vertendo: „Troianae quasi ob illum gemitus ducebant.“ Expressus est locus ex Homero *T.* 301.

ἐπὶ δὲ στενάχοντο γυναῖκες
Πάτροκλον πρόφασιν, σφῶν δ' αὐτῶν κήδε' ἑκάστη.

V. autem 409. et 410. recte iam *Spitznerus* in mant. obss. p. 201. bis αἱ δὲ emendavit.

LIB. XI.

V. 22. de Xantho, flumine Lyciae:

ὅν ποτ' ἐριγδούποιο Διὸς δάμαρ ἀνθρώποισι
Λητὼ δὴ ἀνέφηνεν, ἀναρρήξασα χέρεσσι
τρηχὺ πέδον Λυκίης.

Inepta est particula δή, nec melius *Gerhardus* in lectt. Apollon. p. 167, in hiatum tantummodo, non in sententiam attentus, δή ῥ' ἀνέφηνεν proposuit. Possunt varia tentari. Mihi poëta scripsisse videtur: Λητὼ γῆς ἀνέφηνεν. Rem illustrant ea, quae attulit *Lobeckius* Aglaoph. II. p. 1158. de Dactylorum origine exponens; inprimis huc facit schol. ad Apoll. Rhod. II 1126: ἔθος ταῖς κυούσαις τῶν παρακειμένων λαμβάνεσθαι. Ad eandem fabulam pertinent, quae idem ibid. p. 1186. de Latona attulit lupis ad fluvium Xanthum compulsa, deque templo Apollinis ad illius ripas exstructo.

V. 56. ἐσσυμένως ἀπάμερσε καρήατος, ἐς δορὶ τύψας
ἀλγινόεντα τένοντ'.

Ita *Tychsenius* ex emendatione *Rhodomanni*. Nam in Aldina legitur ἄμερσε κάρητος ἐς δόρυ τύψας. Non perfecit ille emendationem. Minume enim apud hos scriptores δόρυ de gladio dicitur, qui tamen solus hic poterit intelligi. Scripsit Quintus καρήατος, ἄορι τύψας, quam versus clausulam meminerat in Homero (Y. 378. 462.) legi.

V. 62 sq. ἄμφω ἐπιστάμενοι δόλον ἰχθύσι μητίσασθαι
αἰνὸν ὑπ' ἀγκίστροιο.

Offendit adiectivi αἰνὸν collocatio, ita ut hoc iungendum sit cum δόλον. Neque praestat, si idem pro adverbio accipiatur. Potius Quintum scripsisse puto: αἰνοῦ ὑπ' ἀγκίστροιο.

V. 193 sqq. αἶψα δ' ἄρ' αὐτὸς
κάππεσεν ἀμφὶ νέκυς· λεῖπεν δ' ἄρα χεῖρα κραταιὴν
στυγερὸν ἔτ' ἐμπεφυυῖαν ἐϋγνάμπτοισι χαλινοῖς.

Offensionem habent verba ἀμφὶ νέκυς. Ubi si νέκυς pro nominativo sumitur, quid sibi velit ἀμφί plane non intelligitur. Nemo enim *Pauwii* amplectetur interpretationem: *circumcirca*, i. e. *plane mortuus*. Neque eiusdem coniectura, pro ἀμφὶ scribendum esse ἄγχι, ullum nanciscatur patronum. Itaque si sanum est νέκυς, debet illud haberi pro accusativo, ut sane apud Homerum ω. 417. Sed, ut verum fatear, ne hoc quidem placet, quia accusativum esse νέκυς non statim locum perlegenti apparet. Atque alio ducere videntur hi loci: III. 177. et IX. 151. ἤριπεν ἀμφὶ νέκυσσι; unde hoc quoque loco scribendum censeo: κάππεσεν ἀμφὶ νέκυσσι· λίπεν δ' ἄρα etc. Iam Homerus Δ. 493. scripserat: ἤριπε δ' ἀμφ' αὐτῷ. Sequentia autem satis audacter constituit *Tychsenius*. In Aldina enim haec sic leguntur: χείρας κεκράται στεῤῥὸν ἔτ' ἐμπεφυυῖαν ἐϋγνάμπτοιο χαλινοῦ. Unde locum ita constituendum esse arbitror:

λίπεν δ' ἄρα χεῖρα κρεμαστήν,
στεῤῥὸν ἔτ' ἐκπεφυυῖαν ἐϋγνάμπτοιο χαλινοῦ.

Postrema iam ita emendavit *Rhodomannus*.

V. 208 sq. Hic scribendum erit:

οὕς τ' ἄμοτον μεμαῶτας ὑπὸ ζεύγλῃ καὶ ἀρότρῳ
τίψεν ὑπὸ λαπάρην ταναοῖς ὑπὸ χείλεσιν οἶστρος.

Nam in Aldina legitur: ὅττ' ἄμοτον et τύψει.

V. 283 sqq.

ἀλλ' ὅτε δὴ πολλοὶ μὲν ἀπέφθιθεν ἐν κονίῃσι,
δὴ τότ' ἐπ' Ἀργείοισιν ὑπέρτερον ὤρνυτο θάρσος
Παλλάδος ἐννεσίῃσι δαΐφρονος.

Minervae auxilio tandem Troianis *superiores* evadunt Graeci. Cf. v. 298. Itaque scribendum ὤρνυτο κάρτος. Eadem medela etiam infra v. 405 sqq. applicanda erit:

ὣς ἄρ' Ἀχαιῶν υἷες ὑπέτρεσαν, οὕνεκ' ἄρ' αὐτῶν
Αἰνείας συνέχευε θοῶς ἔρυμα πτολέμοιο
ἀσπίσιν ἀκαμάτῃσι τετυγμένον, οὕνεκ' ἄρ' αὐτῷ
θάρσος ἀπειρέσιον θεὸς ὤπασεν.

Hic quoque κάρτος reponendum esse ex totius loci nexu apparet. Non enim sermo de audacia Aeneae aut fortitudine, sed de summo eius robore, quo ille per unius lapidis ictum testu-

dinem a Graecis factam perruperat; vid. v. 393 sqq. Etiam infra v. 449. scribendum:

ἐφ̃ πίσυνος βασιλῆι
κ ά ρ τ ε ϊ τε σφετέρῳ καὶ θαρσαλέῃ νεότητι.

Cf. v. 184. κάρτεϊ πάγχυ πεποιθώς. Postremo etiam XII. 271 sqq. in Nestoris oratione, qua paratum se ostendit equum ligneum ingredi, scribendum:

νῦν δέ με γῆρας ἔπεισι πολύστονον· ἀλλ' ἄρα καὶ ὥς
ὡς νέος ἡβώων καταβήσομαι ἔνδοθεν ἵππου
θαρσαλέως· κ ά ρ τ ο ς δὲ θεὸς καὶ κῦδος ὀπάσσει.

Animus enim et audacia non deest Nestori, verum robur, quod ut pristinum membris inesset optaverat supra v. 266.

ὡς ὄφελον μέγα κάρτος ἐμοῖς ἐνὶ γούνασι κεῖτο.

Robur igitur pugnando idoneum atque gloriam vincendo partam ut ei deus daturus sit fore sperat bellicosus senex.

V. 287 sq. de Minerva in pugnam ruente haec leguntur:

ἐκπέρσαι μεμαυῖα κλυτὴν Πριάμοιο πόληα,
ἥ ῥα μέγα στενάχιζεν Ἀλεξάνδροιο δαμέντος.

Profecto mirum est, quod h. l., ubi mens Minervae describitur, qua illa vehementissume cupiverit Troiam evertere, de hac urbe id adiicitur, magnopere eam ob occisum Paridem gemuisse. Nolo hoc premere, quod ubi de lugendo sermo est, incolae tantum, ubi de evertenda urbe, non tam incolae, quam muri, turres atque aedes cogitantur. Id maxume offensioni est, quod ea res, de qua iam suo loco satis Quintus exposuit (cf. X. 369—410. XI. 1 sq.), iterum sine caussa et loco plane alieno inculcatur. Itaque mutato versuum ordine locum ita a poeta profectum esse arbitror:

ἐκπέρσαι μεμαυῖα κλυτὴν Πριάμοιο πόληα.
καὶ τότ' ἄρ' Αἰνείαν ἐρικυδέα δῖ' Ἀφροδίτη,
ἥ ῥα μέγα στενάχιζεν Ἀλεξάνδροιο δαμέντος,
αὐτὴ ἀπὸ πτολέμοιο καὶ οὐλομένης ὑσμίνης
ἥρπασεν ἐσσυμένως.

Iam etiam intelligitur, qua de caussa hic versus interiiciatur. Venus enim, vehementer afflicta ob Paridis mortem, eo maiori cura Aeneae filio prospicit, ne hic quoque vel praeter fatum ab irascente Minerva interficiatur. Cf. v. 294 sq.

V. 371 sq. πολλὰ δ' ἄπωθεν
μαψιδίως φορέοντο περιγναμφθέντα β ε λ έ μ ν ο ι ς.

Ineptum est *βελέμνοις*. *Βέλεμνα* ipsa sunt tela, non eorum acies. Itaque scribendum censeo *περιγναμφθέντα βοείαις*. Nam clupeis repercussae circumflectuntur hastae et sagittae. Confirmant emendationem Homerus *Γ*. 349. et *P*. 44. *ἀνεγνάμφθη δέ οἱ αἰχμὴ ἀσπίδ' ἐνὶ κρατερῇ*, et Quintus ipse II. 529. *αἰχμαὶ ἀνεγνάμφθησαν ἐν ἀσπίσιν.*

V. 375. *ἔσω δ' ὑπὸ τεῖχος ὁμῶς ἴσαν.*
Quid sibi velit *ἔσω*, non video. Neque enim muros intrabant, sed ad eos succedebant. Scribendum *ἄνω*. Muri in loco editiore stabant; inde Graeci *ὑπὸ Ἴλιον ἦλθον.*

V. 404.

ἀμφὶ δὲ μηλονόμοι τε καὶ ἄλλ' ὅσα πάντα φέβονται.

Sermo est de rupibus Iovis fulmine avulsis. Sed offendor in illo *ἄλλ' ὅσα πάντα*, quod *Rhodomannus* vertit: *caetera cuncta*. At vero tum quid sibi velit *ὅσα* non intelligitur. Et omnino subiectum deest, ad quod illa verba referamus, quae utrum de hominibus an de pecoribus dicta sint non apparet. Plane alia ratione de eadem re II. 383 sq. dictum:

περιτρομέουσι δ' ἀν' ὕλην,
εἴ που μῆλ' ὑπένερθε κυλινδομένοιο νέμονται,
ἢ βόες ἠέ τι ἄλλο, καὶ ἐξαλέονται ἰόντος
ῥιπὴν ἀργαλέην,

ubi tamen nescio an potius *ἠέ τιν' ἄλλα* (scil. *μῆλα*) scribendum sit, cum etiam hiatus ille in Quinto satis insolens sit. Itaque corrupta quidem habeo illa verba, certam tamen emendationem nondum invenire potui. Fortasse tamen restituendum: *ἀμφὶ δὲ μηλονόμοι τε καὶ αἰπόλοι αἰνὰ φέβονται.* Nam etiam caprae a pastoribus pascebantur in montibus. Cf. supra v. 396 sqq.

εὖτ' ἐν ὄρεσσι
φερβομένας ὑπὸ πρῶνα βίῃ κρημνοῖο ῥαγέντος
αἶγας.

Hom. *Δ*. 275. *ὡς δ' ὅτ' ἀπὸ σκοπιῆς εἶδεν νέφος αἰπόλος ἀνήρ.*

V. 415 sqq.

μάρνατο δ' ὡς ὁπότ' αὐτὸς Ὀλύμπιος οὐρανόθι Ζεὺς
ἀσχαλόων ἐδάϊζεν ὑπέρβια φῦλα Γιγάντων
σμερδαλέον, καὶ γαῖαν ἀπειρεσίην ἐτίναξε,
Τηθύν τ' Ὠκεανόν τε καὶ οὐρανὸν ἀμφὶ δὲ πάντα
γυῖ' ἐλέλιζετ' Ἄτλαντος ὑπ' ἀκαμάτου Διὸς ὁρμῆς.

In his primum inconcinnum est σμερδαλέον ad ἐδάϊζεν referendum. Scribe σμερδαλέων. Deinde cur hoc urgeatur, *omnia Atlantis membra concussa esse?* Potius *undecunque concussus* est Atlas tota terra contremiscente. Itaque scribe ἀμφὶ δὲ πάντῃ etc.

V. 452. σφετέρου δὲ καρήατος ἔμμεναι ἄλκαρ
ἀσπίδα θεὶς καθύπερθεν.

Ita haec ex emendatione *Rhodomanni* dedit *Tychsenius*, cum in Aldina legeretur: σφετέρου καρήατος ἠδὲ καὶ ἄλκαρ, in quibus potius σφετέρου corruptum videtur. Scribendum puto: ἕρκος δὲ καρήατος ἠδὲ καὶ ἄλκαρ. Cf. Hom. ο. 646. de clupeo, ἕρκος ἀκόντων.

V. 460. εἰ μὴ ἄρ' αὐτῷ

— — — — — — — — —

Αἰνείας ἐπόρουσεν, ἐπεί ῥά μιν οὐ λάθε χάρμη.

Achivi undique urbem Troiam aggressi frustra muros adscendere conantur, cum aliis Troianis, tum maxume Aenea acerrume resistentibus. Hic enim dei cuiusdam numine incensus (v. 407 sqq.) moenium orbem obibat (περὶ τεῖχος ἁπάντῃ ἔσσυτο v. 421.) atque omnis generis tela in Achivos mittebat, non sine maxuma horum strage (v. 413 sqq. 422 sqq.). Interea tamen Alcimedon, Aiacis Oilidae famulus, eo temporis momento, quo Aeneas alicubi Neoptolemi socios arcebat (431 sqq. 440 sq. 461.), scala ad murum enisus iam in eo erat ut pinnam superaret, cum subito apparens Aeneas mortem ei inferret. Cuius rei caussa ita a poeta indicatur: ἐπεί ῥά μιν οὐ λάθε χάρμη, οὐδ' ἀπάτερθεν ἐόντα. Sed hoc quo iure dici potuerit non apparet. Nam cum Aeneas non abesset a pugna, sed alio muri loco fortissume certaret, nullo pacto haec de eo dici potuerunt, quae tum tantum recte haberent, si Aeneas plane ab omni pugna remotus domi delituisset. Hoc perspiciens *Rhodomannus* vertit: „nam *haec* illum *oppugnatio* non latebat." Quae sententia verbis non inest.

Apparet, pro χάρμη aliquid scriptum fuisse, quo Alcimedontis tantum conatus significaretur. Hoc autem facile restituas sic: ἐπεί ῥά μιν οὐ λάθεν ὁρμή. Hoc enim aptissume dicitur de Alcimedonte, celeri saltu in murum enitente, cum ὁρμή usurpetur de unoquoque celeri et vehementi impetu, quo quis ad aliquid fertur. Cf. Hom. Δ. 466. Κ. 123. β. 403. ε.

416. Quint. X. 444. Deinde saepe dicitur de hostili aggressione, quá quis vehementer in aliquem irruit. Cf. Hom. *I*. 355, ubi Aiax de Hectore dicit: μόγις δέ μευ ἔκφυγεν ὁρμήν. Quint. III. 445. φύγεν ἔγχεος ὁρμήν. De leone dicitur Hom. *M*. 119, de apro Quint. II. 250. IX. 242, de igne saeviente XIV. 455, de Iove Titanas prosternente XI. 419. Cf. XI. 54, ubi ἀνέρος ὁρμὴ dicitur. Apte igitur h. l. ad Alcimedontem solum refertur, qui primus murum ipsum ascendere conaretur, cum ceteri eminus tantum sagittis et sparis Troianos petere auderent. Vid. v. 441 sqq.

LIB. XII.

V. 30 sq. ἐνιπρῆσαι δ' ἄρα πάντα
ἐν κλισίῃς.

Ita *Rhodomannus*, cum in Aldina, quacum consentit cod. Monac., legeretur πάντα ἐς κλισίην, hunc locum constituit. Infeliciter sane; nam non solum ea, quae in tentoriis erant, sed ipsa tentoria comburebantur. Inde poetam scripsisse apparet: ἐνιπρῆσαι δ' ἄρα πάντες ἃς κλισίας. Cf. v. 337. ἃς κλισίας πρήσαντες.

V. 106 sq.

δὴ τότ' Ἀθηναίη μακάρων γένος ἀμφιλιποῦσα
ἤλυθε παρθενικῇ ἀταλάφρονι πάντ' εἰκυῖα.

De his iam bene meritus est *Spitznerus* in excursu IX. ad Il. p. VII. optume μακάρων ἕδος emendans. Non tamen ille perfecisse emendationem videtur. Nam quid sibi velit verbum compositum ἀμφιλιποῦσα, non poterit explicari. Itaque poetam scripsisse credo μακάρων ἕδος αἰπὺ λιποῦσα. Conflavit hanc locutionem ex Homericis αἰπὺν Ὄλυμπον (*E*. 367. 868. *O*. 84.) et λιποῦσ' ἕδος Οὐλύμποιο (*Ω*. 144.). — Tum versu altero suspicionem movet epitheton ἀταλάφρονι. Homerus enim, quamquam *Σ*. 567. παρθενικαὶ δὲ καὶ ἤϊθεοι ἀταλὰ φρονέοντες, sensu tamen plane diverso *Z*. 400. παῖδ' ἐπὶ κόλπῳ ἔχουσ' ἀταλάφρονα dixit. Neque omnino ego h. l., ubi sermo est de Minerva per somnum ad Epeum accessura, epitheton probaverim ab animo ductum. Auget suspicionem liber

Monac., in quo legitur ἀταλάφρονι (γρ. ἀπα). Unde apparet scribendum esse παρθενικῇ ἀπαλόχροϊ. Hoc dici debebat de Minerva, ut intelligeretur eam non solito bellicosae viraginis habitu, sed tenerae virginis forma Epeo apparuisse. Cf. hymn. Hom. Ven. 14. Hesiod. op. et d. 519.

V. 110 sq. ἔφη δέ οἱ ἐγκονέοντι
αὐτὴ συγκαμέειν, αὐτὴ δ᾽ ἄφαρ ἔνδοθι βῆναι.

Minerva se Epeo equum fabricanti adfuturam eumque in opere adiuturam esse promittit. Non igitur sermo de intrando equo, uti *Rhodomannus* locum intellexit, deceptus vulgata scriptura. Quintus enim dederat ἀγχόθι v. ἐγγύθι βῆναι.

V. 124. οἱ δ᾽ ἐλάτῃσιν ἐπιβρίσαντες ἐς ὕλην.
Quamquam in hac locutione etiam Monac. consentit, tamen sine dubitatione consuetum illud ἀν᾽ ὕλην restituendum est. Vid. I. 626. II. 382 sq. et alibi. Facile, perperam ultima syllaba vocis ἐπιβρίσαντες repetita, extrudi poterat praepositio genuina.

V. 126 sq. δολιχαὶ δὲ κατ᾽ οὔρεα μακρὰ κολῶναι
δεύοντ᾽ ἐκ ξυλόχοιο.

Ita haec et in Aldina et in codice Monac. leguntur. Nec debebat *Tychsenius* ea mutare in δεύοντο ξυλόχοιο. Proprium enim est Quinti, ut ei rei, qua quis privatur, praepositionem ἐκ adiiciat. Vide X. 79 sq.

τόν ῥα τότ᾽ Αἰνείας ἁπαλὴν ὑπὸ νηδύα τύψας
νοσφίσατ᾽ ἐκ θυμοῖο καὶ ἤδεος ἐκ βιότοιο.

XIII. 281. τῷ νύ μ᾽ ἀκηχεμένην πολυτειρέος ἐκ βιότοιο νοσφίσατ᾽ ἐσσυμένως. ibid. 285. ἄχος δέ με δέχνυται αἰνὸν ἐκ Τρώων — οἰωθεῖσαν. V. 495 sq. αἱ δὲ μέγα σκαίρουσι — μητέρες ἐκ τεκέων σηκοὺς περὶ χηρωθέντας, ubi ἐκ τεκέων iungendum cum χηρωθέντας.

V. 206 sqq.

ἴσχεσθ᾽ ἰωχμοῖο δυσηχέος· οὐ γὰρ ἔοικεν,
Ζηνὸς χωομένοιο, μινυνθαδίων ἕνεκ᾽ ἀνδρῶν
μάρνασθ᾽ αἰὲν ἐόντας, ἐπεὶ τάχα πάντες ἄϊστοι
ἔσσεσθ᾽· ἦ γὰρ ὕπερθεν ἐφ᾽ ἡμέας οὔρεα πάντα
εἰς ἓν ἀναρρήξας οὔθ᾽ υἱῶν οὔτε θυγατρῶν
φείσεται, ἀλλ᾽ ἄρα πάντας ὁμῶς ἐφύπερθε καλύψει
γαίῃ ἀπειρεσίῃ· οὐδ᾽ ἔσσεται ἄμμιν ἄλυξις
ἐς φάος· ἀργαλέος δὲ περὶ ζόφος αἰὲν ἐρύξει.

Postquam Epeus ligneum equum perfecerat, dii iam instare summum belli discrimen videntes de coelo descendunt, et terribili inter sese tumultu decertant, donec Iuppiter, qui apud Tethyn commorabatur, redux fulminibus a pugna eos avertit (v. 157—201.). Iam Themis celeriter ad eos accedit, atque oratione supra adscripta ut a pugnando desistant hortatur, gravem alioquin et implacabilem iis fore Iovis iram demonstrans. Haec si tenemus, magnopere primum offendit, quod Themis, quae certamini non interfuit, tamen v. 209. et 212. ita loquitur, quasi et in ipsam Iovis vindicta montes sit praecipitatura. Et hoc eo minus ferendum videtur, cum statim v. 208 sq. non se, sed deos, quibuscum loquitur, poenas daturos esse pronuntiaverit. Accedit quod v. 209. in antiquis editionibus legitur ἐφ᾽ ὑμέας, non ἐφ᾽ ἡμέας, quod *Tychsenius* ex cod. Monac. intulit. Ne multa, hic quidem Aldinae scriptura recipienda, v. autem 212. cum *Rhodomanno* scribendum erit: οὐδ᾽ ἔσσεται ὔμμιν ἄλυξις. Sed aliud etiam remanet idque turpius mendum. Nam v. 212. inaudita legitur illa forma γαίη, cum constet in usu tantum fuisse etiam apud Ionicos Homerum secutos γαῖα. Cf. *Hermannus* ad Orph. Arg. v. 1287. p. 233. et p. 766. *Spitznerus* de v. Graec. her. p. 27. Scripserat poeta καλύψει γαίη ἀπειρεσίη, ita ut hoc quoque membrum ad Iovem pertineat. Expressit hoc, ut nunc video, etiam *Rhodomannus* vertens: „sed simul omnes opprimet vasta telluris mole."

V. 220.

ὦ νῦν Ἀργείων σημάντορες ἀκριτόμυθοι,
νῦν μοι ἐελδομένῳ τεκμήρατε, οἵτινές ἐστε.

Ita initio scripsit *Tychsenius*, cum in Aldina ὦ νῦν μοι Ἀργείων, in Monac. ὦ νύ μοι Ἀργ. legeretur. Horum nihil ferri potest. Scribendum censeo, quod supra loco consimili VIII. 482. recte restituit *Tychsenius*, ὦ κλυτοὶ Ἀργείων etc. Tum iure, opinor, iam *Tychsenius* in praef. p. CIII. adiectivum ἀκριτόμυθοι corruptum esse pronuntiavit. Invenitur apud Hom. *B.* 246. de Thersitis importuna loquacitate. Cf. *Naumachius* praecc. coniugg. v. 56. H. l. si quis id defendere velit ex loco Homerico *B.* 796, ubi Iris, Politae formam induta, Priamo Graecos accedere nuntiatura ait: αἰεί τοι μῦθοι φίλοι ἄκριτοί εἰσιν, etiam ibi non sine reprehensione dicitur. Cf. *τ.* 560. Itaque, quo solo significatu h. l. aptum esse possit adiectivum, *innumera gloriantes*, is vero unde ei posito inesse

nequit. Itaque cum fortitudinis mentio h. l. aptissima sit, Quintum dedisse puto ὀβριμόθυμοι, quo vocabulo alibi usus est saepius.

V. 224.

> ἐς δ' ἵππον βαίνωμεν ἐΰξοον, ὄφρα τι τέκμωρ
> εὕρωμεν πολέμοιο δυσηχέος.

Falsum est h. l. pronomen indefinitum. Nam non *qualemcunque* belli finem nacturos esse Graecos sperat Nestor, sed *eum, quo Troia caperetur et dirueretur.* Auget suspicionem cod. Monac., in quo legitur quidem ὄφρά τ; sed illud minusculum ι secunda manus allevit, quae cuius sit auctoritatis, iam supra indicavi. Quintus h. l. scripserat ὄφρα κε τέκμωρ. Quam emendationem hi loci satis tuentur: II. 73 sqq. ubi Paris dicit:

> αὐτὰρ οἱ ἄλλοι
> ἀμφ' ἐμὲ θωρήξονται ἀνὰ πτόλιν, εἰσόκε μῆχος
> εὕρωμεν θυμῆρες ἀνηλεγέος πολέμοιο.

Etiam hic non *quodcunque*, sed *hoc* belli *remedium* innuitur, ut fortiter pugnando hostes repellantur. III. 502 sq. Agamemnon conqueritur:

> οὐ γὰρ ὀΐω
> εὑρέμεναι πολέμοιο τέκμωρ φθιμένου Ἀχιλῆος.

Mortuo Achille Ilium non expugnatum iri putat. — IV. 47. de diis, qui Troianis favent:

> εὐχόμενοι Τρώεσσι πέρας θυμηδὲς ὀρέξαι.

Pertinet huc etiam XII. 257 sq.

> νῦν γάρ που οἴομαι ἐσσυμένως περ
> ἀργαλέου πολέμοιο τέκμωρ ἀΐδηλον ἔσεσθαι.

Ita enim illum locum constituendum censeo: που, quod omnium optume quadrat, iam suasit *Rhodomannus*, πολέμοιο *Hermannus* Orph. p. 808, ἀΐδηλον autem, cum non satis aptum videretur εὔδηλον, *manifestum*, ipse ex v. 438. πολέμοιο κακὸν τέλος conieci. Infra autem XIV. 117. scripserim: ἠνύσαμεν πολέμοιο μακροῦ τέλος, coll. Tryphiod. v. 525. δηναιοῦ πολέμοιο τέλος.

Contra commode ponitur pronomen indefinitum X. 11.

> ἀλλ' ἄγε δὴ φραζώμεθ' ὅπως πολέμοιό τι μῆχος
> εὕρωμεν.

Rebus desperatis *quodlibet* belli remedium quaerendum esse auctor est Polydamas.

V. 275.

ὦ Νέστωρ, σὺ μὲν ἐσσὶ νόῳ προφερέστερος ἀνδρῶν
πάντων· ἀλλά σε γῆρας ἀμείλιχον ἀμφιμέμαρπεν·
οὐδέ τις ἔμπεδός ἐστι βίη χατέοντι πόνοιο.

Hic primum Monac. ὦ Νέστορ, uti etiam supra II. 127. ὦ Μέμνον, praebet. Et hoc verum esse usus Quinti evincit; cf. II. 309. XII. 298. ὦ γέρον. II. 431. ὦ Μέμνον. XII. 67. ὦ Κάλχαν. Tum in eodem libro νόῳ προφρονέστερος legitur, quod, quamquam non confestim vulgatae praetulerim, certe ob Atticam correptionem non poterit reprobari; cf., ut alia omittam, VI. 211. αἱματόεις ἀφρὸς ἔσχεν. Egregie autem extremo versu in eodem cod. scribitur: οὐδέ τοι ἔμπεδός ἐστι. Non enim placet de solo Nestore pronomen indefinitum.

V. 283 sq.

οὕνεχ' ὑπέσχετο πρῶτος ἐς εὐρέα δύμεναι ἵππον
αὐτός, ὃν οὔτι κέλευε γεραίτερον ἔκτοθι μίμνειν.

Ita haec et in Aldina et in cod. Monac. leguntur, sensu nullo. *Rhodomannus* γεραίτερος legebat, ut ex eius interpretatione apparet: „quod princeps amplum se equum subiturum susceperat, quem senior nequaquam foris manere iussit.“ Sed ne huius quidem sententiae ratio ullo modo perspicitur. Quid dicendum fuerit, probe perspexit *Tychsenius*, qui tamen nimis audacter edidit: αὐτός, μὶν δὲ κέλευε etc. Quintus potius αὐτός, ὃ δ' αὖτε κέλευε aut, si aegre desideres pronomen cum γεραίτερον iungendum, αὐτὸν δ' αὖτε κέλευε γεραίτερον ἔκτοθι μίμνειν scripsisse videtur. Fecerat id autem Neoptolemus supra v. 278.

V. 342.

ἵν' ἐν νήεσσι μένοντες
ἄλλοις σημαίνωσιν.

Quamquam scio ἄλλοις significare *ceteris*, atque supra v. 285. ἄλλοις σὺν Δαναοῖσιν similiter dictum videri potest, tamen puto clarius *copiarum*, quibus praeesse debebant Nestor et Agamemno, factam esse mentionem ita, ut poeta λαοῖς σημαίνωσιν scripserit. Hoc etiam sequentia suadent: ἐπεὶ πολὺ λώιον ἄνδρες ἔργον ἐποίχονται, ὁπότ' εἰσορόωσιν ἄνακτες, uti haec bene emendavit *Spitznerus* in mant. obss. p. 245.

V. 453.

ἥν τε Καλύδνην
λαοὶ κικλήσκουσιν.

Ita *Tychsenius* ex *Rhodomanni* coniectura scripsit pro eo quod in Aldina legebatur, ἐπικλήσκουσιν. Sed Monac. praebet ἐπικλύουσιν, unde quis non videt reponendum esse ἐπικλείουσιν? Verbo, ut ceteros taceam, Quintus ipse usus est IV. 11.

τὸν εἰσέτι φῦλ' ἀνθρώπων
Γλαῦκον ἐπικλείουσιν ἐΰρροον.

V. 465 sqq.

οὐδέ τις αἰζηῶν, οὐδ' εἰ μένος ἄτρομος ἦεν,
μεῖναι ἔτλη· πάντας γὰρ ἀμείλιχον ἄμφεχε δεῖμα
θῆρας ἀλευομένους· ὀδύνη δ' ἔχεν· ἔνθα γυναῖκες
οἴμωζον.

Ἔνθα, sive de tempore, sive de loco, uti fecit *Rhodomannus*, intellexeris, satis incongrua ratione antecedentibus membrum adnectit. Itaque sine haesitatione scribendum ἐν δὲ γυναῖκες etc., quae emendatio etiam inde commendatur, quod simili modo etiam ceterae istius descriptionis partes per particulam δὲ adiiciuntur. Cf. v. 269 sqq.

V. 476.

οὐδ' ὅς ἀμύνειν
ἔσθενεν.

Optume Monac. praebet οὐδ' ὅγ' ἀμύνειν. Ὅς enim tantummodo pronomen est demonstrativum sequente δέ (I. 245. II. 204. 408. III. 175. IV. 146, ubi cum *Rhodomanno* ὅς δ' Ἀμιλῆος legendum esse iam est a me monitum; 235. 339. 488. V. 402. VII. 313. 352. 356. VIII. 35. 163. 320. XI. 102. XII. 17. XIII. 189. 322.), aut μέν (I. 709. II. 114. VII. 615.), aut γάρ (VIII. 35.). Etiam V. 474. scribendum est: μηδ' ὅγ' ἀπήμων ἔλθοι.

V. 484 sq.

τεῦξαν ἅμ' ἀγρόμενοι κενεὸν τάφον· καὶ ἐπὶ δάκρυ
χεῦε πατὴρ ἀλαοῖσιν ὑπ' ὄμμασιν.

Versum metro laborantem *Spitznerus* mant. obss. p. 262. ita corrigit: ἦ δ' ἐπὶ δάκρυ etc. Mihi praestare videtur ᾧ ἔπι δάκρυ etc. Cf. I. 69. ἐπιστενάχοντες ἀρούραις. VII. 13. ὠδύραντ' ἐπὶ τύμβῳ. X. 386. τάφῳ ἔπι δάκρυα χεύων. *Gerhardus* in lectt. Apollon. p. 166. hiatui tantummodo infestus καὶ ἐπὶ δάκρυ coniecit.

Hesiodi in Theog. 712. ἐμμενέως ἐμάχοντο. Sed equidem librorum scripturam retinuerim: nulla enim offensio in verbo et adverbio, quae ab eadem radice oriunda sunt, coniunctis. Deinde v. 583. in versus clausula et Aldina et cod. Monac. exhibent: ἀχνυμένη κῆρ, et contra v. 584. Aldina ἐσσυμένη περ, cod. Monac. autem τειρομένη περ praebet. Apparet suam scripturam coniectura inde effecisse *Tychsenium*. Postremo v. 585. Aldina φόνον, cod. Monac. φόνω (iota subscribendum constanter in eo libro omissum); et ibid. σφίσι, quod *Tychsenius* de suo dedisse videtur, in Aldina omissum, cuius loco in cod. Monac. bene legitur μέγα, id quod coniectura iam invenerat *Rhodomannus*. Ex his ego totum locum ita constituerim:

ἡ δ' ἅτε πόρδαλις ἔσσυτ' ἐν οὔρεσιν ἀσχαλόωσα,
ἥν τ' ἀπὸ μεσσαύλοιο κύνες μογεροί τε νομῆες
σεύοντ' ἐσσυμένως, ἡ δ' ἄγριον ἦτορ ἔχουσα
ἐντροπαλιζομένη ἀναχάζεται ἐσσυμένη περ·
ὡς ἥγ' εὐρέος ἵππου ἀπέσσυτο, τειρομένη κῆρ
Τρώων ἀμφὶ φόνῳ· μάλα γὰρ μέγα δέχνυτο πῆμα.

De verbo ἀσχαλάαν, quod necessario h. l. requiritur, vide, qui loci ad III. 343. allati sunt. Tum ἐσσυμένη περ, quod v. 583. ex versus 584. in Aldina exitu recepi, commendatur aliis locis, ut apud Homer. *Z.* 518. *N.* 57. 630. *δ.* 733. et apud Quintum ipsum I. 544. 695. 703. Ἀχνυμένη κῆρ, quod pro eo et in Aldina et in Monac. legitur, nihil est nisi varia lectio pro eo, quod v. 584. recte Monac. praebet, τειρομένη κῆρ.

Imitatus autem est Quintus Homerum *Λ.* 548 sqq. coll. *P.* 657 sqq.

ὡς δ' αἴθωνα λέοντα βοῶν ἀπὸ μεσσαύλοιο
ἐσσεύοντο κύνες τε καὶ ἀνέρες ἀγροιῶται,

— — — — —

ὁ δὲ κρειῶν ἐρατίζων
ἰθύει, ἀλλ' οὔτι πρήσσει· θαμέες γὰρ ἄκοντες
ἀντίοι ἀΐσσουσι θρασειάων ἀπὸ χειρῶν,
καιόμεναί τε δεταί, τάς τε τρεῖ ἐσσύμενός περ.

LIB. XIII.

V. 19. ὣς ἄρ' ἔφη Τρώων τις ἐεργόμενος φρένα οἴνῳ. Hunc hiatum Quintus non admisit. Vox οἶνος enim, quamquam ei interdum apud Homerum videtur digamma fuisse, multis tamen aliis locis eo adminiculo caret, quos attulit *Spitznerus* de v. Gr. h. p. 134 sq. Itaque quum a Quinto praeterea nusquam ante οἶνος hiatus sit, hic quoque scribendum est φρένας, ut apud Homerum ι. 454. τ. 122. δαμασσάμενος φρένας οἴνῳ et βεβαρηότα με φρένας οἴνῳ legitur.

V. 110.

τῆς δ' οὔτι μίτρης ἔτι μέμβλετο λυγρῆς.

Cur fascia papillaris dicatur λυγρή, equidem non perspicio. Potius de Troianis mulieribus ipsis hoc dicendum erat: scribas igitur λυγρῇς. Vid. infra v. 115 sq. μοῦνον δ' ἄρα χερσὶ θοῇσιν αἰδῶ ἀπεκρύψαντο δυσάμμοροι. XIV. 520. αὐτοῖς ἅμα δούρασι λυγροὶ κάππεσον ἐς μέγα βένθος. 544. οἷς ἅμα λυγραὶ σπεῦδον ἀποφθίσασθαι. Cf. X. 375.

V. 162.

Τρῶες γὰρ ὅσοι φθάσαν ἐκ μεγάροιιν·
ἢ ξίφος ἢ δόρυ μακρὸν ἑῆς ἀνὰ χερσὶν ἀεῖραι.

Quid dualis h. l. sibi velit, non poterit explicari. Aut ἐν μεγάροισιν, aut, quod *Hermanno* placet, ἐκ μεγάροιο scribendum.

V. 183. γηραλέου κλάσθησαν ἄδην ἐνὶ σώματι γυῖα. Non *intus in corpore* abdita latent membra; itaque scribendum ἐπὶ σώματι.

V. 220 sq.

ἔνθα καὶ αὐτῷ
δυσμενέων βασιλῆι κακὰ φρονέων ἐνέκυρσεν.

Scribendum puto ἐν δὲ καὶ αὐτῷ etc. Similes locos supra attuli ad II. 1. III. 267.

V. 250.

καὶ τὸν μὲν πότμος εἷλε· κακῶν δ' ὅγε λήσατο πολλῶν.

Quid, *multorum* tantummodo moriens ille obliviscitur malorum? Quidni *omnium*? Sine dubio scribendum est πάντων. Cf. infra v. 399. ἄφαρ δ' ὅγε λήσατο πάντων. IX. 479. εὐτροχάλῳ δ' ἐνὶ κοίλῃ κάλλιπε κήδεα πάντα, τά οἱ περιδάμνατο θυμόν. Oppian. Cyneg. II. 428. de mortuis: καὶ φύγον ἄλγεα

πάντα. Contra XIII. v. 474. scribendum putaverim: *καὶ τὰ μὲν ἀκλέα πολλὰ καὶ οὐκ ἀρίδηλα γεγῶτα κυδήεντα τίθησι.* Non *omnia* enim, quae ignobilia fuerunt, postea honorem et titulos accipiunt.

V. 262 sq.

τῇ δ' ἐξόπιθεν κακὸν ἄλλο
ἔλθῃ, ἐπεί κε λέοντες ἀναρπάξωσι καὶ αὐτήν.

Scripsisse poetam arbitror: *ἐπεί ἑ λέοντες* etc.

V. 345 sqq.

οὕνεκά οἱ χρυσοῖο καὶ ἄλλων ἐν κτεάτεσσιν
ὅσσα σάοι φεύγοντα καὶ ἀλλοδαπὴν ἐπὶ γαῖαν,
τῶν πάντων προβέβουλεν ἑὸν πατέρ' ἠδὲ καὶ υἷα.

Ita haec audacter cum *Rhodomanno* scripsit *Tychsenius.* Nam pro *ἄλλων* in Aldina *ἄλλοις*, pro *ὅσσα* autem *ἄνδρα* legitur. Nec tamen illa satisfaciunt; restat enim illud *οἱ* satis importunum, quod quo referendum sit non facile aliquis dicat; tum etiam mira est illa locutio: *ἄλλων ἐν κτεάτεσσιν.* Equidem a Quinto locum ita profectum esse puto:

οὕνεκα καὶ χρυσοῖο καὶ ἄλλ' ὅσ' ἐνὶ κτεάτεσσιν
ἄνδρα σάοι φεύγοντα καὶ ἀλλοδαπὴν ἐπὶ γαῖαν,
τῶν πάντων προβέβουλεν ἑὸν πατέρ' ἠδὲ καὶ υἷα.

Constructionem paullo impeditiorem eo mitigat, quod sequenti membro verba praeponit *τῶν πάντων.*

V. 383 sq.

τοὔνεκ' ἄρ' οἳ μὲν ὄλοντο πρὸ τείχεος, οἳ δ' ἀνὰ ἄστυ
τερπόμενοι παρὰ δαιτί, παρ' ἠϋκόμοις ἀλόχοισιν.

Alii Troiani perierunt in ipso bello contra Graecos pro moenibus pugnantes, alii in ipsa urbe. Sed horum duplex distingui genus, quorum alii in coena, alii in lectis ab hostibus oppressi sint, et res ipsa suadet, et aperta ostendit Tzetzae imitatio, qui in Posthomericis v. 726. de Troianis dicit:

κτεινομένων κατὰ νύκτα περὶ κρητῆρσι καὶ εὐνῇ.

Eandem sententiam qui eo, quem tractamus, loco ita restituendam esse censeat, ut post *ἠϋκόμοις* inseratur copula *τέ*, ei equidem non assentiam propter insolentem eius particulae collocationem. Potius Quintus ita scripsisse videtur: *παρὰ δαιτὶ καὶ ἠϋκόμοις ἀλόχοισιν.*

V. 394. *ἐπὶ ξίφος αὐχένι κῦρσαι*

Haec verba equidem non tentaverim, maxume etiam ob lo-

cum Homeri Ψ. 821. αἰὲν ἐπ' αὐχένι κῦρε φαεινοῦ δουρὸς ἀκωκῇ. Videtur Quintus eodem modo, ut Apollon. Rhod. I. 1254. γυμνὸν ἐπαΐσσων παλάμῃ ξίφος dixit, ita ille h. l. κῦρσαι transitiva quodammodo vi cum accusativo iunxisse. Quae *Bonitzius* l. c. p. 1223. de h. l. scripsit, ea argutius quam verius disputata sunt, ut cum dicit Menelaum gladio e manu elapso non habere, quem admoveat, gladium. Ea autem, quam ipse protulit coniecturam, si in libris inveniretur, per aliam coniecturam expellenda esset. Quis enim hanc toleret verborum structuram: „ἐπὶ ξίφος αὖ χερὶ κῦρσαι, manu iterum niti ad gladium?" — Eadem etiam *Spitzneri* est sententia l. c. p. 1183.

V. 451 sq.

ἄλλῳ δ' αὖ φεύγοντι διὰ μεγάροιο μεσόδμη
ἔμπεσε καιομένη, ἐπὶ δ' ἤριπεν αἰπὺν ὄλεθρον.

Postrema laborant, quia ἤριπεν si eo capitur significatu, quo solo usurpatur, *irruit*, stare non potest accusativus αἰπὺν ὄλεθρον. Iam *Rhodomannus* probe haec intelligens dubitanter proposuit ἐπὶ δ' εἴρυσεν. Sed alienum est h. l. verbum *trahendi*. Poeta aut ἐπὶ δ' ἤριπεν αἰπὺς ὄλεθρος, aut, quod equidem praetulerim, ἐπὶ δ' ἔρριφεν αἰπὺν ὄλεθρον, i. e. „incidit columna mortemque *iniecit*," scripserat.

V. 496 sqq.

καὶ τότε Δημοφόωντι, μενεπτολέμῳ τ' Ἀκάμαντι
Θησῆος μεγάλοιο δι' ἄστεος ἤντετο μήτηρ,
καίπερ ἐελδομένη.

Καίπερ ἐελδομένη significat *quamvis exoptans*, non, quod *Rhodomannus* voluit, *id sane exoptans*. Illud vero plane alienum est ab hoc loco. Quomodo enim Aethrae desiderium nepotes inveniendi impedimento esse potuit, quominus eos inveniret? Locus sine dubio corruptus est. Sed medicinam certam equidem ei nondum inveni. Fortasse tamen scripserat Quintus καίπερ ἀλωομένη. Quamvis temere vagaretur per urbem Aethra, tamen, cum deus eam duceret, incidit in nepotes.

V. 541 sq.

ἀμφὶ δὲ δῶμα
ἡδύ τι μυρομένων γοερὴ περιπίπτατ' ἰωή.

Quid in primo Theocriti versu, ἁδύ τι τὸ ψιθύρισμα etc., pronomen indefinitum significet, haud ignoro; idem quid h. l. sibi

velit, nescire me fateor. Neque id a Quinto profectum erat, qui potius ἡδὺ κινυρομένων dederat, ut infra XIV. 172. ἡδὺ γοώντων scripsit. Κινύρεσθαι autem ut h. l., ita etiam VI. 81. et XIV. 384. de hominum lamentationibus dicitur; et similiter XIV. 32, ubi ex Aldinae vestigiis restituas:

νηπιάχοις ἅμα παισὶ κινυρόμεναι μάλα λυγρῶς.

Aldina enim κινύμεναι praebet, quod cur a *Tychsenio* audacius mutaretur in κινυρομένοις, plane nulla erat caussa. — Tum περιπέπτατ᾽ aut περιίπτατ᾽ ἰωή corrigas.

LIB. XIV.

V. 63 sq.

ὡς δ᾽ ὅτ᾽ ἀλωομένοισι δι᾽ ἀκαμάτοιο θαλάσσης
πατρὶς ἑὴ μετὰ δηρὸν ἐπευχομένοισι φανείη.

Rhodomannus ἐπευχομένοισι vertit *exoptantibus*. Sed ἐπεύχομαι aut *preces ad aliquem fundere*, aut *super aliqua re gloriari* significat. Itaque vix poterat h. l. tam nude poni eo quo voluit *Rhodomannus* sensu. Nam IV. 42. VI. 88, ubi fere ita ponitur εὐχομένοισι, sermo est de diis eorumque beneficiis, ita ut, quorsum referendum sit verbum, dubitari nequeat. Itaque h. l. scripsisse poetam censeo: μετὰ δηρὸν ἀποιχομένοισι, quo commodissume indicatur, diu nautas a patria abfuisse. Cf. Homerus δ. 109. δηρὸν ἀποίχεται, et φ. 70. ἀνδρὸς ἀποιχομένοιο πολὺν χρόνον.

V. 159 sqq.

καί με πάρος μεμαυῖαν ὀϊζυρῶς ἀπολέσθαι
— — — — — — —
εἶργον ἐπὶ μεγάροισι.

Ita edidit *Tychsenius*, cum in Aldina atque codicibus *Schowii* legeretur versu pessumdato καί με μεμαυῖαν. Nullo modo autem defendi potest illud πάρος. Nam eo ipso tempore, cum mortem sibi inferre parata fuisset, a Troianis se prohibitam esse Helena narrat. Ex variis *Rhodomanni* commentis mihi quidem nihil, ut memoretur, dignum videtur, nisi καί μ᾽ αἰεὶ μεμαυῖαν. Sed et lenior videtur mutatio et accommodatior ad

Helenae paratissumum morti animum describendum: *καί μέ. μέγ' ἐμμεμαυῖαν.*

V. 197 sq.

μακροὶ δέ οἱ ἄχρις ἐπ' αἰθρην
ὄζοι ἀπηέξηνθ'.

Aut, quod codd. *Schowii* praebent, *ἐπηέξηνθ'*, aut *ἀνηέξηνθ'* scribendum, qua voce Coluthus v. 245. (*γαῖα — ἄνθος ἀνηέξησε*) et Quintus ipse I. 460. (*πόνος — θυμὸν ἀνηέξησε*) usi sunt.

V. 263 sqq.

ὡς δ' ὁπότε βριαρῷ ὑπὸ χείματι καρπὸς ἐλαίης,
οὔπω χειμερίῃσι μελαινόμενος ψεκάδεσσι,
χεύῃ πολλὸν ἄλειφα, περιτρύζωσι δὲ μακρὰ
ἄρμεν' ὑπὸ σπάρτοισι, βιαζομένων αἰζηῶν.

Absurda sunt versu primo verba *ὑπὸ χείματι* (*sub hiemem* vertit ea *Rhodomannus*). Quomodo enim fructus olivae, nondum ille hiemis frigore laesus (hoc enim cavebatur; cf. Martial. epigr. VII. 31. 4.), hac ipsa hieme pressus oleum fundere dici possit, equidem non intelligo. Accedit quod e sequentibus clarissume apparet, sermonem esse de olivis non sub dio tempestatis duritie expressis, sed hominum opera in praelo contusis. Ne te morer, Quintus *ὑπὸ χέρματι* scripsit. Lapidibus enim succus ex olivis torquebatur. Vid. Nonn. V. 258 sqq.

πρῶτον ἐϋρραθάμιγγος ἀλείφατος εὗρεν ἐέρσην,
καρπὸν ὅτε βρίθοντι ταμὼν μυλοειδέϊ πέτρῳ
πίονας ὑγροτόκοιο γονὰς ἔθλιψεν ἐλαίης.

et XXIX. 187 sqq. *καὶ ἀντιβίων ὀλετῆρα,*
ἠθάδι χειρὶ τίταινε βαρὺν λίθον, οἷον ἐρείσας
πιαλέης ἔθλιψε χυτὰς ὠδῖνας ἐλαίης.

Versu autem 265. obiter moneo corrigendum esse *περιτρίζωσι*, secundum ea, quae monuit *Wernickius* ad Tryphiod. p. 285 sqq.

V. 302.

ὣς φαμένης ἄλληκτα κατὰ βλεφάρων χεύοντο
δάκρυα.

Versus caussa corrigendum erit *ἐχέοντο*, ut in eodem fere versu legitur X. 432.

V. 327 sq.

δὴ τότε παύσατο κῦμα, κατευνήθη δὲ θύελλα
σμερδαλέη, καὶ οἶδμα κατεπρήϋνε γαλήνη.

Ita haec e coniectura *Pauwii* edidit *Tychsenius*, metro pessumdato. Legebatur haud multo melius in antiquis editionibus *καὶ κῦμα κατεπρήϋνε γαλήνη*, male repetito vocabulo *κῦμα*. Locum tractaverunt *Wernickius* ad Tryph. p. 493, qui audaci coniectura *καὶ πόντον ὑπεπρήϋνε γαλήνη* legendum suspicatus est, et *Gerhardus* in lectt. Apollon. p. 164, cui totus versus ex interpolatione natus videbatur, credo, quia eum probabiliter emendare non poterat. Atqui hoc facile erat. Quintus enim solito vocabulo *καὶ χεῦμα* scripserat.

V. 399 sqq.

Τρώων δ' ὅσσοι ἄλυξαν ἀνηλέος ἐκ πολέμοιο,
ἀγρόμενοι κατὰ ἄστυ, περὶ νέκυας πονέοντο,
θαπτέμεναι μεμαῶτες· ἄγεν δ' ἀλεγεινὸν ἐς ἔργον
Ἀντήνωρ· αὐτοὶ δὲ πυρὴν πολέεσσι τίθεντο.

Vitiosum esse illud *αὐτοί* et ego iam olim intellexi, et nuper *Bonitzius*, qui probabili sane coniectura l. c. p. 1242. *παῦροι δὲ πυρὴν* etc. reponendum esse putavit; id quod probavit etiam *Spitznerus* l. c. p. 1180. Tamen me non poenitet alius emendationis, qua aliquando *αὐτὴν δὲ πυρὴν πολέεσσι τίθεντο* a poeta profectum esse suspicatus sum. Habet ea inde commendationem, quod alioquin, vel recepta *Bonitzii* lectione, mirus videtur singularis *πυρήν*. Solebant autem, ubi multi ceciderant, unum omnibus simul rogum exstruere. Vid. VII. 161 sqq.

πληθὺν δ' αὖτ' ἀπάνευθε δαϊκταμένων ἡρώων
θάψαν ἀκηχέμενοι μεγάλῳ περὶ πένθεϊ θυμόν,
πυρκαϊὴν ἅμα πᾶσι μίην περινηήσαντες
καὶ τάφον.

et Nonnum XL. 220 sqq.

πρῶτα μὲν ἐκτερέϊξεν ἀτυμβεύτων στίχα νεκρῶν,
δωμήσας ἕνα τύμβον ἀπείριτον εὐρέϊ κόλπῳ
ἄκριτον ἀμφὶ πυρὴν ἑκατόμπεδον.

Uterque hausit ex Homero *H.* 430 sqq.

ὣς δ' αὔτως ἑτέρωθεν ἐϋκνήμιδες Ἀχαιοὶ
νεκροὺς πυρκαϊῆς ἐπενήνεον ἀχνύμενοι κῆρ·
ἐν δὲ πυρὶ πρήσαντες ἔβαν κοίλας ἐπὶ νῆας.
ἦμος δ' οὔτ' ἄρ πω ἠώς, ἔτι δ' ἀμφιλύκη νύξ,
τῆμος ἄρ' ἀμφὶ πυρὴν κριτὸς ἔγρετο λαὸς Ἀχαιῶν.
τύμβον δ' ἀμφ' αὐτὴν ἕνα ποίεον ἐξαγαγόντες.

Cf. ibid. v. 336. — Duces solebant procul a ceterorum turba sepeliri, ut apud Quintum I. 820 - 822. Podarces, IX. 43 sq. Eurypylus. Interdum duo eodem in tumulo condebantur, uti Machaon et Nireus VII. 16. (ubi corrigendum est: αὐτὸν περὶ σῆμ' ἐβάλοντο). Cf. Homer. ω. 80 sq. — Ad verborum autem singulorum oppositionem, non ad rem ipsam spectant, quae similia dixit Theocritus XIII. 33. πολλοὶ δὲ μίαν στορέσαντο χαμεύναν, et XXII. 30 sq. ἔνθα μιᾶς πολλοὶ κατὰ κλίμακος — ἄνδρες ἔβαινον. — Quantopere autem conveniat Troianis ex populariam caede relictis, ut horum multa cadavera uno in rogo comburant, non opus est pluribus explicetur.

V. 481 sqq. de Aeolo:

χερσὶν ὑπ' ἀκαμάτῃσιν ὄρος μέγα τύψε τριαίνῃ,
ἔνθ' ἄνεμοι κελαδεινὰ δυσηχέες ηὐλίζοντο
ἐν κενεῷ κευθμῶνι.

Non satis perspicio, cur antrum illud, in quo habitare finguntur venti, κενεὸν κευθμῶνα poeta appellet. Nam non satis intelligitur, quibus rebus vacua illa spelunca cogitetur. Si tamen eam vocem posuit poeta, κενεὸς dictum debet esse de antro, quod, cum intus plane vacuum sit atque nulliusmodi rebus impletum, iam magnum spatium capiat, ita ut κενεὸς idem fere sit ac *vastus* vel *cavus*. Cf. Virg. Aen. I. 52 sqq.

hic *vasto* rex Aeolus antro
luctantes ventos tempestatesque sonoras
imperio premit, ac vinclis et carcere frenat.

ibid. 81 sqq.

haec ubi dicta, cavum conversa cuspide montem
impulit in latus, ac venti, velut agmine facto,
qua data porta, ruunt, et terras turbine perflant.

Si tamen κενεὸν eam non habet significationem, fortasse scribendum erit ἐν κοινῷ κευθμῶνι, i. e. in communi latibulo. Nam eodem in antro omnes ventos conclusos cogitari, et ex Quinti et ex Virgilii verbis apparet.

V. 507.

Ποσειδάων γὰρ ἀνηλέα πότμον ὄρινεν,
ἦρα κασιγνήτοιο φέρων ἐριкυδέϊ κούρῃ.

Non potuit ita nude dici de Neptuno Graecis perniciem parante πότμον ὄρινεν. Mare ille excitavit, ut turgidum fieret. Itaque scribendum πόντον ὄρινεν, quod et antecedentibus et sequentibus mirum quantum commendatur.

V. 551.

σχίζετο δ' ἁλμυρὸν οἶδμα ποτὶ κρατερῇσι χέρεσσιν

Non satis intelligo *ποτί*. De natante, qui undique undis circumdatus alluitur, multo significantius est περὶ κρατερῇσι χέρεσσιν.

V. 557 sqq. πολλοὶ δὲ μὲν ἔνθα καὶ ἔνθα
σβεννύμενοι σμαράγιζον ἔσω πόντοιο κεραυνοί.

Consociari h. l. non poterant particulae δὲ μέν. Quod perspiciens *Spitznerus* l. c. p. 1174. πολλοί γε μέν coniecit. Sed equidem praestare putaverim πολλοὶ δὲ μέγ' ἔνθα καὶ ἔνθα etc.; tum μέγα coniungendum est cum verbo σμαράγιζον.

His, quae hucusque de singulis Quinti locis vario modo corruptis disputata sunt, adiicere iam placet brevem quaestionem de singulari corruptelae genere, qua, ut verum fatear, multo saepius poeta depravatus esse mihi videtur, quam iis visus est, qui adhuc de eo scripserunt. *Lacunas* dico *unius aut plurium versuum*, quarum cum aliquam partem *Tychsenius* codicum ope expleverit (vid. praefat. p. CII.), restare tamen mihi etiam plures videntur, quam quas idem in praefat. p. XCVI. superesse indicavit. Is autem, qui nuper hunc quoque locum attigit, *Bonitzius* l. c. 1242, et parciora super ea re scripsit, et omnino aegre tantum sibi persuadere potuit, versus hic illic in Quinto librariorum incuria omissos esse. Ita factum est, ut et locos a lacunae suspicione vindicare studeret, in quibus apertissuma sunt defectus indicia (I. 503 sqq. IX. 44 sq.), et l. c. p. 1228. hanc pronuntiaret sententiam: „lacunam statuere in primis tribus libris e codice Monacensi ad integritatem restitutis magnopere dubitabimus.“ Id vero mire conclusum est. Quod enim ex eo libro *aliquot* locis feliciter lacunae expletae sunt, quomodo inde sequitur, *omnibus* locis id factum, neque ullum iam relictum esse, ubi aliquid deesse suspicari possis? Et refragatur ei opinioni ipse Monac., qui et aliis rebus imperiti scribae prodit negligentiam (eo maior autem libri erat auctoritas), et interdum vel ea omittit, quae in Aldina leguntur. Integer versus in eo desideratur XII. 294.

τοὔνεκα ῥηιδίῃ μὲν ἐς ἀργαλέην κακότητα,

temere duo versus I. 95 sq. in unum conflantur hoc modo:

Ἀργείων, οὐδέ τι ἤδη ἐϋμελίην Ἀχιλῆα,

versum in exitu mutilatum praebet II. 537. sic:

χείματος ἀρχομένου, μετὰ τηλεθόωσ —
ubi *Hardtii* manus ex Aldina allevit: αν ὀπώρην.

Itaque iam nobis hic illic aliquid intercidisse suspicantibus neque Monacensis, neque alius codicis obiiciatur auctoritas, si quidem non temere, sed argumentis probabilibus innisi eam protulerimus sententiam. Sed ne huius libelli fines nimis egressus esse coarguar, maxuma iam utar brevitate, ut et de iis locis, in quibus iam alii recte aliqua omissa esse iudicaverunt, nihil adiiciam, et ubi ipse lacunam mihi deprehendisse videar, eius suspicionis caussam quam potero paucissumis verbis indicem. Non enim hanc de lacunis quaestionem ad finem sum perducturus, quae res amplioris esset laboris, quam cui nunc vacare licet; verum satis habebo, si ei, quicunque hunc locum olim rite pertractaturus est, pauca quaedam subsidia administravero, apud omnes autem eam labefactavero opinionem, codicibus a *Tychsenio* collatis Quinti carmen pristinae integritati fere esse restitutum. Fortasse aliquando apparebit, temporis iniuria multo maiorem huic carmini illatam esse iacturam, quam hucusque homines docti putaverunt. Neque vero dubito, quin ex iis locis, quos in lacunae suspicionem vocaturus sum, alii aliis integri videantur, cum et omnino difficillumum sit hoc genus disputandi, et maxume lubricum ei, qui primus id instituere audet. Aliis locis ipse dubius haereo, utrum corrupti tantum an mutilati sint. Ut tamen confidam, me non prorsus in devia aberraturum esse, permovet me ipsius *Hermanni* auctoritas, qui et multis in locis meam lacunarum suspicionem probavit, et vero etiam de aliis, quibus ego emendando succurrere studebam, idem statuendum esse acutissume perspexit.

In *libro primo*, ubi tres versus (40. 206. 751.) e codicibus adiecit *Tychsenius*, quatuor locos superesse arbitror, quibus aliqua intercidisse probabiliter demonstrari potest; duobus aliis locis res magis dubia videatur.

Etenim statim v. 9—14. haec de Troianis, Achillem expavescentibus, leguntur:

μνησάμενοι προτέρων, ὁπόσων ἀπέταμνε κάρηνα,
θύων Ἰδαίοιο περὶ προχοῇσι Σκαμάνδρου,
ἠδ' ὅσσους φεύγοντας ὑπαὶ μέγα τεῖχος ὄλεσσεν,
Ἕκτορά θ' ὡς ἐδάμασσε καὶ ἀμφ' εἴρυσσε πόληι,
ἄλλους θ' ὡς ἐδάϊξε δι' ἀκαμάτοιο θαλάσσης,
ὁππότε δὴ ταπρῶτα φέρε Τρώεσσιν ὄλεθρον.

Hic quaedam deesse apparet primum e lectionis varietate, quam Aldina et cod. Monac. hanc praebent: v. 9. μνησάμενοι] μνῆσαν M. — ὁπόσ. ἀπέταμνε κάρηνα] ὁπόσ. ἀπὸ θυμὸν ἴαψεν M. — v. 10. θέων M. — προχοῆς MA. — v. 11. ὅσους A. — φεύγοντες παίων μέγα M. — v. 12. καὶ ἀμφ᾽ εἴρυσσε πόληι] sic M., nisi quod coniunctim ἀμφείρυσσε; contra ἦμαρ ἔρυσσε πόληων A. — v. 13. ἄλλους θ᾽ οὓς ἐδ. MA. — v. 14. τὰ πρῶτα (ut solet) M. — φέρεν τεκέεσσιν ὄλεθρον M. — In hac lectionis varietate, certe quae ad exitum v. 9. et v. 12. notavi, non poterunt ex sola librariorum oscitantia orienda putari. Haec autem ut pro particulis versuum deperditorum habeamus, adsunt duo alia argumenta, alterum petitum e v. 13. et 14, qui si intelligendi sunt, uti fecerunt interpretes, de urbibus insularibus ab Achille dirutis (cf. Homer. *I.* 328. *γ.* 103 sqq. Quint. IV. 150 sq.), poeta et obscurius et vero ineptissume locutus est propterea, quod Achilles illas duodecim urbes marinas non diruerit, *cum primum Troianis perniciem inferret*, sed dum urbs a ceteris oppugnabatur. Cf. *A.* 164 sqq. et maxume *γ.* 103 sqq. Itaque illi versus intelligendi essent de prima Graecorum cum Troianis pugna, cum hi illos, quominus appellerent, prohibere conarentur, qua in pugna et Protesilaum et Cycnum cecidisse constat. Tum interpungendum esset post ἐδάϊξε, ut verba δι᾽ ἀκαμάτοιο θαλάσσης cum sequentibus iungantur. Sed hoc ipsum magnopere displicet. Postremo si comparaveris IV. 145 sqq. VII. 378 sqq. XIV. 128 sqq., ubi etiam facinora Achillis commemorantur, mentio ibi sane iniicitur urbium ab Achille pedestri et navali expeditione captarum. Eas autem hic quoque commemoratas fuisse, et per se probabile est, et suadere videtur corrupta illa versus clausula: καὶ ἦμαρ ἔρυσσε πόληων, quam haud scio an paullo melius exhibeant codd. Neapol. Venet., et Vatic. *Γ.* apud *Schowium* sic: καὶ ἦμαρ ἔλυσε πόληων. His caussis ductus ego et circa v. 9. et post v. 12. plures versus intercidisse statuo. In quibus quid circa v. 9. dictum fuerit, haud facile quis divinaverit; sed post v. 12. urbium ab Achille eversarum mentionem factam esse probabile est.

Secundus locus, quem mutilatum censeo, legitur v. 279 sqq.

κτεῖνε δ᾽ ἄρ᾽ Ἰτυμονῆα καὶ Ἱππασίδην Ἀγέλαον,
οἵ ῥ᾽ ἀπὸ Μιλήτοιο φέρον Δαναοῖσιν ὁμοκλὴν
Νάστῃ ἅμ᾽ ἀντιθέῳ καὶ ὑπ᾽ Ἀμφιμάχῳ μεγαθύμῳ,
οἳ Μυκάλην ἐνέμοντο Λάτμοιό τε λευκὰ κάρηνα,

Βράγχου τ' ἄγκεα μακρὰ καὶ ἠιόεντα Πάνορμον,
Μαιάνδρου τε ῥέεθρα βαθυρρόου.

Mirum est Nastem et Amphimachum in tam vastis et multis regionibus dici habitasse. Iam compara Homer. *B.* 867 sqq. unde Quintus sua hausit:

Νάστης αὖ Καρῶν ἡγήσατο βαρβαροφώνων,
οἳ Μίλητον ἔχον Φθειρῶν τ' ὄρος ἀκριτόφυλλον,
Μαιάνδρου τε ῥοὰς Μυκάλης τ' αἰπεινὰ κάρηνα·
τῶν μὲν ἄρ' Ἀμφίμαχος καὶ Νάστης ἡγησάσθην.

Vides eum locorum tractum, qui Quinti verbis, uti quidem nunc leguntur, solis Amphimacho et Nastae adscribitur, ab Homero toti adsignari Carum populo, cui duo illi viri praesunt. Hinc apparet post v. 281. versum excidisse huius fere sententiae:

[*τοὶ γὰρ δὴ Καρῶν ἡγήτορες ἦσαν ἁπάντων,*]
οἳ Μυκάλην ἐνέμοντο κτλ.

De *tertio loco* v. 503 sqq., ubi *Tychsenius* v. 504. pessuma coniectura *ἀφραδίῃσιν* intulit, non opus est pluribus exponatur, cum et *Rhodomannus* iam lacunam ibi post v. 505. esse intellexerit, et nuper eiusdem sententiae gravissumus defensor *Spitznerus* l. c. p. 1170 sq. exstiterit, qui et ipse *Bonitzium* confutavit, remota lacunae suspicione v. 505. *λαὸν ἑλόντες* pro *Λαομέδοντος* scribentem l. c. p. 1229. Quale fuerit, quod periit, ex Homero *E.* 638—42. 648—51. facile colligi potest.

Ultimus locus, in quo certa lacunae signa detexisse mihi videor, est v. 633 sqq.

ὡς δ' ὅτ' ἀν' εὐρέα πόντον ἐπιβρίσαντος ἀήτεω
ναῦται, νῆ' ὀλέσαντες, ὑπεκπροφύγωσιν ὄλεθρον
παῦροι, πολλὰ καμόντες ὀϊζυρῆς ἁλὸς εἴσω,
ὀψὲ δ' ἄρα σφίσι γαῖα φάνῃ σχεδὸν ἠδὲ καὶ ἄστυ,
τοὶ δὲ μόγῳ στονόεντι τετρυγμένοι αἶψά γε πάντες
ἐξ ἁλὸς ἀΐσσουσι μέγ' ἀχνύμενοι περὶ νηὸς
ἠδ' ἑτάρων, οὓς αἰνὸν ὑπὸ ζόφον ἤλασε κῦμα.

Hic cum in Aldina v. 637. tantum legeretur *αἶψα πάντες*, nec ferri posset quod versui fulcrum *Tychsenius* adiecit *γε*, ego olim conieci scribendum esse *αἶψ' ἅμα πάντες*, usitatissuma Quinto locutione (vid. I. 175. 743. II. 130. 550. III. 168. IV. 30. V. 269. VI. 514. VII. 110. 520. VIII. 168. XII. 177. 427. XIII. 215. XIV. 468; recte restituta XII. 544. a *Spitznero*

mant. obss. p. 263., restituenda certissume II. 530. XII. 211. 422. XIII. 56. 143. et fortasse etiam II. 474. IV. 443.). Sed neque hac, neque eleganti *Spitzneri* de v. Gr. her. p. 39. emendatione *τετρυμένοι ἄψεα πάντα* locum persanatum esse putaverim. Cum enim in cod. Monac. legatur perspicue *αἶψα δὲ πάντες,* equidem ante haec vocabula unum versum excidisse arbitror, quo expositum erat nautas illos *nando* ad terram evasisse. Hoc enim et per se iam desideratur, et diserte traditur in Homeri loco ψ. 232 sqq., quem sine dubio expressit Quintus:

ὡς δ' ὅτ' ἂν ἀσπάσιος γῆ νηχομένοισι φανήῃ,
ὧντε Ποσειδάων εὐεργέα νῆ' ἐνὶ πόντῳ
ῥαίσῃ ἐπειγομένην ἀνέμῳ καὶ κύματι πηγῷ·
παῦροι δ' ἐξέφυγον πολιῆς ἁλὸς ἤπειρόνδε
νηχόμενοι, πολλὴ δὲ περὶ χροῒ τέτροφεν ἅλμη·
ἀσπάσιοι δ' ἐπέβαν γαίης, κακότητα φυγόντες.

Itaque, recepta etiam *Spitzneri* emendatione, locum ita *fere* a Quinto profectum esse puto:

τοὶ δὲ μόγῳ στονόεντι τετρυμένοι ἄψεα πάντα
[νηχόμενοι μόγις ἦλθον ἐπὶ ξερόν·] αἶψα δὲ πάντες
ἐξ ἁλὸς ἀΐσσουσι κτλ.

Ita et id adiicitur, quod aegre desideratur, et quomodo versus omitti potuerit intelligitur. Contra infra XIII. 309—315. comparatio Aeneae instituitur cum nauta, qui nave undis disiecta *in cymbam* ingressus perniciem effugit.

Iam de duobus locis dicendum est, de quibus sane magis dubitari potest, utrum in iis lacunae statuendae sint necne.

V. 486 sq. legitur:

μινυνθάδιοι δὲ πέλοντο
πάντες, ὅσους ἐκίχανεν ἀνὰ κρυερὸν στόμα χάρμης.

Penthesileae, cuius nomen ad haec verba repetendum esse apparet, postremo mentio facta erat v. 477; decem, qui intercedunt, versibus sermo fuerat de Achivorum fugientium pavore. Itaque quoniam durius est, illius nomen ad hunc versum cogitando repetere, fortasse unus post hunc periit versus huius fere sententiae:

δεινὴ Πενθεσίλεια, μέγ' ἔγχεϊ μαιμώωσα.

Tum v. 621 sq. haec leguntur:

ἠδ' ὤκα μίγη κονίῃ καὶ ὀλέθρῳ
εὐσταλέως ἐριποῦσα κατ' οὔδεος· οὐ δέ οἱ αἰδὼς
ᾔσχυνεν δέμας ἠΰ· τάθη δ' ἐπὶ νηδύα μακρήν.

Haec si sana sunt, αἰδὼς non potest esse *pudor*, uti vertit *Rhodomannus*, sed ipsa *pudenda* et quidem *revelata*. Hoc enim dicitur, Penthesileae pulcritudinem non eo esse dehonestatam, quod turpiter resupina ceciderit, pudendis in conspectum datis. Sed nimis breviter atque obscure haec poeta enuntiavit. Itaque etiam post v. 622. versus intercidisse videtur, quo ea res clarius enuntiata erat.

In *libro secundo Tychsenius* addito e codd. versu 76. nullam videtur restare putavisse lacunam. Tamen non dubito quin versus desit inter v. 415. et 416, qui nunc ita leguntur:

σχέτλιε, τίπτε σὺ Τρῶας ἀνηλεγέως ὀλέεσκες.
πάντων εὐχόμενος πολὺ φέρτερος ἔμμεναι ἀνδρῶν,
μητρός τ' ἀθανάτης Νηρηΐδος.

Haec profecto mire cohaerent. Nam quicunque hos versus legerit, genitivos μητρὸς ἀθανάτης Νηρηΐδος a comparativo φέρτερος pendere putaverit. Nec magnopere locum adiuvabis, si pro copula τὲ particulam adversativam δὲ reposueris. Sine dubio versus periit huius fere sententiae:

πάντων εὐχόμενος πολὺ φέρτερος ἔμμεναι ἀνδρῶν
[κάρτεϊ· καὶ γενεὴν μεγάλου Διὸς ἔμμεναι αὐτοῦ]
μητρός τ' ἀθανάτης Νηρηΐδος etc.

Similia vid. v. 434 sq. XIV. 254.

Paullo incertius iudicium erit de his locis: v. 336 sq. Nestor dicit:

ὅμως δ' ἔτι φέρτερός εἰμι
πολλῶν ἀνθρώπων, παύροισι δὲ γῆρας ὑπείκει.

Postrema, si plena sunt, ita explicanda erunt: „paucis autem *mea* cedit senectus," i. e. paucis cedo ego senex. Sed tamen haec obscurius enuntiata sunt. Itaque nescio an post v. 337. versus omissus sit huius sententiae:

παύροισι δὲ γῆρας ὑπείκει
[ἡμέτερον, τοῖσίν τε πέλει κράτος ἠδὲ καὶ ἥβη.]

Post v. 548.

ὃ δ' αἶψα δίωκε μένος μέγα λαίλαπι ἶσος

fortasse versus periit eiuscemodi: Πηλείδης ἐρίθυμος ὑπ' ἔγχεϊ Τρῶας ἐναίρων. Nam inde a v. 543, ubi postremo

Achillis mentio facta est, multa interiecta sunt membra, ut iterum commemorari Pelidem fere sit necessarium.

Tum v. 637 sqq. vulgo ita legitur:

ἄγχι δέ οἱ μάλα πολλὰ ποδώκεες ἔστενον ἵπποι,
γαῖαν ἐπιστείβοντες ἀνανθέα καὶ βασίλειαν
ἀχνυμένην ὁρόωντες, ἐελδόμενοι μέγα νόστου.

In his primum offendit vox *ἀνανθέα*, quae nullo modo apte poterit explicari. Cur enim terra dicatur *floribus carens*? Voluitne significare, ipsam Terram floribus vacuam de Aurorae filio luxisse? Atqui hoc accuratius exponendum erat; certe hoc debebat indicari, utrum terra quos haberet flores abiecerit, an omnino nullos eo loco, quo repositus erat Memnon, progenuerit. Nisi fallor, Quintus scripsit *γαῖαν ἐπιστείβοντες ἀήθεα*, i. e. terram concutientes insuetam, cui immorari non consueverant. Frequenter hoc adiectivo recentiores epici usi sunt; cf. VI. 267. de Hercule Cerberum in lucem protrahente: *ἕλκων οὐκ ἐθέλοντα βίῃ πρὸς ἀήθεα χῶρον*, Nonn. IX. 35. *καὶ πόλον ἐσκοπίαζον ἀήθεα*, Coluth. v. 7. *ἀήθεα πόντον ἐλαύνων.* Deinde autem male cohaerent participia hoc modo: „terram non cutientes *et* reginam lugentem videntes, magnopere cursus cupidi.“ Nisi fallor, post v. 639. unus versus periit huius sententiae: *πολλὸν ἐς ἠθάδ' ἀεὶ δρόμον ἠπείγοντο νέεσθαι.*

In *libro tertio Tychsenius* v. 166. 556—58. 681. e cod. Monac. adiecit, nihil, ut videtur, lacunarum praeterea suspicatus. Sunt tamen quatuor loci, in quibus aliquid excidisse putem.

V. 57 sqq.

ὢ πόποι, ὡς ὅγε μαίνετ' ἀνὰ (sic *Spitznerus*) *φρένας· ἀλλά ἑ οὔτι*
οὐδ' αὐτὸς Κρονίδης ἔτ' ἀνέξεται, οὔτε τις ἄλλος
οὕτως μαργαίνοντα καὶ ἀντιόωντα θεοῖσιν.

E ex coniectura scripsit *Tychsenius*, hiatu eo minus tolerabili, quo facilius evitari poterat posito *τὸν* aut *μίν*. Sed et in Aldina et in Monac. legitur *οἷ*, quod non mutandum, sed potius post v. 58. excidisse versum, ex quo aptum fuerit *οἷ*, *Hermannus* me docuit. Initium illius versus fuisse videri: (*οὔτε τις ἄλλος*) *ἀθανάτων.* Hanc ego sententiam nunc eo probabiliorem esse intellexi, quia, nihil si deesse putamus, atque pro *οἷ* aut *μὶν* aut *τὸν* scribimus, imperfecta et ambigua est oratio. Aut enim Apollinis mens haec est, uti eam intellexit *Rhodomannus*:

„at eius nec ipse Iupiter deinceps nec quisquam alius *impetum sustinebit*, dum adeo luxuriat," aut, quod praestaret: „at eum nec Iupiter ipse nec quisquam alius diutius *tolerabit* tam superbe in deos grassantem." Sed haec clarius enuntianda fuerunt.

V. 172 sqq. ὣς ἄρα λαοὶ
Τρώων ἱπποπόλων ἠδ' ἀλλοδαπῶν ἐπικούρων
ὑστατίην Ἀχιλῆος ὑποτρομέεσκον ὁμοκλήν,
ἐλπόμενοί· μιν ἔτ' ἔμμεν ἀνούτατον.

Ita quidem nihil desideratur ad loci integritatem, neque ego aliquid omissum esse suspicarer, nisi et in Aldina et in Monac. legeretur ὑποτρομέοντες, quod quamquam sane facile ita emendari poterat, ut fecit *Tychsenius*, tamen non minus verisimile est, retento participio post ὁμοκλὴν huiuscemodi lacunam statuere: οὔπω οἱ τλῆσαν καὶ βλημένου ἄσσον ἱκέσθαι.

V. 200 sqq.
καί μιν Τρωιάδες μεγάλα φρεσὶ καγχαλόωσαι
ἀμφιπεριστήσονται ἀνὰ πτόλιν, ἠΰτε λυγραὶ
πορδάλιες τικέων κεχολωμέναι ἠὲ λέαιναι
ἀνδρὶ πολυκμήτῳ μογερῆς ἐπιίστορι θήρης·
ὣς Τρωαὶ περὶ νεκρὸν ἀποκταμένου Ἀχιλῆος
ἀθρόαι ἀΐξουσιν ἀπειρέσιον κοτέουσαι.

Praeposteri sunt v. 203. dativi, quos si pendere putes ex κεχολωμέναι, imperfecta est oratio atque verborum structura incommoda. Et plenius comparationem expositam esse expectaveris. Probabilius igitur videatur, post v. 203. huiuscemodi quid desiderare:

πάντῃ ἐπιβρίθουσιν, ὅτ' ἐν ξυλόχοισιν ἐφεῦρον,

quam illos tres dativos accusativis commutare.

V. 702 sqq. καλεσσάμενος δ' ἀλεγεινὸν
καρπαλίμως Βορέην Ζεφύροιό τε λάβρον ἀήτην
ἐς Τροίην προέηκε θοῇ θύοντας ἀέλλῃ.

Hic post v. 703. sine dubio versus intercidit, quo etiam Noti atque Euri mentio facta erat. Cur enim Aeolus solummodo emisisse dicatur Boream et Zephyrum, ad quem secundum v. 699 sq. missus est Mercurius,

ὄφρα καλέσσῃ
λαιψηρῶν ἀνέμων ἱερὸν μένος.

Atque de his, quos rex emisit, ventis v. 710. dicitur: αἶψα πυρῇ ἐνόρουσαν ἀολλέες, quod si quis de duobus tantummodo

dictum esse defendat ex Sophoclis Trach. v. 512. coll. Mosch. II. 48, repugnat etiam v. 718. *εἰς ἑὸν ἄντρον ἕκαστος ὁμοῦ νεφέεσσι φέροντο,* quae non putaverim de duobus tantum scripta fuisse. Quamquam non ignoro, apud Homerum *Ψ.* 195. 208. Boream tantum et Zephyrum ab Achille vocatos ignem in Patrocli rogo excitare.

In *libro quarto* et post v. 524. magnam esse lacunam, et post v. 573. quaedam excidisse, iam indicavit *Tychsenius.* Ego cur et post v. 85. et post v. 99. unum praeterea versum a poeta adiectum esse censeam, pluribus iam supra est expositum. Unus in eodem libro relictus est locus, ubi fortasse etiam defectum esse putaveris, v. 509 sq.

ἵπποι δ' ἐγχριμφθέντες ἐν ἅρμασι ποιπνύεσκον,
ὅππως τις προάλοιτο· πόδας δ' ὑπεκίνυον αὔτως.

Ita quidem *Tychsenius Rhodomanno* duce scripsit, fortasse recte. Sed cum in Aldina legatur *ποιπνύοντες,* non minus verisimile est, versum a librariis praetermissum esse huius sententiae:

ποιπνύοντες
[*ἐς δρόμον ἰσχανόωντες ἐφωπλίζοντο νέεσθαι.*]

Libro quinto v. 502. et 503. e codd. adiecit *Tychsenius,* qui praeterea post v. 157. et 230. lacunam esse suspicatus est. Sed illum quidem locum, de quo dubitanter tantum eam sententiam *Tychsenius* proposuit, a me integrum haberi iam supra significavi. Potuit enim in his:

τοὔνεκα Τρωσὶν ἐφῶμεν ἐΰφροσι τήνδε δικάσσαι

ex ipso verbo substantivum *δίκην* facile suppleri.

Alterum locum nuper a lacunae suspicione defendere conatus est *Bonitzius* l. c. p. 1242, qui eum ita interpungit:

ἀλλὰ τίη μύθοισιν ἐριδμαίνοντε κακοῖσιν
ἕσταμεν ἀμφ' Ἀχιλῆος ἀμύμονος ἀγλαὰ τεύχη,
ὅστις φέρτερός ἐστιν ἐνὶ φθισήνορι χάρμῃ;
ἀλκῆς γὰρ τόδ' ἄεθλον ἀρήιον

hac adiecta interpretatione: *quid stamus ad splendida Achillis arma, verbis malis decertantes, uter nostrum melior sit in pugna? fortitudinis istud, non verborum praemium Thetis posuit.* Et probavit haec ipse *Spitznerus* l. c. p. 1168. Tamen mihi *Tychsenii* iudicium rectissimum videtur. Periit post v. 230. unus versus, quo diserte Aiax ad certamen singulare provocaverat Ulixem, quo appareret, uter eorum pugnando esset superior, veluti:

[ἀλλ' ἄγε χαλκείης πειρήσομεν ἐγχείῃσιν,]
ὅστις φέρτερός ἐστιν ἐνὶ φθισήνορι χάρμῃ.

Iam bene adiicitur, fortitudinis non verborum praemium Achillis arma a Thetide proposita esse. Eiusmodi provocationem et optume convenire ferocienti Aiacis animo quivis intelligit, et diserte Aiacis oratione pronuntiatam fuisse ex verbis Ulixis colligas v. 287.

οὐδὲ μὲν ἐγχείην τρομέω σέθεν,

quibus alioquin non esset, quo referrentur. Idem etiam suadent loci Homerici, quos laudavit *Spitznerus*, *Il.* 631. τῷ οὔτι χρὴ μῦθον ὀφέλλειν, ἀλλὰ μάχεσθαι. Υ. 257. ἀλλ' ἄγε, θᾶσσον γευσόμεθ' ἀλλήλων χαλκήρεσιν ἐγχείῃσιν.

Sed ego praeterea quaedam intercidisse puto circa v. 134, ubi Aiax ad certamen surgens de Achillis armis instituendum Idomeneum, Nestora et Agamemnona iudices expetit:

ᾔτεε δ' Ἰδομενῆ' αὐτὸν καὶ Νηλέος υἷα
ἠδ' ἄρα μητιόεντ' Ἀγαμέμνονα.

Hic duo sunt, quae offendant, primum verbum αἰτέω, quod tam nude positum non poterit intelligi de *iudicibus expetendis*, tum pronomen αὐτόν, quod quo iure ad efferendum Idomeneum sit adiectum nemo facile explicabit. Itaque nisi audacter scribere praetuleris: ᾔτεε δ' Ἰδομενῆα κριτὴν etc., satius erit opinor, hic quoque lacunam statuere, ita *fere* explendam:

ᾔτεε δ' Ἰδομενῆα κλυτὸν καὶ Νηλέος υἷα
[τήνδ' ἔριν ἀμφοτέροις ἰθύνεμεν ἠδὲ δικάσσαι,]
ἠδ' ἄρα μητιόεντ' Ἀγαμέμνονα.

Circa v. 190. qualia *Hermannus* putet excidisse, de ea re supra a me dictum est.

Etiam v. 375. non sanatum, sed occultatum esse ab *Tychsenio* vulnus putaverim, cum ille ex audaci *Pauwii* coniectura scriberet:

ὃ δ' ἀμφιθέῃσι βεβρυχώς,
εἴπου ἔτ' ἐν ξυλόχοισιν ἴδοι θυμήρεα τέκνα.

Haec quidem satis cohaerent, sed tamen et *quaerendi* verbum desideratur, nec negligenda est Aldinae scriptura: ὃ δ' ἀμφὶ γέννσσι βεβρυχώς, quibus facile talia addita esse poterant:

[μαινόμενος δίζηται ἀνὰ ῥωπήια πυκνά,]
εἴ που ἔτ' ἐν ξυλόχοισιν ἴδοι θυμήρεα τέκνα.

Neque *librum sextum* a lacunis liberum putaverim. Ac primum quidem v. 37.

οὐ γάρ τοι ζήλοιο πέλει στυγερώτερον ἄλλο,

magnopere suspecta mihi est brevitas, cui aliis in locis communes sententias tenentibus minume poeta studuit. Itaque post hunc unum aut plures versus deesse arbitror, quibus accuratius de ea re expositum erat. — Tum v. 74 sqq. haec leguntur:

οἶδα γὰρ ὡς λαοῖσι κεκμηκόσιν οὔτ᾽ (sic lege) ἀγορητὴς
ἁνδάνει, οὔτ᾽ ἄρ᾽ ἀοιδὸς ὃν ἀθάνατοι φιλέουσι
Πιερίδες· παύρων δ᾽ ἐπέων ἔρος ἀνθρώποισι.

Postrema nimis abrupte dicta sunt; itaque, nisi in ἀνθρώποισι participium latet, ut ἀγχομένοισι, ἀχθομένοισι, quod parum est credibile, potius versum excidisse statuemus huius *fere* sententiae:

παύρων δ᾽ ἐπέων ἔρος ἀνθρώποισι
[γίνετ᾽ ὅτ᾽ ἐν καμάτοισι πόνοισί τε θυμὸν ἔδουσιν.]

V. 97 sqq.

δὴ τόθ᾽ ὁμῶς Ὀδυσῆι περίφρονι Τυδέος υἱὸς
νῆα θοὴν εἴρυσσεν ἀπειρεσίης ἁλὸς εἴσω.
καρπαλίμως δ᾽ ἤια καὶ ἄρμενα πάντα βαλόντες
ἐν δὲ καὶ αὐτοὶ ἔβαν.

Haec minume cohaerere iam intellexit *Bonitzius*, qui proinde l. c. p. 1234. βάλοντο legendum putat. Sed multo verisimilius mihi videtur versum excidisse talem:

καρπαλίμως δ᾽ ἤια καὶ ἄρμενα πάντα βαλόντες,
[ἱστόν τε στήσαντε καὶ ἱστία λεύκ᾽ ἐπέτασσαν,]
ἐν δὲ καὶ αὐτοὶ ἔβαν.

V. 173 sqq.

Ἀργεῖοι δ᾽ ἀπάνευθεν ἐθάμβεον, εἰσαΐοντες
αὐλῶν φορμίγγων τ᾽ ἰαχὴν αὐτῶν τε καὶ ἵππων.

Ita *Tychsenius* ex *Rhodomanni* scripsit coniectura. In Aldina enim pro εἰσαΐοντες legebatur εἰσορόωντες, unde apparet locum mutilatum olim ita *fere* lectum fuisse:

Ἀργεῖοι δ᾽ ἀπάνευθεν ἐθάμβεον εἰσορόωντες
[καιόμεν᾽ ἐν πεδίῳ πυρὰ πολλά, καὶ] εἰσαΐοντες
αὐλῶν φορμίγγων τ᾽ ἰαχὴν ἀνδρῶν τε καὶ ἵππων.

Ἀνδρῶν iam *Rhodomannus* scribendum esse vidit. Cf. v. 169 sq.

V. 182 sqq.

πολλὰ δ᾽ ἄρα Πρίαμός τε καὶ ἄλλοι Τρώιοι υἷες
ἑξείης ηὔχοντο μιγήμεναι Ἀργείοισιν
αἴσῃ ἐν ἀργαλέῃ.

Hic non apte dicta esse videntur verba *αἴσῃ ἐν ἀργαλέῃ*. Quae si intelliguntur, uti fecit *Rhodomannus*, de adversa fortuna, in qua ut adiuvarentur ab Eurypylo optaverint Troiani, hoc et satis mire enunciatum, neque etiam vere dictum esset propterea, quod Troiani eo ipso temporis momento minume erant afflictis rebus, sed potius, Achille et Aiace mortuis, reprimere iam consternatorum hostium impetus in animo habebant. Cf. V. 652. VI. 116 sq. Itaque cum ad verbum *μίσγεσθαι* per praepositionem *ἐν* fere addi soleat accuratior explicatio, *qualis* cogitandus sit congressus (vid. Homer. *N*. 286. *Ξ*. 386. *μιγήμεναι ἐν δαΐ*. *Φ*. 469. *μιγήμεναι ἐν παλάμῃσιν*. Quint. I. 170. IV. 341. *μῖξαι ἐν αἵματι χεῖρας*), ego scribendum esse coniectabam *ἀλκῇ ἐν ἀργαλέῃ*, hoc ut de pugna dictum esset, ut II. 451. IV. 593. XI. 366. Sed meliora me docuit *Hermannus*, qui ex verbis quae sequuntur, *ὃ δ' ὑπέσχετο πάντα τελέσσειν*, hic quoque versum excidisse acutissume intellexit. Fuit totus locus olim ita *fere* comparatus:

ἐξείης ἤχοντο μιγήμεναι Ἀργείοισιν
[ὑσμίνῃ κρατερῇ καὶ ὑπ' ἔγχεϊ πάντας ὀλέσσειν]
αἴσῃ ἐν ἀργαλέῃ· ὃ δ' ὑπέσχετο πάντα τελέσσειν.

Cf. Hom. *X*. 61. *ὅν ῥα — Κρονίδης — αἴσῃ ἐν ἀργαλέῃ φθίσει.*

V. 447 sq.

ἀλλ' ἄγε δυσμενέεσσι μαχώμεθα πρόφρονι θυμῷ,
ὄφρα δαϊκταμένους εἰρύσσομεν, ἤ ῥα καὶ αὐτοὶ
κείνοις ἀμφὶ θάνωμεν, ἐπεὶ θέμις ἀνδράσιν αὕτη,
οἷσιν ἀμυνέμεναι μηδ' ἄλλοις κύρμα γενέσθαι.

Ultima corrupta esse iam *Pauwius* intellexit. Nam neque quid *μηδέ*, neque quid *ἄλλοις* sibi velit, explicari ulla ratione poterit. Post *θέμις ἀνδράσιν αὕτη* interpungendum esse, atque tum versum excidisse *Hermanni* est sententia, quam, confirmatam etiam ex parte alio loco II. 160. *θέμις νύ τοι ἀνδράσιν αὕτως*, sine haesitatione amplectendam esse arbitror. Quum autem incertum sit, quid versu omisso dictum fuerit, certa emendatione v. 450. restitui nequit. Fortasse tamen eiusmodi quid poeta dederat:

[ἐσθλοῦ δ' ἐστὶν ἄνακτος, ἀποκταμένοις ἐνὶ χάρμῃ]
οἷσιν ἀμυνέμεναι, δηΐοις μὴ κύρμα γενέσθαι.

Cf. Homer. *E*. 487. *μήπως — ἀνδράσι δυσμενέεσσιν ἕλωρ καὶ κύρμα γένησθε*, coll. *P*. 151. 272.

In *libro septimo* unam lacunam v. 224 sq. *Tychsenius* e codd. restituit; signis praeterea v. 450. et v. 492. duas indicavit, in quibus nemo erit qui iudicium eius improbatum eat. Priori loco apparet simili duorum versuum initio alterum neglectum esse; ibi enim Quintus hoc fere modo hastae Achilleae mentionem fecerat:

κάρη δέ μιν οὔτι βάρυνε
πήληξ, [οὐ παλάμαις μέγ' ἐπέβρισεν δόρυ μακρόν,
Πηλιάς·] ἀλλά ἑ χερσὶ καὶ ἠλίβατόν περ ἐοῦσαν
ῥηιδίως ἀνάειρεν, ἔθ' αἵματος ἰσχανόωσαν.

Vid. V. 118 sqq. — In comparatione autem v. 455—60. instituta, in qua *Tychsenius* v. 458. aliquid *fortasse* excidisse suspicatur, nullum equidem lacunae vestigium deprehendi putaverim. Contra sex aliis huius libri locis mutilatam esse poetae manum ex satis firmis argumentis apparere mihi videtur; uno res magis dubia est.

V. 14 sq. de Machaone dicitur:

ὃν ἀθανάτοισι θεοῖσιν
ἶσον ἀεὶ τίεσκον, ἐπεὶ πυκνὰ μήδεα ᾔδει.

Minume credibile est, tam vago multisque etiam aliis apto epitheto singularem Machaonis medici in morbis sanandis artem insignitam fuisse. Itaque cum in Aldina non πυκνά, sed τυκτὰ legeretur, equidem aut ἐπεὶ ἄκε' ἤπια aut ἐπεὶ κλυτὰ φάρμακα (coll. Homero *Λ*. 741. et Quinto ipso VI. 420.) ᾔδει a poeta profectum esse putabam. Sed iure, opinor, has coniecturas repressit *Hermannus*, qui unum versum excidisse vidit, quo declarabatur, in sanandis aegris illa πυκνὰ μήδεα versari.

Sequitur v. 86, in quo qualia a me desiderentur iam supra pluribus exposui.

V. 201 sqq.

οὕνεκα γαῖα καὶ οὐρανὸς ἠδὲ θάλασσα
ἀμφὶ σάκος πεπόνηται, ἀπειρεσίῳ περὶ κύκλῳ·
ζῶα πέριξ ἤσκηνται, ἐοικότα κινυμένοισι.

Haec non cohaerere quivis videt. Videntur plures versus post v. 202. excidisse, quod probabilius etiam fit comparanti clupei Achillei descriptionem, qualem supra exhibuit Quintus V. 6—102, multis in rebus ab Homero discedens. Etsi autem non verisimile est, haec omnia etiam h. l. repetita esse, tamen merito suspiceris, Ulixis admiratione certe paullo plura Neoptolemo

depicta esse, quam praeter terram, coelum atque mare solas bestias in illo clupeo efformatas (cf. V. 17—25.).

V. 298 sq.

ἀλλὰ σὺ δείδιε, τέκνον, ἐπὴν πλόον εἰσαφίκηαι
ὕστερον, ἢ Τρίηθεν, ἢ ἄλλοθεν, οἷά τε πολλά.

Illa verba *οἷά τε πολλά* nimis abrupte dicta sunt. Excidit sine dubio post hunc versum generalis sententia, qualis haec est:

οἷά τε πολλὰ
[*πλαζόμεθ᾽ ἄνθρωποι ἐπ᾽ ἀπείριτα νῶτα θαλάσσης.*]

Vide Apollon. Rhod. II. 541 sq.

ὡς δ᾽ ὅτε τις πάτρηθεν ἀλώμενος, οἷά τε πολλὰ
πλαζόμεθ᾽ ἄνθρωποι τετληότες,

qui etiam aliis locis hac loquendi ratione usus est; cf. I. 458 sq. II. 697. 1111. IV. 1081. 1556.

V. 585 sq. de Neoptolemo dicitur, indefesse pugnante:

ἀνιηρὸν δέ οἱ οὔτι
ἥψατο μαρναμένονο.

Vertit *Rhodomannus*: „nihilque molestiae eum pugnantem attigit.“ Sed non puto ullo modo defendi posse, illud neutrum *ἀνιηρόν* pro substantivo habendum, quamvis non ignorem Quintum I. 736. dixisse: *οὐ γὰρ τερπωλῆς ὀλοώτερον ἄλλο βροτοῖσιν.* Ne multa, hic quoque duo hemistichia periisse verisimile est, quibus qualis sententia contenta fuerit certissume apparet ex v. 592 sq., ubi finita comparatione dicitur:

ὣς ἄρα Πηλείδαο δαΐφρονος υἱέος ἐσθλοῦ
οὔτε μόγος στονόεις οὔτ᾽ ἂρ δέος ἥψατο γούνων.

Lassitudine non correptum esse Neoptolemum v. 583—585. dictum erat. Iam de timore aliquid adiiciendum fuit. Itaque ita *fere* poetam scripsisse probabile est:

ἀνιηρὸν δέ οἱ οὔτι
ἥψατο μαρναμένοιο [*δέος, πολλῶν ἐπιόντων*
δυσμενέων τείχεσσι·] *μένος δ᾽ ἀκάμαντι ἐοικώς* etc.

Iam etiam quomodo fieri potuerit, duo ut negligerentur hemistichia, facile perspicitur.

V. 600 sqq. itidem de Neoptolemo haec narrantur:

φοίτα μακρὰ βοῶν περὶ τείχεϊ, πολλὰ κελεύων
ἐς μόθον Ἀργείοισιν ἀταρβέα· οὕνεκα πάντων
πολλὸν ἔην ὄχ᾽ ἄριστος.

In his incommodum est ἀταρβέα, sive id iungatur cum πολλά, sive, uti fecit *Rhodomannus*, cum μόθον. Nimis sagacem me esse in lacunis investigandis fortasse aliquis clamitabit; tamen hic quoque truncata esse poetae verba arbitror, insistens ipsis Aldinae vestigiis, in qua post ἀταρβέα legitur verbum θῦναι quod versus gratia expunxerunt *Rhodomanno* obsecuti, sed quod a Quinto ipso positum fuisse intelligitur e locis consimilibus: VIII. 259.

βοᾷ δ᾽ ὅγε μακρὰ κελεύων
μάρνασθ᾽ Ἀργείοισι κατὰ κλόνον.

et XI. 430 sqq.

μέγα δ᾽ ἴαχον ἀμφοτέρωθεν
Αἰνείας μὲν Τρωσὶ φιλοπτολέμοισι κελεύων
μάρνασθ᾽ ἀμφὶ πόληος ἑῆς, τεκέων τε καὶ αὐτῶν
προφρονέως· υἱὸς δὲ μενεπτολέμου Ἀχιλῆος
Ἀργείους ἐκέλευε παρὰ κλυτὰ τείχεα Τροίης
μίμνειν.

Poeta loco, unde egressi sumus, tale quid adiecisse videtur:

πολλὰ κελεύων
ἐς μόθον Ἀργείοισιν ἀταρβέα θῦναι [ἅπασιν,
Τρῶας δ᾽ ἂψ ὦσαι ἀπὸ τείχεος·] οὕνεκα πάντων etc.

Hic quoque litterarum paucarum similitudo in vocibus θῦναι et οὕνεκα in caussa fuisse videtur, ut librariorum oculi ab uno versu ad alterum aberrarent.

Restat v. 551, ubi iudicium magis ambiguum esse potest:

ὣς ἄρα Τρῶες ἔμιμνον, ἐελδόμενοί περ ἀϋτῆς
τεῖχος ὕπ᾽ Ἀργείων.

Vertit *Rhodomannus*: „quamvis cupidi irruptionis.“ Sed ea sententia prorsus ab hoc loco abhorret. Nam Troiani non manebant sub muro, cum essent ad pugnandum feroces, sed *quamvis fugere vehementer cuperent.* Id ex iis, quae poeta, v. 527—550. exposuit, tam evidenter apparet, ut operam perdere mihi videar, pluribus si eam rem demonstravero. Itaque aut ἐελδόμενοι μέγα φύζης scribendum, aut hic quoque versum intercidisse statuendum est huius fere sententiae:

ἐελδόμενοί περ ἀϋτῆς
[ἐκφυγέειν, χεῖρας δὲ Νεοπτολέμου ὑπαλύξαι].

Et paene adducor, ut hoc verisimilius esse ducam.

Librum octavum duobus locis mutilatum esse indicavit *Tychsenius*. Cuius ego iudicium non ex omni parte probave-

rim. Primam enim lacunam esse statuit post v. 41, ubi Achivi circa Neoptolemum in bellum ruentes cum vespis comparantur:

λευγαλέοις σφήκεσσιν ἐοικότες, οἵ τε κλονήσει
χηραμοῦ ἐκποτέονται, ἐελδόμενοι χρόα θείνειν
ἀνδρόμεον, πάντες δὲ περὶ στένος ὁρμαίνοντες
τεύχουσιν μέγα πῆμα παρεσσυμένοισι βροτοῖσιν.

Tychsenius, ut hoc in loco quaedam excidisse statueret, motus sine dubio est *Piersoni* auctoritate, qui in Verisimil. p. 196. locum pro mutilato haberet, atque ad hunc modum constitueret:

λευγαλέοις σφήκεσσιν ἐοικότες, οὕς τε κλονήσῃ
* * * * * * * * * *
χηραμοῦ ἐκποτέονται etc.

Ipse *Piersoni* liber non ad manus est; sed, quantum memini, usus ille erat loco ipsius Quinti XIII. 54 sqq., ubi de Graecis, ex equo ligneo descendentibus haec leguntur:

οἵ ῥα τότ᾽ ἀμφ᾽ αὐτῇσι κατήιον ἄλλοθεν ἄλλοι,
θαρσαλέοις (sic) σφήκεσσιν ἐοικότες, οὕς τε κλονήσῃ
δρυτόμος, οἳ δ᾽ ἄρα πάντες ὀρινόμενοι περὶ θυμῷ
ὄζου ὑπεκπροχέονται, ὅτε κτύπον εἰσαΐουσιν.

Sane mira est utriusque loci similitudo, ut primo adspectu *Piersono* adstipulaturus sis. Etiam Homerus II. 259—265, unde Quintus profecit, *vespas ab hominibus irritatas* provolare narrat. Sed tamen ego Quinti locum integrum esse putaverim. Primum enim quin optume de vespis, quae *susurrantes* evolant, οἵ τε κλονήσει ἐκποτέονται dicatur, nemo negabit. Tum quominus cogitemus de vespis a singulo lignario aut pastore irritatis, defendere videntur verba, quae statim sequuntur: τεύχουσιν μέγα πῆμα παρεσσυμένοισι βροτοῖσιν, e quibus apparet loqui poetam de vespis sua sponte cavernam relinquentibus atque viatores laedentibus. Neque alio Homeri loco *M.* 167—170. hominum, a quibus vespae irritentur, mentio facta est.

Quod autem post v. 194. lacunae signa posita sunt, hiante sententia, omnes consentientes habebit *Tychsenius*. Postremo versus 438. et 439. omissos in Aldina idem e codd. adiecit: cf. *Spitznerus* l. c. p. 1166. Ego autem quod de hoc libro adiiciam nihil habeo.

Venio ad *librum nonum*. Ibi quod post v. 44. vel 45. versum excidisse statuit *Tychsenius*, eam sententiam nuper

contra *Bonitzium*, l. c. p. 1242. nudo adiectivo δινήεις fluvium significari putantem, ita stabilivit *Spitznerus* l. c. p. 1169, nihil ut praeterea monendum videatur. Praeterea ille versum 264, qui in Aldina omissus erat, e cod. Neapol. adiecit, atque etiam post v. 492. et post v. 497. lacunas exstare recte indicavit. Unus tamen relictus est locus, quem truncatum esse merito suspiceris, v. 309 sqq.

τὸ δ' οὐ λάθε Κυανοχαίτην
ἠέρι θεσπεσίῃ κεκαλυμμένον· ἀμφὶ δὲ ποσσὶ
νισσομένοιο ἄνακτος ἐρυμνὴ κίνυτο γαῖα.

Dictum erat in antecedentibus, Apollinem de coelo delatum Troianos novo animo implevisse, sed cum videret saeviter grassantem Neoptolemum, hunc quoque, uti patrem, sagitta prosternere paravisse, nihilque iam laeva omina curavisse (v. 291—309.). Iam profecto mire adiicitur: „hoc vero non latuit Neptunum *nebula contectum*; circum autem pedes *incedentis regis* contremiscebat terra.“ Quid necessario adiici debebat, statim intelliges, ubi tibi dixero Quintum ad hunc *fere* modum locum exornavisse:

τὸ δ' οὐ λάθε Κυανοχαίτην·
[αἶψα δ' Ἀπόλλωνος κατεναντίον ἄλτο χολωθείς,]
ἠέρι θεσπεσίῃ κεκαλυμμένος· ἀμφὶ δὲ ποσσὶ
νισσομένοιο ἄνακτος ἐρεμνὴ κίνυτο γαῖα.

Versu extremo antiquam revocavi scripturam, quam male mutavit *Tychsenius*, *Pauwio* obsecutus, in ἐρυμνή. Iam Homerus ω. 106. hymn. Merc. 427. et Apollon. Rhod. III. 864. γῆ ἐρεμνὴ dixerunt. Et similia saepe inveniuntur. Γῆ κελαινὴ vocatur Homero Π. 348. et Quinto ipsi XII. 176. Saepe dicitur γῆ μέλαινα, Quint. II. 625. V. 48. 486. VI. 355. X. 62. (κίνυτο γαῖα μέλαινα.) Anacr. XIX. 1, quod ipsum saepius apud Homerum occurrit. In hymn. in Cer. 130. et VI. 22. δι' ἠπείροιο μελαίνης legitur. Nonnus postremo XXIX. 67. γαῖα κυανέῃ scripsit.

In *libro decimo* post v. 272. recte lacunae signa a *Tychsenio* posita esse, non opus est ut pluribus demonstretur. Quod autem idem v. 340. nullam lacunam esse putavit, id ego iudicium miratus sum. Videtur *Tychsenius*, uti ex uncinis apparet, quibus eum versum circumclusit, hoc versu eiecto locum persanatum credidisse. At vero et statim e sequentibus:

τέτρασι γὰρ μοίρῃσι etc. intelligitur, accuratius de eo numero in iis, quae ante dicta erant, expositum fuisse, et omnino, nisi graves adsunt caussae, lubrica est illa eiiciendi medicina. Quid quod *Horarum*, de quibus sermo est, ipsum nomen desideratur, cum alioquin nimis obscure locutus esse videatur poeta. Ceterum iam *Rhodomannus* ad h. l. haec adnotaverat: „hic asteriscum feci, propter defectum non obscure apparentem. tale autem quiddam defieri existimo:

πρώτη μὲν θέρεος καματώδεος ἔλλαχε μοῖραν,
εἴαρι δ' αὖ τριτάτη, τετράτη δ' ἐπιτέρπετ' ὀπώρῃ."

Tribus praeterea locis defectum esse suspicatus sum, quorum primus, qui legitur v. 379 sq., multum nuper iactatus est et a *Bonitzio* l. c. p. 1243 sq. et a *Spitznero* l. c. p. 1167 sq. Tamen ego cum neutro prorsus consentire possum. Dicit ibi Hecuba, vehementer afflicta ob Paridis mortem:

ἀλλά τις Αἶσα
μήδετο λοίγια ἔργα, τὰ μὴ ὄφελον ἐνόησα,
ἀλλ' ἔθανον τοπάροιθεν ἐν εἰρήνῃ τε καὶ ὄλβῳ
ἐλπομένη καὶ ἔτ' ἄλλα κακώτερα θηήσασθαι.

Recte, opinor, *Bonitzius*, imo iam *Rhodomannus*, ab illo laudatus, perspexerunt haud apte postremum membrum per participium ἐλπομένη superioribus adiungi. Caussam tamen obscurius explicuit *Bonitzius*. Potius hoc modo dicendum erat, quia *re vera* metuat peiora etiam Hecuba, non potuisse *metuendi* verbum participio positum tali membro adnecti, quo non de *vera* aliqua Hecubae *conditione*, sed *de morte* sermo fuerit, quae ut sibi contigerit illa *optet*. Non enim cohaerent: „utinam haec mala non vidissem, sed antea in pace et rebus secundis essem mortua, peiora etiam ne conspiciam metuens." Recte autem secundum *Bonitzii* transpositionem (372—76. 380—84. 377—79.) Hecuba locuta esset ita:

τῷ νύ σε λυγρὴ
κλαύσομαι, εἰσόκε μοι κραδίῃ ἔνι πάλλεται ἦτορ,
ἐλπομένη καὶ ἔτ' ἄλλα κακώτερα θηήσασθαι.

Quae *Spitznerus*, ut recte habere vulgarem versuum ordinem ostenderet, contra *Bonitzium* disputavit, ea, ut verum fatear, hanc mihi opinionem evellere non potuerunt. Nam quod ille primum dicit, ab Hecuba vehementissumo dolore oppressa has effundi querelas, ut vix postulandum sit omnia recto et continuo ordine procedere: est illud quidem verum, neutiquam autem

hoc, quod inde efficere studet *Spitznerus*, effici posse mihi videtur. Nunquam enim in describenda vel vehementissuma animi perturbatione eo progressi sunt poetae graeci, ut eos, qui essent magnopere commoti, aut versus mensurae, aut vocum rite iungendarum immemores introducerent, aut denique temere sententias connectentes facerent. Alia etiam tragicorum, alia epicorum est consuetudo: quorum illos constat liberiores fuisse, hos simplicitati et tenuitati cuidam, propriae epicae poeseos, addictos. Ita orationes praeterea plures in Quinto inveniuntur hominum mire commotorum: nusquam insolito aut inexplicabili modo singula membra consociata invenies. Quod autem deinde dixit *Spitznerus*, additos versus 380—384, ex Quinti more, ut imitaretur ab Homero dicta I. 592 sqq. X. 61 sqq., id verissume quidem monitum est; sed inde non sequitur hos versus ab imitatore inepto modo antecedentibus esse adnexos. His caussis commotus *Bonitzio* adsentior, locum, uti nunc legitur, improbanti: sed transpositionis medicinam, quam ille invenit, neque unicam neque certissumam esse putaverim. Non minus enim probabile mihi videtur, ante v. 380. versum excidisse huius fere sententiae:

[νῦν δ' ἐπὶ πήματι πῆμα μετ' ὄμμασι δέρκομαι αἰεί,]
ἐλπομένη καὶ ἔτ' ἄλλα κακώτερα θηήσασθαι.

Iam sequitur v. 405, qui nisi emendetur, post eum alterum excidisse videri iam explicatius a me dictum est.

Postremo huc pertinet locus v. 415 sqq., de quo accuratius exponere mihi liceat, quia plures ei inhaerere videntur difficultates. Ibi de Oenone Paridem deflente haec dicuntur:

οἵη δ' ἐν ξυλόχοισι περιτρέφεται κρύσταλλος
αἰπυτάτων ὀρέων, ἥ τ' ἄγκεα πολλὰ παλύνει
χευαμένη ζεφύροιο καταιγίσιν· ἀμφὶ δὲ μακραὶ
ἄκριες ὑδρηλῇσι κατειβόμεναι λιβάδεσσι
σεύονθ', ἡ δὲ νάπῃσιν ἀπειρεσίη περ ἐοῦσα
πίδακος ἐσσυμένης κρυερὸν περιτήκεται ὕδωρ·
ὣς ἥγ' ἀσχαλόωσα μέγα στυγερῇ ὑπ' ἀνίῃ
τήκετ' ἀκηχεμένη πόσιος περὶ κουριδίοιο.

Primum notandum, locum ex amplificata Homeri imitatione esse expressum, qui τ. 204 sqq. de Penelope:

τῆς δ' ἄρ' ἀκουούσης ῥέε δάκρυα, τήκετο δὲ χρώς.
ὡς δὲ χιὼν κατατήκετ' ἐν ἀκροπόλοισιν ὄρεσσιν,

ἦν τ' Εὖρος κατέτηξεν, ἐπὴν Ζέφυρος καταχεύῃ·
τηκομένης δ' ἄρα τῆς ποταμοὶ πλήθουσι ῥέοντες·
ὣς τῆς τήκετο καλὰ παρήϊα δακρυχεούσης,
κλαιούσης ἑὸν ἄνδρα παρήμενον.

Statim primo versu in edd. antt. legitur *περιστρέφεται κρύσταλλος*, in quo recte offendit *Rhodomannus*. Nam quod *Pauwius* excogitavit, accipiendum illud verbum esse de glacie et grandine, quae ventis agitetur, antequam decidat: obstat primum, quod κρύσταλλος de nivis seu grandinis floccis in aëre circumactis dici nequit, deinde quod tum dicendum fuit χεομένη per praesens, non χευαμένη per aoristum. Etiam nimis obscure locutus esset poeta. Inde *Rhodomannus* coniecit *περιστέφεται*, *cingit*, quod ferri quidem potest, sed postponendum videtur ei, quod posuit *Tychsenius*, *περιτρέφεται*, ut iam apud Hom. ξ. 477. legitur: σακέεσσι περιτρέφετο κρύσταλλος. Dictum hoc est de nive, quae postquam de coelo decidit, congelata montium vertices obducit. Etiam sqq. ἦτ' ἄγκεα etc. — καταιγίσιν ad nivem pertinent, quae Zephyri flatibus effusa saltus conspergit. Errat enim *Rhodomannus*, qui his iam verbis nivem liquefactam intelligit, ita interpretatus: „valles copiose humectat, diffusa Zephyri procellis.“ At vero παλύνει, quamquam dici potest de *humectando*, ut Apoll. Rh. III. 1247. 1256, proprie tamen *conspersionem* tantum notat, et nominatim de nive dicitur, qua humus obtegitur, Hom. *K*. 7. Apoll. Rh. III. 69. Oppian. Cyneg. III. 171 sq. Nonn. XLI. 286. Tryphiod. 190. Deinde χευαμένη minume est *diffusa*, sed potius *effusa*, h. e. Zephyri flatibus e coelo in terram deiecta, uti aperte ex Homeri verbis apparet, ἐπὴν Ζέφυρος καταχεύῃ. His igitur poeta, quomodo nix delapsa saltus obduxerit, descripsit. Iam ad principem comparationis partem transit, ut depingat, quomodo haec nix dissolvatur et liquescat. Sed hac in re primum hoc magnopere est mirum, quod nihil dicitur, *qua ratione* diffluat nix, sed tantum indicatur, quid nive diffusa fiat. Praeterea quid sibi velit ipsum verbum *σεύονθ'*, non facile dicas. Nam praecipitari cacumina eo, quod nives dissolvuntur, ut *Rhodomannus* putabat, hoc vero nimium est. Ex his omnibus apparet post vocem καταιγίσιν unum aut duo versus excidisse, ubi secundum Homeri exemplum, ἥν τ' Εὖρος κατέτηξεν, Euri flatu nives liquescere dictum erat, hoc fere modo:

χευαμένη Ζεφύροιο καταιγίσιν· [ἢ δ' ἄρ' ὑπ' Εὔρῳ ἠελίῳ τε χιὼν κατατήκεται·] ἀμφὶ δὲ μακραὶ ἄκριες ὑδρηλῇσι κατειβόμεναι λιβάδεσσι δεύονθ' κτλ.

Humectantur colles aquosis manantes nivium solutarum liquoribus. In sqq. aliquid difficultatis fuisse videtur *Rhodomanno*, qui, quasi ἐς συμένης legisset, ea ita est interpretatus: „illa autem *in* gelidam undam (ceu) fonte scaturiente liquitur.“ Sed sententia planissuma est: „illa (glacies) circumcirca liquescit, fontis scaturientis frigida aqua.“ Quia in montibus ex nive soluta fontes oriuntur, recte ea per appositionem dici potest πίδακος ἐσσυμένης κρυερὸν ὕδωρ. Simillumus est locus supra III. 577 sqq., quem adscripsisse iuvat:

οὔ ποτ' ἐτέρσετο δάκρυ, κατείβετο δ' ἄχρις ἐπ' οὖδας
ἐκ βλεφάρων, ὡσεί τε μέλαν κατὰ πίδακος ὕδωρ
πετραίης, ἧς πουλὺς ὕπερ παγετός τε χιών τε
ἐκκέχυται στυφελοῖο κατ' οὔδεος, ἀμφὶ δὲ πάχνη
τήκεθ' ὁμῶς Εὔρῳ τε καὶ ἠελίοιο βολῇσι.

In *libro undecimo* Tychsenius nullam aut explevit aut indicavit lacunam. Unus tamen invenitur locus, quem paene adducor ut mutilatum esse pronuntiem. Etenim v. 235 sqq. de Troianis paullulum cedentibus haec leguntur:

ἐπεὶ μένος ἠΰ θρασύφρονος Αἰνείαο
φευγέμεν οὐκ εἴασε, μένειν δ' ἀνὰ φύλοπιν αἰνὴν
θαρσαλέως.

Hic sane defendi quodammodo poterit infinitivus μένειν ita, ut aptus esse dicatur ex notione κελεύειν, latente illa in verbis οὐκ εἴασε, id quod iam *Rhodomannus* interpretando indicavit: „fugere non permisit, sed (auctor fuit) in pugna persisterent.“ Sed tamen Quinti simplicitati hoc artificiosius esse putaverim. Itaque aut μένον scribendum, aut, quod multo credibilius est, versum excidisse statuendum erit, cuius qualis fuerit sententia facile perspicitur:

φευγέμεν οὐκ εἴασε, μένειν δ' ἀνὰ φύλοπιν αἰνὴν
[μαρναμένους δηίοισιν ἐναντίον ὀτρύνεσκε]
θαρσαλέως.

Cf. VII. 494 sqq.

οὐ γὰρ Τρῶας ἔα νηῶν ἀπὸ νόσφι φέβεσθαι
Εὐρύπυλος, δηίων δὲ μάλα σχεδὸν ὀτρύνεσκε
μίμνειν.

Libro duodecimo felici successu codicis Monac. subsidium admotum est, cuius libri beneficio *Tychsenius* quinque locis (v. 76—79. 128. 328—330. 371—373. 498.) antiquarum editionum lacunas supplevit. Sed idem liber cum v. 229.

ἀλλ᾽ ἄγε δὴ μένος ἠῢ καὶ ἄλκιμον ἐν φρεσὶ θέντες

exhibeat, etiam hic alium insuper a poeta adiectum fuisse versum suspiceris, quo Ulixes sententiam iam v. 223 sq. propositam hoc fere modo repetiverit:

ἵπποιο σπεύδωμεν ἐΰξόου ἔνδον ἱκέσθαι.

Similia vid. I. 217. 409. VIII. 16. Nam id quod in Aldina legitur, θέσθε, suspectum est propter insolitam unius versus brevitatem (cf. IX. 85. XI. 219, ubi *Rhodomannus* recte θέσθ᾽ ἐνὶ θυμὸν emendavit), et propterea, quod Ulixes, qui ceteros cohortatur, et ipse equum est ingressurus. Itaque prima potius quam secunda persona fuit ponenda.

In *libro tertio decimo* recte *Tychsenius* quatuor locis, post v. 75. 137. 246. 461, defectus signa posuit. Idem duobus aliis locis faciendum mihi videtur, quorum primus est v. 192 sq., iactatus ille nuper in iis, quae *Bonitzius* scripsit l. c. p. 1241. et *Spitznerus* l. c. p. 1179 sq.

αἴδεσαι ἀμφὶ γέροντι τεὰς χέρας, ἀργαλέου τε
λῆγε χόλου.

Hoc, quod *Tychsenius* ex *Rhodomanni* coniectura scripsit, quamvis confirmatum codd. Vaticc. *A. B.* apud *Schowium*, ferri tamen nullo modo potest. Itaque cum in Aldina γέροντος legatur, *Bonitzius* αἴδεσαι ἀμφὶ γέροντος ἐμὰς χέρας, uti iam *Pauwius* suaserat, scribendum esse putavit. Quam coniecturam bene iam confutavit *Spitznerus*. Nam in sene potius cetera omnia quam manus reveremur. Ego insistens Aldinae vestigiis, in qua eadem non αἴδεσαι, sed αἴδεσε legitur, locum olim ita emendabam:

αἴδε᾽, ἔχ᾽ ἀμφὶ γέροντος ἑὰς χέρας.

Et ne nunc quidem hanc coniecturam poeta indignam esse existimo. Αἴδεο enim ultimam litteram abiicit, ut infra XIV. 166. μέμνησ᾽ ἀλλ᾽ ἴσχομεν, quo de loco accurate nuper disseruit *Spitznerus* l. c. p. 1165, aliaque ex Homero exempla allata sunt ab eodem de v. Gr. her. p. 173. Αἴδεο autem Homerus posuit in simillumis orationibus Φ. 74. χ. 312. 344. Ἔχειν autem *cohibendi* significatu dictum vix opus est ut stabiliatur locis Homeri, veluti *N.* 687. Ἑὰς χέρας autem propterea scribebam, quod

Quintus hoc pronomine etiam de prima et secunda persona utitur. Vid. I. 468. II. 28. 49. XIII. 507. et, qui versus simillumus est, 344. ἑὰς ἀπεχώμεθα χεῖρας. Verum displicet illud ἀμφί, quod quamquam habet quo defendatur, fatendum tamen, multo simpliciorem genitivum fore nude positum. Scribere autem potuit poeta commodissume αἴδε᾽ ἄπισχε γέροντος (ut apud Homerum λ. 95. ἄπισχε δὲ φάσγανον legitur) aut αἴδεσαι ἴσχε γέροντος ἑὰς χέρας.

Sed, ut libere fatear, multo nunc probabilius esse credo, quod admonuit *Hermannus*, videri hic quoque quaedam intercidisse, et ita quidem, ut duorum versuum partes, omissis quae in medio posita fuerant, temere in unum conflatae sint hoc modo:

αἴδεσαι ἀμφὶ γέροντος * * * *
* * * * * τεὰς χέρας ἀργαλέου τε
λῆγε χόλου.

Alter locus est v. 297 sqq., ubi de Antenore, cui pepercerunt Graeci victores, haec leguntur:

τῷ δ᾽ ἐπίηρα φέροντες Ἀχαιῶν φέρτατοι υἷες
αὐτὸν μὲν ζώοντα λίπον καὶ κτῆσιν ἅπασαν,
καὶ Θέμιν ἀζόμενοι πανδερκέα καὶ φίλον ἄνδρα.

Alter versus si ita intelligitur, ut singula verba postulant, sententia haec esse debet: „et ipsum vivum linquebant et omnes eius opes.“ Cuius dicti ineptias obscuravit *Rhodomannus* vertendo: „vitam ipsi et omnes facultates concesserunt.“ Sine dubio post verba καὶ κτῆσιν ἅπασαν versus librariorum negligentia est omissus, in quo diserte narratum erat, Graecos et a divitiis Antenoris abstinuisse et omni eius familiae pepercisse.

V. 345. secundum *Hermanni* iudicium etiam quaedam deesse iam supra adnotavi, ubi eundem locum emendando persanare studui.

Iam ad *librum quartum decimum* accedimus. In eo *Tychsenius* v. 121. plura intercidisse post *Rhodomannum*, cuius supplementum recepit, probe intellexit. Quod autem idem v. 166. lacunam esse coniecit, id recte refutavit *Spitznerus* l. c. p. 1165. Postremo etiam post v. 468. lacunae signa collocavit *Tychsenius*, vere sine dubio; nimis enim violentum est *Rhodomanni* conamen, quo ille mutando tantum poetae manum restituere ausus est.

In eodem libro *duo* praeterea *loci* supersunt, quibus ego defectum subesse crediderim. Alter est v. 89 sqq.

μολπὴ δ' οὐρανὸν ἷκε δι' αἰθέρος, εὖτε κολοιῶν
κλαγγὴ ἀπειρεσίη, ὁπότ' εὔδιον ἦμαρ ἵκηται
χείματος ἐξ ὀλοοῖο, πέλει δ' ἄρα νήνεμος αἰθήρ·
ὡς τῶν πὰρ νήεσσι μέγ' ἔνδοθι γηθομένων κῆρ
ἀθάνατοι τέρποντο κατ' οὐρανόν, ὅσσοι ἀρωγοὶ
ἐκ θυμοῖο πέλοντο φιλοπτολέμων Ἀργείων.

Recte, opinor, de hoc loco *Bonitzius* l. c. p. 1243. ita scripsit: „ut ea quae inter se comparantur, recte sibi respondeant, post v. 92. unus erit inserendus huius fere sententiae:

[*κλαγγὴ ἐς οὐρανὸν ἷκεν ἀάσπετος, οἱ δ' ἀΐοντες*]
ἀθάνατοι etc.“

Contra eam sententiam disputavit quidem *Spitznerus* l. c. p. 1170, sed tamen ei assentiri nequeo. Quod enim ille conqueritur de additamento, quo nihil aliud discamus, nisi quod primo versu aperte declaratum sit, Achivorum cantum in coelum penetrasse, hic ipse mos est Quinti, ut post institutam comparationem membro per particulam *ὡς* adiecto *repetere* soleat id, quod fuit tertium, uti dicunt, comparationis. Vide, ut e libro primo tantum exempla afferam, v. 8. coll. 4. — v. 41. coll. 36. — v. 79 sqq. coll. 62. — v. 82 sqq. coll. 75. — v. 177 sqq. coll. 174. — v. 252. coll. 249. — v. 265. coll. 263. — v. 324. coll. 320. — v. 401 sq. coll. 395. — v: 444 sq. coll. 437 sqq. — v. 528. coll. 523. — v. 545. coll. 540. — v. 619. coll. 612. — v. 627. coll. 624. — 640 sqq. coll. 630 sqq. — v. 681 sq. coll. 676. — v. 702 sq. coll. 695. — Loco autem, unde sumus egressi, tantum Graecorum ovantium cantus, non deorum auscultantium voluptas, cum gruum clangore, quo strepunt, die sereno post procellam exorto, comparari poterat. Particula *ὡς* autem, uti nunc legimus, necessario cum *τέρπονται*, nullo pacto cum *γηθομένων* iungi potest.

Postremo lacuna est sine dubio v. 386, ubi in *Tychsenii* editione haec leguntur:

καί ῥ' αἱ μὲν περὶ γούνατ' ἔχον χέρας· αἱ δὲ τὰ τέκνα
ἄμπεχον ἀγκοίνῃσι· τὰ δ' οὔπω δούλιον ἦμαρ
ἔστενον.

Αἱ δὲ τὰ τέκνα coniectura est *Rhodomanni*, cum in antiquis editionibus legeretur *αἱ δὲ μέτωπα*, unde *Spitznerus* l. c.

p. 1173. nuper emendavit αἱ δέ τε τέκνα. Et sane infantium mentionem factam esse sequentia aperte docent. Sed minume expellenda erat vox μέτωπα, post quam potius versus excidit. Quintus enim totum locum ita fere scripserat:

καί ῥ᾽ αἳ μὲν περὶ γούνατ᾽ ἔχον χέρας· αἳ δὲ μέτωπα
[χερσὶν ἐνηρείσαντο δυσάμμοροι] αἳ δ᾽ ἑὰ τέκνα
ἄμπεχον ἀγκοίνῃσι etc.

Duplex describitur lugentium mulierum habitus: aliae genua coniuncta manibus amplectebantur, aliae frontem manibus innixam tenebant. De hac quidem re, quam ego commemoratam fuisse a Quinto certissuma coniectura assecutus sum, vide Apollon. Rhod. IV. 695 de Medea: ἡ μὲν ἐπ᾽ ἀμφοτέραις θεμένη χείρεσσι μέτωπα, et Orph. Arg. 1094 sq.

ἀκηχέμενοι δὲ φίλον κῆρ
πήχεος ἀμπλέξαντες ἐνηρείσαντο μέτωπα.

Et agnoscitur duplex, quem descripsimus, habitus in celeberruma illa gemma, quam novissume lineis describendam curavit *C. O. Müllerus* in monumentt. veter. art. tab. LXIII. 319. Conspiciuntur in ea gemma ex septem contra Thebanos ducibus quinque, quorum unus Polynices sedet, capite in dexteram manum inniso, alter Parthenopaeus etiam sedet, manibus circa alterum genu complicatis.

CHR. AUGUSTI LOBECKII

PHIL. DR., POTENT. BORUSS. REGI AB INT. REIP. REG. CONSIL. SUPR., LITTER. ANTIQ. IN ACAD. REGIMONT. PROF. P. O., CET.

DE ANTIPHRASI ET EUPHEMISMO

SCHEMATOLOGIAE GRAMMATICAE SPECIMEN.

---

§. 1. Vetus est proverbium ab Athenaeo L. XV. 660. A. relatum: *εἰ μὴ ἰατροὶ ἦσαν, οὐδὲν ἂν ἦν τῶν γραμματικῶν μωρότερον*. Ac profecto si quis homericam psychostasiam imitatus una in lance posuerit homoeopathicos et isopathicos medicosque Mesmerianos et exorcistas Prevorstianos, in altera vero grammaticos quosdam comparativos una cum his qui grammaticam primordialem profitentur et qui aleam etymologicam ludunt, sine dubio Asclepiadas nostros sesqui *μωροτέρους* esse inveniet. Si vero quaeritur criminatio illa unde nata et qua de causa prisci grammatici (nam de medicis viderint quibus cordi est) hac ignominia notati sint, eos nulla re magis infamatos esse arbitror quam effuso et immoderato etymologiae studio, cuius ea vis, ea efficacia est ut vel sobria ingenia transversum agat, imbecilliores autem prorsus infatuet delirosque concinnet. Hinc igitur et alia honestissimae artis dehonestamenta nata sunt et illud antiphrasis commentum late vagatum, nec solum graecae sed hebraicae quoque et arabicae linguae doctoribus [1]) ratum gratumque, hodie vero ita afflictum ut vel indoctis ludibrio esse coeperit. Quid sit, notum est omnibus vel ex Donati formula III. 6. *antiphrasis est unius verbi ironia, si dicas bellum quod non est bellum, lucum quod non luceat; Parcas quia nulli parcant*; quibus Pompeius Comm. p. 477. aquilonem adiicit ab eo dictum scilicet quod aquam non faciat. Sunt haec inepta sane ut nihil possit supra, neque dissimulat Quintilianus, censor lenissimus, qui in primo institutionum c. 6. §. 34., ubi perstringit etymologorum miracula, a levioribus orsus in haec desinit praeposterae interpretationis exempla: *Etiamne a contrariis aliqua sinemus trahi ut lucus quia umbra opacus parum luceat,*

1) v. Glassii philol. sacr. V. 1. c. 5. p. 1506. Pocock. Not. ad Port. Mos. c. 11. p. 21.

et ludus quia sit longissime a lusu, et Ditis quia minime dives? Quis primus ob haec inventa Divae illi, quae D. Erasmi praeconio nobilitata est, litaverit ignoro; crederes Varronem fuisse, cuius Quintilianus in hoc tractatu identidem meminit et nota est temeritas. Sed illorum tamen nihil apud eum reperitur, ipseque nec nomine antiphrasis utitur nec praetextu, etsi praeceptorem habuit in hanc partem propensum, Aelium Stilonem. A quo verecunde dissentit L. V. p. 8. Bip. *Caelum dictum scribit Aelius quod est caelatum aut a contrario nomine celatum quod apertum est, non male — Ego magis puto a chao cavum et hinc caelum.* De eodem habemus Festi testimonia: *Militem Aelius κατ᾽ ἀντίφρασιν dictum putat eo quod nihil molle gerat,* p. 91. Lindem. *Ordinarius dictus per contrarietatem, ut Aelius Stilo, quia minime ordine vivit,* p. 111. et 189. Et his paria illa *Manues Aurelius* (sic) *significare ait bonos: unde dii manes a suppliciter venerantibus dicuntur propter metum mortis*, scilicet pro immanes; *Aridum dicitur per contrariam significationem quod irrigari desierit;* tertiumque *Simultas odium dicta ex contrario quia minime simul*, fortasse ab eodem stoico profecta sunt. Quanquam posteriores quoque grammaticos exemplis antiquitus proditis aliquid de suo accumulasse et per se credibile est et confirmatur Gellii verbis XI. 1, 5. *vocabulum mulctae Varro sabinum esse dicit. Sed turba grammaticorum novitia κατ᾽ ἀντίφρασιν, ut quaedam alia, ita hoc quoque dici tradiderunt.* Si vero ipsas huius doctrinae radices investigamus, in philosophos incidimus; quos notum est grammaticis ad investigandas vocabulorum causas facem praetulisse. Sed res repetenda est altius. Sermonem non naturae lege sed usus arbitrio constitutum esse Democritus affirmat cum aliis argumentis tum quia, si secus esset, neque homonyma invenirentur neque polyonyma sive, ut nunc vocantur, synonyma (Procl. in Crat. c. 15. p. 7. Boisson.); namque ut res similes dissimiliter appellentur, similiter dissimiles, naturae minime consentaneum videri. Iam reperiri id genus vocabula stoici non negant (Varr. IX. 126.), eo vero non naturae inconstantiam argui sed consuetudinis, cuius aestu pleraque omnia ab eo, in quod primum denominata essent, sensim detorta et alienata esse. Et huius alienationis singula momenta et quasi gradus commonstrant: *Aliena verba tribus modis fiunt, aut per similitudinem aut per differentiam aut per contrarium, ut Parcas dicimus et lucum —*

haec grammatici κατ' ἀντίφρασιν dicunt etc. Mart. Capella IV. §. 360. Hi autem grammatici cuius sectae fuerint ex Augustino comperimus de Dial. c. VI. 615. T. I. *Stoici autumant nullum esse verbum cuius non certa ratio explicari possit — Primum verba ita sonant ut res quae his verbis significantur, tinnitus, stridor, et quae res non sonant, in his similitudo tactus vel auditus valet, mel, vepres — haec quasi cunabula verborum. Hinc ad ipsarum inter se rerum similitudinem processit licentia nominandi — Inde ad abusionem ventum — Hinc facta est progressio usque ad contrarium; nam lucus dictus putatur quod minime luceat, et bellum quod res bella non sit, et foederis nomen quod res foeda non sit*[2]). Haec eadem sunt exempla quae Priscianus de verss. XII. Aen. IX. 158. (334. T. II.), Charisius, Diomedes et ceteri usque ad Cassiodorum et Isidorum quasi mesochoro praeeunte decantant. Proculus in Crat. c. 83. p. 44. Boiss., ubi varias etyma indagandi vias tradit, euphemismi quoque mentionem habet, quo fieri ut nativae verborum significationes obscurentur ὡς ἡ χολὴ γλυκεῖα. Hoc stoicos graece scribentes credibile est usos fuisse. Cumque latino *ludus* conferri potest σχολή *schola*, hoc novitio intellectu quo, qui liberalibus disciplinis vacant, σχολάζειν dicuntur; quod qui ex animo faciunt, sibi satagere, pragmaticis vero, qui centum doctos curto centusse licentur, otiari et desidere videntur. Et cum belli etymo convenit graecum commentum, pugnam, qua nemo gaudeat, χάρμην dici κατ' εὐφημισμόν, Schol. Vict. Il. XII. 389. EM. 807. 23., vel κατ' ἀντίφρασιν, Did. IV. 309. Verum antequam testes locupletiores citemus, de nomine ipso pauca praefanda sunt.

§. 2. Sunt igitur antiphrasis tres species. Una est illa praestigiatrix, quae *nigra in candida vertit;* altera huic dissimilis sed a rhetoricis connexa, qua affirmamus aliquid negando contrario, *non nescio* = *scio*; tertia isodynama commutat sive vocabula sive enuntiata, sicut metalepsis solet ea de qua Eustathius loquitur p. 691, 22. ἡ διασαφητικὴ τῶν λέξεων ἑρμη-

---

2) Idem contra Mendac. ad Consent. X. 23. p. 337. T. VI. *quid quod tropica loquutio usque ad eam pervenit quae appellatur antiphrasis, ut dicatur abundare quod non est, dicatur dulce quod acidum est, lucus quod non luceat, Parca quod non parcat. Unde illud est in Scripturis, Si non in faciem benedixerit, et intelligitur maledixerit.*

νεία μετάληψις καὶ μετάφρασις καλεῖται [3]), unde synonyma vocantur *μεταφραζόμενα* Sch. Il. XII. 137. et quae nihil habent, quo compensari possint, *ἀμετάληπτα καὶ ἀμετάφραστα*. Huius igitur antiphrasis exempla sunt: *Στίβη ἡ πάχνη κατὰ ἀντίφρασιν* Sch. Od. V. 467. *Πόλτυν κατὰ ἀντίφρασιν τὸ ξυλόκαστρον* EM. 681, 20. *καὶ νῦν* [4]) *τὸ ματαία κατὰ ἀντίφρασιν ἀντὶ τοῦ μελέα καὶ Ὅμηρος τὸ μάταιον μέλεον καλεῖ* Schol. Soph. Trach. 890. Neque nominum solum commutationes hoc modo designant, sed etiam partium enallagen: *ἀπαίδευτα κατὰ ἀντίφρασιν ἀντὶ τοῦ ἀπαιδεύτως* Sch. Eur. Or. 400. Quod genus antimeriae persaepe notatur, sed aliis verbis, *ἄελπτα ὄνομα ἀντὶ ἐπιρρήματος* Sch. Phoenn. 311. *ὀξὺ ὄνομα ἀντὶ ἐπιρρήματος* Sch. Il. VIII. 91. etc. Hinc patet antiphrasis nomen ferme idem valere quod scholiastarum latinorum adnotamentum *pro eo quod est* vel ut graeci loquuntur *ἓν ἀνθ' ἑνός*, exempli causa *Τιμαχίδας καὶ Σιμίας ἀποδιδόασιν ἓν ἀνθ' ἑνὸς Ἴσθμιον στέφανον* Athen. XV. 677. C. *ἧσσον ὡς ἓν ἀνθ' ἑνὸς εἰπεῖν τὸ ἀνατολικόν* Eust. ad Dion. 36. Quod non rarissimum est ut Bernhardy dicit p. 853, sed perfrequens primum Eustathio ipsi [5]), tum etiam aliis [6]). Verum non solum grammatici similia similibus declarant, sed etiam scriptores ipsos eandem rem alibi aliter dicere vel verbo admonent vel diplae signo manifestum faciunt: *ἡ διπλῆ ὅτι ἀντιφράζει τὸν χόλον τῇ μήνιδι* Sch. Il. IV. 513. IX. 261. *ἀντιπέφρακε τὸν γνωτὸν τῷ κασιγνήτῳ* XIV. 485; quae leguntur in scholiis antiquis illius lusoriae antiphrasis, cuius causa hunc sermonem ingressus sum, ignaris atque immunibus; similiaque multa in recentioribus: *ἀντιφράζει ὁ ποιη-*

---

3) De hac dixit Lehrsius Arist. p. 22 sq. Alia est metalepsis elementorum, *ἔνδοι* — *ἔνδον* Apollon. de Adv. 610, 24. *ἦκα* — *ἀκήν* ib. 565, 3. *ἄκυτος* — *ἄκυθος* EM. p. 53, 54. *ψολόεις* pro *ψολόεσσα* Sch. Nic. Th. 129. cf. Alex. 266. et 293. etc.

4) Hoc *καὶ νῦν* referri videtur ad scholion amissum Antig. 1339. *ἄγοιτ' ἂν μάταιον ἄνδρ' ἐκποδών.*

5) *Πυρὸς λελάχωσιν* — *ὡς ἓν ἀνθ' ἑνὸς εἰπεῖν καταξιώσουσι πυρός* p. 1019, 7. *τοὺς τάπητας οἱ παλαιοὶ μεταβολεῖς ἓν πρὸς ἓν φράζοντες ἐφαπλώματα μεταφράζουσι* p. 1347, 40. *νηπιέαις ὡς ἓν πρὸς ἓν εἰπεῖν ἀντὶ τοῦ νηπιότησι* p. 1020, 15. etc.

6) *Τὸ δουπῆσαι οἱ γλωσσογράφοι ἓν ἀνθ' ἑνὸς ἐδέξαντο ἀντὶ τοῦ ἀποθανεῖν* Sch. Il. XVII. 822. *οὐκ ἔστιν ἓν ἀνθ' ἑνὸς κυμμονίη νίκη* XXIII. 661. De diverso veterum usu dixerunt alii, v. Hermann. ad Lucian. Quom. hist. p. 13. et Bernhardy l. c.

τῆς τῷ ἐν καρὸς αἴσῃ τὸ ἀπήχθετο κηρόθι, καὶ τὸ ἶσον ἀπήχθετο κηρί Sch. B. IX. 378. τὸ δόιω ἔνδον ἐόντων ἀντιφράζων φησὶ χαριζομένη παρεόντων Vict. ad XIII. 363. τὸ κεῖσθαι ὁμοῦ νεκύεσσι ἀντιφράζεται τῷ πήματ' ἔπασχον ἐν νεκάδεσσι Id. XV. 118. ἡ περὶ ἀντὶ τῆς ἐπί· ἀντιφράζει γὰρ αὐτὴν τῷ ἕνεκα Id. XVI. 1. τὸ κύματι πηγῷ ἀντιφράζων λέγει μέλαν κῦμα BL. ad III. 197. ἡ διπλῆ ὅτι ἀντιπέφρακε τῇ ὄχθῃ τὸν κρημνόν Sch. B. ad XXI. 200. τῇ — δέξαι ἀντιφράζει τῷ τῇ — ὁ δ' ἔδεκτο [7]. Non inscitum est hoc adnotandi genus; nam haec synonymorum ex diversis locis collatio et compensatio non solum poetae in variando sermone sollertiam ostendit, sed saepe etiam sententiam illustriorem reddit. De modorum conversione antiphrasis nomen usurpavit Scholiastes Il. XIX. 368. κάμε τεύχων — ὁ τρόπος ἀντίφρασις, idemque restituendum videtur Sch. XXIII. 119. κτυπέουσαι πῖπτον — ἡ διπλῆ ὅτι τὸ ἐναντίον ἔφη· πίπτουσαι γὰρ κτύπον παρεῖχον. Ἤλλακται ἡ τάξις κατὰ παράφρασιν. Nam paraphrasis hoc loco nulla est, sed antiphrasis dici potest illa indicativi in participium et participii in indicativum transgressio; quanquam Il. II. 101., ubi eadem illa verba κάμε τεύχων leguntur, antistrophe nominatur, quod proprium est huius metathesis [8]) nomen omnibusque similibus locis recurrit, χασσάμενος πελεμίχθη XIII. 148. χαλέπαινε ῥιπτάζων XIV. 256. ἀκούων πυνθάνομαι Od. II. 315. Nec solum si modi, sed etiam si casus recti et obliqui vices inter se permutant, sicut βοστρύχων κάρα Eur. Or. 215. ἴχνος ἀρβύλης ib. 140. δέρτρα θρυλιγμάτων Sch. Lyc. 880. et similia [9]), ἀντιστρόφως

7) Δουρικλυτός — ἀντιφράζει ἐν τῷ πόδας ταχύν Sch. XIII. 476, quod ad sequens βοηθόον pertinere videtur.

8) Ad Apoll. II. 542. πλαζόμεθα τετληότες Schol.: μετάθεσιν ποιητέον. Saepius hanc à naturali ordine defectionem tacito figurae nomine significant: τρέσσαι πιπτήνας — τρέσας ἐπάπταινε Il. XI. 546. φθέγγοντο καλεῦντες ἀντὶ τοῦ φθεγγόμενοι ἐκάλουν XII. 249. γέγωνε βοήσας — γεγωνὼς ἐβόησε Od. V. 400. (nisi γεγωνόν scripsit). Ad haec ut attenderent fortasse moti sunt Zenodoti mutationibus κάθοιτο ἀκαχήμενος pro ἀκάχοιτο καθήμενος VIII. 207. ἔλπομαι εὐχόμενος pro εὔχομαι ἐλπόμενος V. 400., quomodo etiam Od. VIII. 170. variatum esse Buttmannus suspicatur. Neque rara in aliis libris discrepantia, v. ad Ai. 1182., et saepe difficilis optio, ut Theocr. XXIV. 42. οὐδ' εἴγε διαλλάξας με φιλάσεις et διαλλάξεις με φιλάσας.

9) Eodem modo ᾅδου θαλάμους pro ᾅδην θαλάμων Hec. 478. Ἀχαιῶν πόνον ἀπαλλάσσειν ib. 1173. πόδων μόχθον ἐκλύειν Phoenn. 695. accipiunt.

εἰρῆσθαι adnotant, quia casus permutatos credunt. Ac saepe utrumque antistrophae genus componunt, ut Sch. Od. I. 58. *τρόπον ἑρμηνείας ἀντίστροφόν φασιν εἶναι ὅταν ἀναστρέφωσι τὸν σχηματισμὸν αἱ λέξεις, χασσάμενος πελεμίχθη, κονίσαλος ὤρνυτ᾽ ἀέλλης* pro *κονισσάλου ἄελλα*, et Sch. Pind. I. 8. *κεραυνὸν σβεννύεις πυρός — κατὰ τὸ ἐναντίον προήνεγκεν· ἔδει γὰρ εἰπεῖν πῦρ κεραυνοῦ· τὸ δὲ τοιοῦτο σχῆμα καὶ παρ᾽ Ὁμήρῳ χασσάμενος πελεμίχθη*, quod Sch. Soph. El. 19. cum *ἄστρων εὐφρόνη*, Sch. Il. XVI. 162. cum homerico *φόνος αἵματος* contendit. Hinc credibile fit Schol. Il. I. 243. *θνήσκοντες πίπτουσι — ἀναστροφὴ ὁ τρόπος· τὸ ἐναντίον γὰρ γίνεται*, idem scribendum esse *ἀντιστροφή*. Etsi enim ap. EM. 484, 20. *ἄνθεσι μήλων ἀνεστραμμένως· ἔδει γὰρ ἀνθέων*[10]) positum est pro *ἀντεστραμμένως* vel *ἀντιστρόφως*, ipsumque antistrophae nomen aliquando anastrophen significat[11]), tamen valde dubito num anastrophe, qua certa vocabulorum traiectio *mecum*, *nobiscum*, *hos inter* designatur (v. Lehrs Quaest. Epp. 69.), de conversione syntaxis dici possit, quae saepissime antistrophe, nonnunquam hypallage[12]), alias prothysteron[13]) et, si casus variant, antiptosis vocatur[14]), neque abhorret ab antiphrasis nomine quod idem conversionem in contrarium indicat,

---

In Geopp. XVII. 25. 1165. *διακαυτέον τοὺς βοῦς τῶν σκελῶν τῆς ὁπλῆς*, neque *τῶν βοῶν τὰ σκέλη* scribi, neque hypallagae auxilio opus est. Ac miretur quis cur Matthiae Eur. Herc. 565. *ἐχθροὺς διαφορεῖν τοξεύμασιν* inversioni tribuat. Huic propius est Eur. Troad. 1235. *θάπτειν τύμβον νεκρῷ*, sed addubitatur, et Nonn. XXXVII. 419. *εἰς δρόμον ἦλθεν ἀγῶνος*.

10) Pertinet hoc ad Il. IX. 538., sed sententiam grammatici parum perspicio.

11) Sch. Od. III. 408. *λίθοι οἷς ἔπι Νηλεὺς ἵζεσκε* Schol. *ἀντίστροφον τὸ σχῆμα*. Od. V. 155 *παρ᾽ οὐκ ἐθέλων ἐθελούσῃ* Schol. *ἀντιστροφὴ ἰωνική*, quae nihil aliud est quam hyperbaton. Et Il. XXIV. 206. *εἰ γάρ σ᾽ αἱρήσει καὶ ἐσόψεται* Schol. *ἀντιστρόφως* posita dicit, hoc est *ὑπερβατῶς*, item ut Od. V. 313. *αὐτὸς πέσε καὶ προέηκε πηδάλιον* Schol. *ἀντιστρόφως εἴρηκε*.

12) Nic. Th. 873. *ἐν βότρυσι κλῆμα* Sch. *ὑπαλλαγή ἐστι*. Servius Aen. III. 61. *dant classibus austros — figura est hypallage quae fit quotiescunque per contrarium verba intelliguntur*, quae solita est antiphrasis definitio.

13) Eust. p. 505, 37. *ἀντιστρόφως ἔθηκε τὰ τοῦ λόγου μέρη· ἐχρῆν γὰρ πελεμιχθεὶς χάσσατο· καὶ ἔστι τοῦτο πρωθύστερον σχῆμα, ὃ καὶ ὑστερολογία λέγεται*. Sed huic nomini alius est opportunior locus, ubi ordo verborum mutatur verbis non mutatis.

14) Hoc nomine Scholiastae *οἱ πρεσβύτεροι τῶν εὐδαιμόνων* Thucyd. I. 6. et *σῶμα σποδοῦ* Soph. El. 757. expediunt.

diversum tamen ab antiphrasi et antemphasi. Nam quod in Schol. Apoll. II. 946. legitur *Ἄνδρων Λευκοσύρους φησὶ καλεῖσθαι κατὰ ἀντίφρασιν τῶν ἐν τῇ Φοινίκῃ Σύρων*, haud dubie *ἀντέμφασιν* scribendum erat, id est *ἀντιδιαστολήν* ut in Schol. Paris. dicitur; sic enim grammatici loquuntur: *τὸ ἀττικὸν βᾶρος* (?) *ἐκτείνει τὸ ᾱ πρὸς ἀντέμφασιν τοῦ οὐδετέρου* Herodian. *π. μον. λεξ.* p. 35, 29. *βροτός ὀξύνεται ὅτι ἔχει ἀντέμφασιν* Schol. Il. VI. 202. EM. 656, 20. Eust. 636, 56. etc. Vicissim in Schol. Theocr. VII. 154. *διεκρανώσατε κατὰ ἀντίφασιν ἀντὶ τοῦ διεκεράσατε*, reponendum est *ἀντίφρασιν*, id est *ἀντιμετάληψιν*. Sed illa rhetorica antiphrasis, de qua statim dicturus sum, eadem antiphasis sive contradictio est, ut patet ex Eust. p. 634, 9. *εἴ τινες ἀντιφράζοντες ψογερῶς ποτε προφέρονται τὴν πομπήν, ἔοικε τῷ εὐλογεῖν ὃ ἀντεμφαίνει ποτὲ ὕβριν, καὶ τῷ ὑμνεῖν φαύλως ποτὲ ἐκλαμβανομένῳ κατὰ ἀντίφρασιν.* Atque huius quoque crebra apud scriptores commentariorum mentio, qui, quoties interpretatio vacillat, hanc quasi deam ex machina excitant, ut ille in Anecd. Cram. I. 344. Dolonem Il. X. 334. parum apte *δέρμα πολιοῦ λύκου* induere ratus — *οὐ γὰρ ἁρμόζοντος ἐπὶ κατὰ συγκοπὴν* (scr. *ἁρμόζον ἐστὶν ἐπὶ κατασκοπὴν*) *ἐξιόντι λαμβάνειν δέρμα λευκόν· πελιοῦ οὖν γραπτέον παρὰ τὸ πέλλος*[15]), *χωρὶς εἰ μή τις λαμβάνει κατ᾽ ἀντίφρασιν*[16]). Verum hanc ipsam iam cum compare in medium producam praeeuntibus iis qui de tropis poeticis ex professo commentati sunt.

§. 3. Plutarchus igitur, qui dicitur, de Vit. Hom. II. 25, 493. rem ita decidit: *Ἀντίφρασίς ἐστι λέξις τὸ ἐναντίον ἢ παρακείμενον σημαίνουσα· Οὐδ᾽ ἄρα τώγε ἰδὼν γήθησεν Ἀχιλλεὺς ἀντὶ τοῦ ἐλυπήθη.* Hoc sane *ἐναντίον* est, sed desideramus exemplum *τοῦ παρακειμένου* a librariis, puto, praetermissum. Nam si quis *τὸ ἐναντίον ἢ τὸ παρακείμενον* idem valere dicat quod *ἐναντίον τοῦ παρακ.*, ut Wyttenbachium sensisse interpretatio ostendit *vox quae contrarium significat*

---

15) Sic scripsi pro *πέλλω*. Quae sequuntur Sophoclis verba, *ἔνθ᾽ οὔτε πέλλεις οἱ ἄγραυλος βοτός*, fortasse sic corrigenda *ἐνθοῦ τε πέλλης οἶδς ἄγραυλον βοτόν*, ex Amphiarai loco de quo dixi in Parall. 344.

16) Mira sunt quae adiungit: *τὸ δὲ πολλῆς* (*πολιῆς*) *ἁλὸς ἐξαναδῦσαι* (Od. Δ. 405.) *ἢ κατ᾽ ἀντίφρασιν τῆς λευκῆς* (id est *τῆς μελαίνης*) *ἢ καθ᾽ ὑπέρθεσιν ἀντὶ τοῦ πλείστης*. Numne *πολιῆς* pro *πλοΐης* id est *πλειστῆς* sive *πλουτίας* accipi voluit, quae traiectio proprie dicitur hyperthesis diversa a metathesi Sch. Od. III. 180. EM. 83, 42.?

quam prae se fert, id admitti nequit, primum quia *quod dictum est* non τὸ παρακείμενον dici solet, sed τὸ κείμενον, deinde quia ceteri schematographi duas faciunt antiphrasis species, unam ἐκ τοῦ ἐναντίου sive ἀντικειμένου, alteram ἐκ τοῦ παρακειμένου, hoc est e propinquo. Sic Trypho de Trop. c. XV. ed. Walz. T. VIII. 755. Boisson. Anecd. III. 279. ἀντίφρασίς ἐστι λέξις διὰ τοῦ ἐναντίου ἢ παρακειμένου τὸ ἐναντίον παριστῶσα χωρὶς ὑποκρίσεως. Διὰ μὲν τοῦ ἐναντίου τὸ ἐναντίον ἀντιφράζεται, οὕτως Οὔ μιν ἀφαυρότατος βάλ' Ἀχαιῶν καὶ Οὐδ' ἄρα τώγε ἰδών κ. τ. λ. Διὰ δὲ τοῦ παρακειμένου τὰ κατ' εὐφημισμὸν λεγόμενα καὶ τὴν κακίαν περιστέλλοντα, ὡς ὅταν τὴν χολὴν ἡδεῖαν λέγωμεν καὶ τὰς Ἐριννύας Εὐμενίδας καὶ ἄχαριν[17]) τὸν λύπης ποιητικὸν καὶ τὸν δυσειδῆ πίθηκον κάλλιστον (sic) καὶ τὴν σκαιὰν εὐώνυμον καὶ τοὺς ἅλας ἡδυντῆρας. Nec minus clare Cocondrius de Trop. VI. 785. διὰ μὲν τῶν ἐναντίων Οὐδ' ἄρα τώγε κ. τ. λ. καὶ Τὼ δ' οὐκ ἀέκοντε πετέσθην. Διὰ δὲ τῶν παρακειμένων καθάπερ εἰώθαμεν τὰς Ἐριννύας καλεῖν Εὐμενίδας καὶ σεμνὰς θεὰς καὶ Μελιτώνην τὴν Περσεφόνην καὶ καλλίαν τὸν πίθηκον. Prioris generis exempla a grammaticis sedulo animadversa et propria nota insignita sunt. Schol. A. Il. I. 330. οὐ γήθησεν — ἡ διπλῆ ὅτι ἐκ τοῦ ἐναντίου τὸ ἐναντίον ἀκουστέον ἐλυπήθη. Sch. XI. 287. οὐκ ἄκοντε — τὸ ἐναντίον. Schol. XIV. 416. οὐ θράσος — τὸ ἀντικείμενον δεῖ ὑπακούειν δέος. Sch. XXIV. 297. οὐ κέλομαι ἐξ ἀντικειμένου κωλύσω, aliisque locis, quos Lehrsius in Arist. p. 14. diplae causa affert. Neque solum Homeri interpretes, sed etiam Schol. Apoll. I. 45. οὐ δηρὸν ἔλειπτο ἀντὶ τοῦ τάχιστα ἀφίκετο· ὁ τρόπος ἀντίφρασις, et saepissime Servius quamvis alio nomine usus ad Aen. I. 387. *haud invisus — id est carissimus; litotes figura.* Ad VIII. 299. *non rationis egentem — id est prudentissimum, litotes.* XI. 430. *non parva — litotes; minus enim dixit quam voluit.* Georg. II. 125. *non tarda — id est strenuissima.* III. 56. *non mihi displiceat — id est valde placeat*, multisque praeterea aliis locis huius figurae nos admonet, cuius nomen apud graecos scholiographos non invenio, sed interdum contrarium: οὐκ ἄγαν

---

17) Cod. Χάροντα, pro Χάρωνα. Charontem per antiphrasin dictum esse ὡς ἀπὸ τοῦ χαίρειν Eustathius ait p. 16, 35. idque simillus proximis exemplis quam ἄχαρις v. §. 6.

σφ' ἐπήνεσα — ἀντὶ τοῦ λίαν ψέγω· ἐπίτασιν γὰρ κατὰ τὸ ἐναντίον συνάγει ταῦτα, οἷον οὐ πάνυ χαίρω ἀντὶ τοῦ πολλὰ λυποῦμαι Schol. Phoenn. 764. Utrumque recte, prout vel quod dicitur in aestimationem venit vel quod intelligitur; in hoc enim elatio inest, in illo summissio sive litotes. Nobis putidiuscula videtur haec vocum figuratarum captatio; nec tamen aliena est ab ea grammaticae doctrinae parte quae, quia in indicandis sermonis vitiis et virtutibus versatur, criticae nomen accepit, haud sane similis eius artis ac rationis, qua nostri critici sive, ut nunc vocantur, aesthetici poetarum artificia edisserunt, sed tota in tropis et figuris occupata eoque tolerabilior quo brevior (pace illorum dixerim) et verborum parcior quam nostri Batteusii esse solent.

§. 4. Premtis atque expositis *τοῦ ἀντικειμένου* exemplis obscurum amplius esse non potest quid illi *παρακείμενον* dixerint. Etenim nomina *Εὐμενίδες*, *καλλίας* etc. non connexum sibi habent contrarium *οὐ δυσμενεῖς*, *οὐ δυσειδής*, sicut illi *οὐ γήθησε* contra positum est *ἀλλ' ἐλυπήθη*, sed per se consistunt tanquam synonyma et vicaria vocabulorum asperiorum, neque cum illis enuntiationibus quidquam similitudinis habent nisi quod leniora sunt propriis. Quapropter haec genera coniuncte quidem, sed non confuse tractantur eum ab illis quos nominavi, tum a Schol. LV. ad Il. IV. 127. *τὸ οὐ λελάθοντο κατὰ ἀντίφρασιν ἀντὶ τοῦ ἐφρόντισαν· ἡ δὲ ἀντίφρασις ἢ κατὰ ἐναντίωσιν ὡς νῦν, ἢ κατὰ εὐφημισμὸν ἢ παρ' ὑπόνοιαν ὡς χωρίον σκληρὸν μέν, οὐκ ἔχον δὲ ὕλην*, ubi sic interpungendum est: *σκληρὸν μὲν οὐκ, ἔχον δὲ ὕλην*. Quae clausula quia praeter exspectationem intervenit, *παρ' ὑπόνοιαν* dicitur, quo nomine Sch. Arist. Plut. 180. utitur *Ὁ Τιμοθέου γε πύργος — ἐμπέσοι γε σοί*, significans *τὸ παρὰ προσδοκίαν*. Sed illud melius ad ironiam refertur, quam ipsam cum contradictione comprehendit Schol. Eur. Hec. 983. *εὐσεβής, τουτέστιν ἀσεβής, εἰρωνικῶς κατ' ἀντίφρασιν*, Trypho autem l. c. rectius ab ea separat. Hunc Helladius sequitur Phot. p. 874. Graecos affirmans maximeque Athenienses *τὰ δύσφημα* declinasse ideoque Furias *Εὐμενίδας*, carcerem *οἴκημα*, carnificem *κοινόν*, piaculum (*μύσος*) *ἅγος*, acetum *μέλι*, fel *γλυκεῖαν*, coenum *ὀχετόν* dixisse, quae a grammaticis antiphrasis nomine designari, additque Atticos furem appellasse *φιλητὴν οἱονεὶ μισητόν*, quod ne in *μισητήν* mutemus vetant alii *μισούμενον* scribentes E.M. 794, 11. Anecd.

Cram. II. 272. Iidem vero manifestum faciunt vocabulum hocce, quod Hermannus Opusc. T. VI. P. I. 160. et alii iam antiquitus ex φηλητής corruptum putant, v. Osann. ad Philem. 184. Doederlein. Syn. T. IV. 335., paroxytonum fuisse; quo accentu ista antiphrasis suspicio redarguitur; neque convenit syllabae principalis mensura. Cetera pleraque vereor ne commenta sint eorum, de quibus Plutarchus loquitur in V. Sol. XV. *οἱ νεώτεροι τοὺς Ἀθηναίους λέγουσι τὰς τῶν πραγμάτων δυσχερείας ὀνόμασι χρηστοῖς ἐπικαλύπτοντας ἀστείως ὑποκορίζεσθαι, τὰς μὲν πόρνας ἑταίρας, τοὺς δὲ φόρους συντάξεις, φυλακὰς δὲ τὰς φρουρὰς τῶν πόλεων.* Noverunt sine dubio et factitarunt Athenienses hanc aulicam artem qua *ὀνόμασι περιπέττουσι τὴν μοχθηρίαν,* v. Interpp. ad Thucyd. III. 82. Ruhnken. ad Rutil. p. 16. Sed ex illis vocabulis argui non possunt. Neque certiora sunt Helladii exempla *κοινός, ὀχετός, οἴκημα.* Quorum primum nihilo lenius est quam *δήμιος,* secundum pro *βόρβορος* substitui nequit nisi quando cloaca significatur, omnia autem minus usitata sunt illis, quorum evitandorum causa ascita dicuntur. Quid enim tam tritum est quam *δεσμωτήριον,* quod si pluribus nominibus increbruit, *ἀναγκαῖον, εἱρκτή, γόργυρα, κέραμος, οἴκημα, λήθη* [18]), quis pro certo affirmet haec euphemismi gratia substituta esse? Haud cito inveneris vocabulum tam singulare et devium, cuius in locum non aliud succedere possit vel mollius auditu vel honestius vel urbanius. Neque tamen ea omnia euphemismis adnumerabimus, nisi forte placuerit hoc nomen iisdem terminare finibus quibus synonymiam ipsam. Equidem missis ambiguis intra euphemisticam, ut Eustathius vocat 763, 25. antiphrasin subsistam, cuius una et simplex conditio est ut, quod dicitur, contrarium sit intellecto et, quod intelligitur, abhorreat ab auribus. Ad hoc praescriptum foret *ἄγος,* si ut EM. 12, 26. et Sch. Rom. ad Oed. T. 656. tradunt, proprie significaret *τὸ ἁγνὸν καὶ καθαρόν,* per euphemismum vero contrarium. Sed illa propria significatio non reperitur, nomenque ipsum per se idem valet quod *ἡ ἄγη religio,* unaque id *ὃ ἁζόμεθα καὶ ἀγάμεθα,* praecipue facinus insolens,

18) *Εἰς τὸ τῆς Λήθης ἐμβάλλουσι φρούριον* Agath. IV. 28. Id carceris Muncaciani nomen apud Persas simile Francogallico *Oubliettes*, quo iuvenes demagogi concludebantur. Hodie nomen ipsum in oblivionem incidit, res durat. — Germanicum *Pranger* si cognitum habuissent grammatici, sine dubio ad antiphrasin retulissent.

immane et nefarium, postremo per consequens id quo impie commissa expiantur, τὸ ἄγνισμα, ut grammatici interpretantur; sive κάθαρμα, quod iidem cum ἄγος conferunt, quoniam non solum purgationem significat, sed etiam consueta notionum reciprocatione purgamentum, sicut καθαίρεσθαι dicuntur et quae sordibus liberantur et sordes ipsae, exempli causa Ἡρακλῆς ἐκάθηρε τὴν αὐλὴν et ἐκάθηρε τὴν κόπρον Diod. IV. 13.; quam significationem saepissime habet compositum ἐκκαθαίρειν et latinum *expurgare*; eodemque modo Euripides dixit ἐκφαιδρύνειν σταγόνας ἐκ παρηίδων et Aeschylus νεκροὺς ἐξαγίζειν δόμων, fere ut Columella *expurgare emortuum*, sed et simplex ἁγνίσαι τὰ λύματα Sophocles. Et hac vel simili ratione accipiendum videtur quod in Anecd. Bekk. ex eodem affertur, ἁγνίσαι, διαφθεῖραι κατὰ ἀντίφρασιν. Neque Cratinum puto, si ἅγιος usurpavit pro μιαρός, euphemismum captasse, sed animum ad etymon retulisse spreto usus arbitrio, qui hanc significationem coniugatis ἐναγής et ἐξάγιστος (exsecratus) attribuit. Ad haec si meminerimus eundem locum ὅσιον sive ἁγνὸν πατεῖν et contrario nomine βέβηλον dici, id documento erit, quam facile antiphrasis suspicio imprudentibus obrepere possit. Ἁγνεών sane locus libidinibus infamis vocatus est, sed ab irrisu.

§. 5. Eorum quae retuli maxime memorabile est quod Plinius quoque prodidit[19]) et alii (v. Aglaoph. 877.), Graecos fel γλυκεῖαν vel ἡδεῖαν nuncupasse. Namque acetum μέλι dictum esse minus miramur reputantes Atticos idem ἦδος vocasse, nimirum quia condimentum ciborum est, ut ἅλες ἡδυντῆρες, v. Barker. Epist. ad Boisson. 244.[20]) Illius autem transnominationis nescio an ratio reddi possit nulla praeter eam quam in

19) L. XXVII. 10. *holosteon sine duritia est herba ex adverso appellata sicut fel dulce.* Illa alibi ὁλόστιον dicitur, hodie ignota est (v. Sprengel. ad Diosc.); quare Plinius refelli nequit; sed fides eius perquam dubia tum ob alias res, tum quia morum (μορέαν) quae non germinat nisi exacto frigore, ob id μῶρον dictam censet quasi arborem sapientissimam.

20) Plinius XI. 15. in omni melle, quod per se fluxit, acetum vocari ait, cf. Gesner. ad Colum. XII. 5. Sed hoc illos perverse interpretatos esse haud crediderim. Similis vero nominis proprii dissimulatio, sed causa diversa in sacris Bonae Deae, *cuius in templum vinum non suo nomine infertur, sed vas, in quo vinum est, mellarium nominatur et vinum lac.* Macrob. I. 12, 268. Alia huius sacrae antiphrasis et piae fraudis exempla attuli in Aglaoph. p. 119.

Aglaoph. l. c. proposui. Nam si unquam bonis verbis auspicatisque opus fuit, certe in deorum cerimoniis opera data est ut omnia quam posset decentissime et festivissime appellarentur; idque vel maxime ad *εὐφημίαν* sacrorum pertinuisse videtur. Quam in rem afferre licet Varronis verba de V. P. R. p. 245. Bip. *mactare verbum est sacrorum κατ' εὐφημισμὸν dictum quasi magis augere et adolere* (*ἔμπυρα αὔξειν* Pind. Isthm. VI. 106.), Serviique Aen. I. 704. *in sacris adolere per bonum omen* (*κατ' εὐφημισμόν*) *dicitur; nam in aris non augentur aliqua, sed cremantur et consumuntur*, et Festi: *alter et pro non bono ponitur, ut in auguriis altera avis appellatur quae utique prospera non est.* Quanquam hoc non solum in disciplina augurali, sed etiam in vitae quotidianae commerciis *bono* opponi solet, ut ostendi ad Ai. p. 277., nec tamen sine aliqua mali ominis deprecatione, quod apparet ex Demosth. c. Androt. 597, 4. *ὅσα νῦν ἐστι τῇ πόλει ἀγαθὰ ἢ θάτερα, ἵνα μηδὲν εἴπω φλαῦρον.* Similiter *δευτέρα τύχη* dicitur pro adversa, sequior, cui affine nomen *secundus* ad euphemismum refert Ioannes Lyd. de Mens. III. 13. p. 136. *παρ' Ἰταλοῖς ὁ δυϊκὸς ἀριθμὸς ἀποφράζεται, σεκοῦνδον δὲ αὐτὸν οἱονεὶ εὐτυχῆ καλοῦσι κατὰ τὸν* (scr. *τινά*) *εὐφημισμόν, ὡς Εὐμενίδας καὶ Ἀδράστειαν καὶ Πάρκας*, sed falso; nam secunda fortuna est *ἡ οὐρία τύχη*, obsecundans ut ventus. Propius ad fidem est quod in EM. 143, 20—25. traditur, *Ἀριστερὰν τὴν εὐώνυμον καλοῦμεν τὴν οὐκ οὖσαν ἀρίστην ἀλλὰ τῇ ἑτέρᾳ ὑπηρετοῦσαν, Ἔστι δὲ κατὰ ἀντίφρασιν ἢ κατὰ εὐφημισμὸν ὥσπερ καὶ εὐώνυμος ὀνομάζεται.* Et p. 401, 20. *τὸ εὖ μόριον ἀεὶ καὶ διαπαντὸς ἀντὶ τοῦ καλῶς παραλαμβάνεται πλὴν τοῦ εὐώνυμος χείρ.* Quicum consentiunt Eustathius p. 1398, 51. et Trypho l. c. Neque aliud voluisse puto Schol. Apoll. I. 495. *λαιῇ κατ' εὐφημισμὸν τῇ ἀριστερᾷ*, hoc est *τῇ κατ' εὐφ. καλουμένῃ ἀριστ.* De hoc nomine, quod Chrysippus ab *αἴρω* ductum putavit, nihil decernam, sed alterum ab euphemismo profectum esse libenter concesserim. Et ut ad nomina divina transeamus, quem non moveat tantus auctorum consensus, deas ultrices a contrario *Εὐμενίδας* appellatas esse quasi ad obscurandam muneris feralis memoriam, cuius causa *Ἐριννύες, Ποιναί* et *Μανίαι* vocatae sunt? Nec mihi incredibile videtur Iovem ultorem, qui directe *Ἀλάστωρ* et *Παλαμναῖος* dicitur, a religiosis nomine *Μειλιχίου* indigitatum esse velut anticipata spe placandae irae. cf. Aglaoph.

818. Eundemque deum significari suspicor ab Hesychio, *Φίλιος ὁ ἀποτροπαῖος κατ᾽ εὐφημισμόν*, quod ideo dicit quia cum nomine deorum averruncorum connexa est cogitatio malorum, seiuncta vero ab illo epitheto, paene ut contrarium videatur. *Nec mirum si gemini effectus variis nominibus celebrantur, cum alios quoque deos ex contrario in eadem re duplici censeri et potestate accipiamus et nomine, ut Neptunum quem alias ἐνοσίχθονα, alias ἀσφαλίωνα vocant*, Macrob. Sat. I. 17, 298. quód ego neque in argumentum sumam neque nullius in hac causa momenti esse puto [21]). Illi similia sunt Proserpinae cognomina *Μελιτώνη* et *Μελιτώδης* (nisi hoc ex illo depravatum est), quae Cocondrius l. c. et Scholiasta Theocriti XV. 94. euphemismo imputant, non iniuria fortasse; quanquam quod Theocritus mulierem sic loquentem inducit, coniecturam praebet deam *γυναικείαν*, feminei sexus patronam et conservatricem, muliebribus blanditiis appellatam esse Mellillam vel Dulcieulam sine ulla euphemismi affectatione. Non alienam tamen a dea Stygia hanc rationem esse ostendit Hesychii glossa *Ἄφραττος ἡ Ἑκάτη παρὰ Ταραντίνοις* et tralaticium Proserpinae epithéton *ἄρρητος κόρη*, v. Musgrav. ad Eur. Hel. 1323. Hinc memoriae recursat Proserpinae filia *Μηλινόη* in hymnis orphicis celebrata, sive ea Empusa est sive alia larvalis species, quam *Μειλινόην* dictam fuisse suspicor a contrario. Eodem in numero Servius ad Aen. I. 139. refert manium nomen a mano id est bono ductum ad significandum immanes atque immites, cui haud gravate subscriberem si larvae, lemures et alastores ita vocati essent [22]). Nunc ita sentio, communem illam erga omnes, quos Libitina sacravit, reverentiam et religionem in causa fuisse quare et Boeoti eos *χρηστοὺς* usurparent et Romani manes, sine antiphrasi, sed non citra euphemismum, quo grammatici etiam *μακαρίτης* et *μακάριος* repetunt, Suid. etc., ac certe Electra Eur. Or. 4. Tantalum avum *μακάριον* vocat magis *κατ᾽ εὐφημισμόν*

21) Eustath. p. 200, 1. ex lexico rhetorico *Ἀγανὸν τὸ ἡδὺ καὶ προσηνές, ποτὲ δὲ κατὰ ἀντίφρασιν τὸ χαλεπόν*. Fortasse deorum inferorum aliquis ita nominatus est vel mors ipsa, cuius *ἀγανὰ βέλεα*, ut Homerus vocat, homunculis *χαλεπὰ* videri solent.

22) *Ἠπίαλος καὶ ἠπιόλης σημαίνει τὸν ῥιγοπύρετον καὶ δαίμονα τοῖς κοιμωμένοις ἐπερχόμενον κατὰ ἀντίφρασιν* EM. 438, 8. incubum significans, quem novitii Graeci *βυβουτζικάριον* vocant, veteres *ἠπιάλητα* incertum quare. Cf. Coraes ad Hippocr. de Aer. p. 35.

ut Schol. ait, quam pro merito. Quae vero aliae sunt mortuorum metonymiae *οἱ πλείονες*, *οἱ κεκμηκότες* etc. inter idiomata graeci sermonis referri merentur, sed hanc quaestionem non attingunt. Illud in dubio relinquam, utrum Graeci noctem *εὐφρόνην* dixerint ex animo an quod ita sentirent ut germanicum fert proverbium, noctem nemini amicam esse[23]), eumque horrorem appellatione honorifica dissimulaverint. Neque subvenit aliud cuius mentio huc convenire videatur praeter illas detestandi formulas *εἰς ὀλβίαν* et *ἐς μακαρίαν*, quod Schol. Arist. Eqq. 1159. *κατ' εὐφημισμὸν* usurpari dicit *ἀντὶ τοῦ εἰς ὄλεθρον, ἐπεὶ καὶ οἱ τεθνεῶτες μακαρῖται λέγονται.* Nam quod Schol. Arist. Rann. 1421. de *μὰ τόν* adnotavit: *εἰώθεισαν τοῖς τοιούτοις ὅρκοις χρῆσθαι ἐπευφημιζόμενοι ὥστε εἰπεῖν μὲν μὰ τόν, ὄνομα δὲ μηκέτι προςθεῖναι,* in eo speciem quidem quandam euphemismi agnoscimus, sed diversam prioribus similioremque eius figurae quam Quintilianus IX. 3, 59. detractionem potius quam aposiopesin sive reticentiam nominari vult[24]). Illa autem ad hilare vivendum exhortatio, *ἥξει ὁ πορφύρεος* Anth. P. XI. 13., presso nomine facetior est quam adiecto tristior.

§. 6. Ostendisse mihi videor reperiri apud veteres antiphrasis euphemisticae, quam ne Quintilianus quidem repudiat VIII. 6, 57. exempla minime dubia, sed ea neque tam crebra esse quam technographi tradunt, neque pari ad persuadendum momento. Duo restant, de quibus nihildum dixi, *ἄχαρις* et *κάλλίας*. Quorum illud seiunxi a reliquis, quia non contrarium significat eius quod intelligitur, sed aliquanto minus. Sumtum id est ab Herodoto, qui saepius *ἄχαρις συμφορή* dixit pro tristissima; quod reprehendit Longinus ut imbecillius, sed imitatur Dionysius Anth. I. 21. *ἄχαρις συμφορὰ ἀδελφοκτόνος*; geminumque aliis attenuationis exemplis *ἄζηλος* et *ἀμέγαρτος*, quae pro *οἰκτρός* valent, *ἄσωτος* pro perditus, *ἀηδής* pro odiosus, latinisque *inamabilis*, *inutilis*, *ignobilis*, *illaudatus Busiris*, quod castigarunt Virgiliomastiges ut parum idoneum ad expri-

---

23) *Nox dicitur ab eo quod humanis noceat.* Virgil. Epit. IV. 3. p. 122. in Maii Script. Class. T. III.

24) Est et tertia euphemismi figura quae proprium nomen non habet: ἔστιν· ὅπως οὖν ἔστιν, ἔπραξαν. ὡς ἔπραξαν, id est κακῶς. v. Blomfield ad Agam. 66. Iacobs ad Ael. p. 60.

mentiam indignatio exclamationibus detestationem, nec excusatur a Gellio II. 6. hyperbolis exemplis μύριοι ἀμφίπολοι et τὼ δ' οὐκ ἄκοντε πετέσθην, quod Graeci illi antiphrasi subiiciunt; alterum Gronovius initium esse suspicatur, quia dissimile sit proximo, sed fallitur. Nam nihil refert, utrum negatio apposita sit extrinsecus, οὐ μεμπτός (sic enim grammatici ἄμεμπτον interpretantur), an cum verbo composita, ἀμέγαρτος vel ἀμειδής, quibus Pindarus et Aeschylus utuntur pro fortiori ἄμεμπτον, veteresque ἀπέραντος et antiphrasis exempla parum discreta habuisse ostentui est illud ipsum ἄχαρις a Tryphone relatum. Eodem pertinent quae vel damni imminutionem significant, ut homericum ἀπήμων, id est salubris, vel commodi, λιμὸς ἀκήριος Hom., δυστέρπνῳ κακᾷ Aeschyl. qui hoc genere abundat, ἀδίψητοι ἀγέλαστος, λιμὸς δυσφιλής etc. ποτὸν ἀχρήματον ... ἄλμης, unde nihil efficitur est in Musaei v. 227, οἶνος ἀπειρώδης Apoll. II. 493 et ἀκέρδεια Pind. Ol. I. 84 ab frequentissimum ἀμειδής pro φοβερός Oppian. Cyn. II. 459. Anth. P. VII. n. 450. Orph. Arg. 970. Apollinar. LXXVII, 107, quod et vulgi sermo adoptavit: ἀμειδήτοις ἔδοσι κευθμῶνες Suid. s. Ἀδάμ p. 46, φάσματα ἀμειδήτοις προσώποις Salom. Sap. XVII. 4, et post particulam negativam οὐκ ἀπεχθὴς ὁ φιλόφρονος Sch. Theocr. I. 142, homo haud impurus. Tacent pro scitus; neque composita solum sed simplicia quoque, modo sola ut σχολῇ pro ἀσχόλως Schol. Oedi T. 434, ... ἀντὶ τοῦ οὐδέν Sch. Orest. 1096, ipsumque Homerum herbam Moly χαλεπὸν ὀρύσσειν dixisse ad significandum ἀδύνατον veteres scribunt EM. 304, 56, quae iste nominari potest antiphrasis nullo pacto; modo coniuncta cum negatione, οὐκ ἐλάχιστον, οὐχ ἥκιστα, quod unum genus Matthiae in Gramm. § 464. tractare dignatus est.[25] Equidem haec et similia, quae ubicunque vel in quotidiano sermone gregatim occurrunt, ne annotatione quidem magnopere digna arbitror. Sed si quae Graecorum propria et peculiaria sunt et quorum ratio parum in promptu posita aut interpretatio disputabilis, ad ea animum advertere et mihi operae visum est et fortasse aliis videatur. Huius ... est alterum eorum, quae me nondum

25) Apud Photium Ἥκιστα — ἀντὶ τοῦ πάνυ excidit negatio, ut in Anecd. Bekk. 147. Sed posteriores Graecos non solum ἄχρις pro interdum, sed etiam οὐδαμῶς pro semel vel raro dixisse satis testatum, v. Ritschel. Praef. Thom. p. LXXXVIII, neque inexplicabile est.

ad [illegible] ἐκαλεῖτο, de quo Tryphoninus [illegible] que consentit Galenus eo loco, quem in Aglaoph. attigi, similem ita vocari irritandi nominis proprii causa, quod animal sit obscoenum [illegible] temporibus praesertim [illegible] Callimacho teste, ὃ πρὸ [illegible] ὥρης [illegible]. Id confirmat Lucianus Amor. c. 39. [illegible] ἀνομασθῆναι [illegible] 26), simiam, ut apparet, significans, quae vian ingressuris malum [illegible] portenderet. Hanc igitur satis idoneam causam indicamus cur turpissima, ut Ruhnk. ait, bestia καλλίας transnominaretur, bonae scaevae causa. Quum tamen satis superque constet fuisse qui [illegible] [illegible] domi alerent colerentque [illegible] ritu, non minus plausibilis coniectura est illam blandientium fuisse vocem, qua domini delicias suas appellarent, pueri praesertim, πίθων γάρ [illegible] καλὸς αἰεὶ καλός — Pindarus ait 27). Ac nescio an in Luciani Apol. p. Merc. cond. § 1. [illegible] [illegible] τὰ [illegible] καὶ τὰ [illegible], pro nomine paene desperato reponendum sit τὰ καλλίδρια. Hinc ad alia transeamus mangonia, quibus Graeci nomina inauspicata aut aliqui religiosa emollire studuerunt. Primum per epitheta: Schol. Il. IX. 457. ἐπαινὴ Περσεφόνεια, ἣν οὐκ ἄν τις ἐπαινήσειεν· ἀντίφρασις ὁ τρόπος, recte fortasse, neque tamen repugnat, honoris causa ita nominatam esse deam, sicut eadem aliis poetae locis ἀγαυή dicitur (quod Wyttenbachius ad Plut. de aud. poet. p. 238. parum probabiliter explicat) et coniux Κλυμένος et satellites σεμναὶ θεαί, utique non solum, sed cum multis aliis dearum. Ceterum ne de etymo quidem inter omnes convenit. Propius ad euphemismi similitudinem accedit Hecatae epitheton ἐραννή in Orph. H. I, sublatum tamen Hemsterhusii correctione [illegible] ad Lucian. Necyom. § 9., quam neglexerunt interpretes, neque admodum necessariam duco huic centonario poetae epitheta undelibet corrogare solito. Aliud proponit, sed non sine dubitatione, Schol. Apoll. I. 1141. [illegible] [illegible] [illegible], ubi cod. Par. [illegible], fere ut EM. 281 loco sale-

---

26) Iacobitzius sic e codd. edidit pro [illegible], cui Callimachi verbum [illegible], id est primas, fidem conciliat.

27) Eustathius Or. XI. p. 63, 70. [illegible] [illegible]

bronei Βδάντηρος ἡ Ῥέα· ἀνταίην γὰρ αὐτὴν ἐκάλουν διὰ τὸ δυσάντητον εἶναι — κατ' εὐφημισμόν, et est hymnus orphicus Μητρὸς ἀνταίας inscriptus, in quo Ceres cum Rhea confusa invocatur ἐλθεῖν εὐάντητος, quod idem est cognomen Noctis III. 14, Dianae XXXV. 7, Curetum XXXI. 7, ipsiusque Iovis Anth. Append. n. 283, et Hecaten dictam fuisse ἀνταίαν ob nocturnos spectrorum occursus Hesychius testatur, quorum neutrum euphemismi speciem habet [28]. Neque aptius est Hom. Il. XIX. 91. πρέσβα Διὸς θυγάτηρ Ἄτη, ubi Schol. πρέσβα, inquit, κατ' εὐφημισμὸν ὁ λόγος, οἷον καθὸ θεὸς πᾶσι τιμία· ἐπεὶ πῶς αὐτὴν οὐλομένην καλεῖ, diversos ille duces sequens; nam qui illa scripsit καθὸ — τιμία, recte intellexit eandem πρέσβαν dici posse ob dignitatem divinam ut δῖα Χάρυβδις et δῖα Χίμαιρα explicantur, et οὐλομένην ab effectu, cuiusmodi contrariorum complexio in illo versu, Ἀτρείδη κύδιστε φιλοκτεανώτατε πάντων, Bentleio elicuit correctionem supervacaneam κέρδιστε. Nam si vel hodie unum ex illis theologiae doctoribus, qui Zionis custodes cluent, sic appellare velimus, ut et tituli quo gaudet et sectae quam sequitur rationem habeamus, quid aliud appellemus nisi *tenebrionem summe venerabilem*? Quam ἐπιπλοκὴν ψόγου καὶ ἐπαίνου Eustathius rectissime in illo animadvertit versiculo. Nihilo plus fidei invenit Schol. Apoll. I. 1019. τὰ μεγάλα τῶν παθῶν εὐφήμως ἱερὰ καὶ καλά φασιν ὡς καὶ τὰς Ἐριννύας Εὐμενίδας, τὴν δὲ λέπραν ἱερὰν νόσον καὶ τὴν λοιμικήν τινες οὕτως ἐκάλεσαν, multique epilepsiam ita vocari tradunt ob atrocitatem morbi; nam ἱερὸν dici τὸ μέγα καὶ ἰσχυρὸν (ab ἴς) Aretaeus ait, Galenus vero quia morbus a diis immitti credatur, v. Bernard. ad Nonn. XXXVI. 145. Dietz. ad Hipp. de m. sacr. p. 95. Neque divinitatis opinione caret aspis venenatissima, de qua Eustathius Opusc. XVI. 144, 50. ὄφις ἱερὸς εὐφήμως ἀντιφράζεται παρὰ τοῖς βουλομένοις ἐκθειάζεσθαι τὴν ἀπ' αὐτοῦ βλάβην. Pro adiectivi καλός usu figurato nihil afferre possum nisi compositum καλλιώνυμον, quo Hesychius verenda

28) Erotianus: Ἀνταῖον θεὸν τὸν βλάβης ὑπονοούμενον αἴτιον ἔσεσθαι. Ἀνταῖον δὲ ἐκάλουν τὸν σώφρονα (sententia ἀσίφρονα vel βλαψίφρονα requirit), ὡς καὶ Σοφοκλῆς ἐν Κλυταιμνήστρᾳ, τὸν δὲ ἀνταῖον περιδινέοντα οὐχ ὁρῇς καὶ πτερὰ προσπνέοντα ἀντίας θεοῦ, quae videntur Orestis esse verba coeco Furiarum impetu agitati, ut in Choeph. Aeschyli et Euripidis Electra. Sententia huiusmodi fuerit: τὴν κλωπὸν δὲ πῦρ δονοῦσαν οὐχ ὁρᾷς καὶ δεῖμα προσπνέουσαν ἀνταίας θεᾶς.

utriusque sexus significari testatur, et piscis nomen ἀλεσσούριον τὸ καλούμενον θαλάσσιον αἰδοῖον, ὅ τινες κατ᾽ εὐφημισμὸν καλλιώνυμον καλοῦσι EM. 59, 52. Καλικάντζαροι unde vocati sint, daemones infesti, quos gens superstitiosa hebdomade Christi natali grassari credidit, et καλαμίνθη, herba non solum gravis, ut nunc est, sed foedi, ut ex Aristophane apparet, odoris[29]), unde nomen traxerit non quidem memini proditum esse; Scholiastes Arist. Ran. 1107. cum μίνθος et μινθῶσαι componit nepetae nomen μίνθη τὸ παρ᾽ ἡμῖν ἡδύοσμον, et hoc quoque a contrario ita dictum esse significat Sch. Nic. Al. 374. Quod si ita se habet, illud quoque cum καλός utut parum ad regulam compositum esse suspicer. Urbem Maleventum ascivisse nomen auspicatius Beneventum Plinius auctor est, nec videtur addubitari posse. Euxinus vero nominatus est qui prius Ἄξενος, non ut Eustathius censet ad Dion. 146. κατὰ σχῆμα εὐφημισμοῦ, sed ob mutatum locorum habitum. Ptolemaeorum quarto ex facinoris crimine cognomentum Philopatori fuisse Iustini error est XXIX. 1; v. Drumann. de Inscr. Rosett. p. 59. Euergeten sane plebeia dicacitas in Cacergeten vertit, ut Philostorgium in Cacostorgium et id genus alia a Fabricio collecta Bibl. Gr. T. I. 231 sq.; sed haec ab antiphrasi excludit canon Proculi in Chrestom. p. 988. et Schol. Arist. Ach. 1277. τὰ κατὰ ἀντίφρασιν ὡς ἐπίπαν τοῦ εὐφημισμοῦ στοχάζεται οὐκ εἰς κακοφημίαν μεταβάλλει τὸ εὔφημον, quo refelluntur qui scolia dicta esse statuerunt ὡς ἁπλᾶ καὶ εὔκολα, Sch. Plat. p. 341.

§. 7. Est vero tertius modus quo vocabula, quae ab aurium approbatione abhorrent, mitescere creduntur adhibita quadam elementorum mutatione intestina. Palaephatus c. V. ἐγένετο ὁ Οὐρίων οὕτως ὀνομασθεὶς διὰ τὸ οὐρῆσαι τοὺς θεούς· ἔπειτα κατ᾽ εὐφημισμὸν Ὠρίων, quae iam Leopardus refutavit Orionis patrem Hyrieum et patriam Hyriam afferens. Aeque insulsi sunt qui Homerum Πηληιάδης quam Πηλείδης maluisse opinantur διὰ τὴν κακοφωνίαν[30]) EM. 670, 29. et urbis Πύγελα nomen εὐφημότερον ἰδιωτισθῆναι Φύγελα Eust. p. 145, 10, cui simile est Festi acumen, urbem Egestam melio-

---

29) „Mentastrum a Graecis calamita (— minta) vocatur" Dynamid. L. II, 48, 441. in Maii Class. Auct. T. VII.

30) Non soni, sed significationis, v. Parall. p. 37. Lucianus Asin. §. 35. κῆρυξ εὔφημος, id est εὔφωνος, ut in uno cod. scriptum est.

rio quinia causa Segestam vocitatam esse [30]). Item Iosephus c. Ap. I, 34. memorat Lysimachi opinionem improbam, urbem Palaestinae principalem primum Ἱερόσυλα vocatam esse ob sacrilegia Iudaeorum in peregrinatione commissa, postea autem Ἱεροσόλυμα — πρὸς τὸ μὴ ὀνειδίζεσθαι. Stephanus autem ait insulam Πορδοσελήνη elegantiae delicatiaeque nominari Ποροσελήνη. Sed deridetur haec religio a Strabone XIII. 619. τὰς δυσφημίας τῶν ὀνομάτων φεύγοντές τινες Ποροσελήνην δεῖν λέγειν φασί· τὸ δ' Ἀσπόρδηνον ὄρος Ἀσπάρηνον. Τί οὖν φήσομεν τὴν πόρδαλιν καὶ τὸν σαπέρδην καὶ τὸν Περδίκκαν καὶ τὸ πόρδακον; Cuius si valet sententia, hoc ex genere vocabulorum topicorum nullum proferre possum causae nostrae adminiculum, nisi forte urbs Monachium a Thierschio Munychia transnominata est ideo, ut animos a cogitatione monachorum, qui istic dominantur, abduceret. Cum Strabone vero consistit Quintilianus VIII. 3, 44. eorum castigans fastidia, qui vel levissimam turpitudinis auram perhorrescunt, quique adeo honesta verba in obscoenum intellectum detorquent [32]). Directum atque perpetuum praeceptum res non capit. Nam ut in ceteris vitae negotiis atque actionibus, ita in dicendi ratione aliis alia neque semper iisdem eadem honesta decoraque videri solent. Ad iocum risumque compositum est quod Hesychius refert ἐς ἰωνιάν, εἰς κοπρῶνα, sed serio Pollux X. 45. δίφρον καὶ διφρίσκον εἴποις ἂν τὰ λάσανα εὐφημότερον, cuius synonyma cumulat Hesychius Ἀφεδρῶνες, σέλλαι, σωτήρια, ἀναγκαῖα, similiaque Valckenarius ad Herod. IV. 113. De Eur. Phoenn. 1289. μάντεις τε μῆλ' ἔσφαζον ἐμπύρους τ' ἀκμὰς ῥήξεις τ' ἐνώμων ὑγρότητ' ἐναντίαν, dissident interpretes graeci, quid hoc nomine significatum sit, urina an χολή, quam ἐναντίαν dici po-

31) EM. 101, 37. Ἀνδάνεια πόλις — κατὰ ἀντίφρασιν, ὅτι οὐδὲν ἤρεσκε. Stephanus Ἀνδανία — διὰ τὸ μὴ ἁνδάνειν αὐτοῖς, antiphrasin praetermittens, sive quod nullam esse credidit nomine ex Ἀανδανία contracto, sive eam ipso spiritus defectu satis declarari ratus est, ὅτι συνέπαθεν ἡ φωνὴ τῷ σημαινομένῳ, ut Trypho loquitur EM. 794, 4. mirifici dogmatis auctor, literarum imminutione imminui significationem Eust. 194, 46. Urbs ab omnibus Andania vocatur, neque aliter scribendum videtur in EM.

32) Huiusmodi argutias Cl. Sacerdos Gramm. I. p. 31. et ceteri rhetorum afferunt plurimas, fortasse ex Annaei Cornuti libro de figuris, v. Gell. IX. 10.

tuisse vel ut contrarium igni vel διὰ τὸ ἄπυρον οὖσαν φλεγκεῖαι καλεῖσθαι, hoc est per euphemismum sacrificalem, de quo antea exposui. Sin Euripides alterum humorem intelligi voluit, delicatior fuit Aeschylo, qui in Choephoris Orestis nutriculam de huiusmodi rebus plane stoice εὐθυρρημονοῦσαν inducit. Idemque hoc nomine laudatur a Schol. Phoen. 18. Ἐμπεδοκλῆς σχιστοὺς λιμένας Ἀφροδίτης, Εὐριπίδης δὲ τὸ αὐτὸ φάσκων τέκνων ἄλοκα, τὴν ἔννοιαν τὴν αἰσχρὰν ἀπέφυγε. Quanquam confitendum est, haec nuptorum et praetextatorum verborum involucra saepenumero plus artis et simulationis habere quam veri pudoris. Illius autem argutulae cavillationis, de qua Quintilianus loquitur, exemplum mihi videre videor in EM. Ἀρχολίπαρος ὁ λιπαρῶν ἵνα ἀρχῆς τύχῃ ἢ ἐκ τοῦ ἄρχειν λιπαινόμενος· οὕτω Τράγκυλλος περὶ βλασφημιῶν. Significatur sine dubio Suetonii commentarius περὶ δυσφήμων λέξεων ἢ βλασφημιῶν καὶ πόθεν ἑκάστη, Suid., in quo tum alia, quae in hac disputatione attigimus, exposuisse videtur, tum vocabula illarum partium, *quas sine venia nefas est ac sine honoribus appellare praefatis*; inque his illam, cuius nomen quibusdam intempestivam facetiandi materiam praebuisse, apparet ex Eustathii verbis p. 241, 3. ὄρχις καὶ κρύφιόν τι σώματος μέρος ἐκλήθη, ἀφ᾽ οὗ καί τις χιλίαρχος οὐκ ἀγλαφύρως ἐσκώφθη, hoc ineptiore lepore, quod propolae emtores, qui primum se offerrent, εὐάρχους appellabant εὐφημιζόμενοι EM. 388, 42. Sed illis similes nugatores nomen ἀρχολίπαρος in obscoenum, ut Quintilianus ait, intellectum detorsisse videntur. In alteram partem peccavit Apollodorus, si, ut Athenaeus refert II. 66, A, nomen ἐγκέφαλος a nullo veterum admissum esse credidit, tragicorum quibusdam versibus nixus, qui illo abstinent non religionis causa, sed quia vilius est et facile decora evitatur periphrasi.

§. 8. Nihilo secius illa verborum tristium et profanorum circuitio sat multis testata est exemplis; in quibus si acquievissent grammatici, nihil erat quod culpari posset. Sed ut raro consistitur unde coeptum est, ita illi fines, quos natura huic generi circumscripsit, supergressi rationem bene institutam perverterunt. Verum tamen excusari possunt, quod veteres ipsi nonnunquam ita perplexe loquuti sunt, ac si interpretes suos ad scopulos appellere destinassent. Quibus non solum barbati illi adhaeserunt, sed nos quoque, qui nobis haud paullo

plus saepe videmur, crebro impingimur. Velut Heynius ad Il. X. 98. de verbis istis ὕπνῳ καὶ καμάτῳ ἀδδηκότας sic disserit: plura in prisco sermone occurrunt, in quibus pro defectu et absentia rei ipsa res ponitur; cuius generis multa in lyricis et tragicis animadverti. Quid enim hoc est nisi germanissima antiphrasis, cuius vim hoc loco agnoscit Scholiasta: ὕπνῳ τῇ ἀγρυπνίᾳ λέγει, nomenque ipsum apponit Schol. Od. XII. 281. ἀγρυπνίᾳ κατ' ἀντίφρασιν [33]). Ista quae Heynius in lyricis et tragicis se animadvertisse perhibet, si protulisset, sine dubio tam aliena reperirentur, quam est Eustathianum illud, quod protulit, ἡ ναῦς ἀπώλετο διὰ τὸν κυβερνήτην, hoc est absentia eius, et cetera quae ad Ai. 674. tractavi. Hoc vero loco defectus rei non ex nomine intelligitur, sed ex adiuncto ἀδδηκότες, sicut qui insomniis cruciantur somno laborare dicuntur, et annona laborare ii quos rei frumentariae inopia premit, cf. Heller. ad Soph. Oed. C. 436. p. 341. Item quod Medea dicit Eur. 972. παίδων φυγὰς ψυχῆς ἂν ἀλλαξαίμεθα valet pro contrario μονήν, similiterque Latini vitam redimere et mortem redimere eodem intellectu dicunt. Homerico loco haud incommode subtexturus videor Sophoclis verba Phil. 827. Ὕπνε εὐαὲς ἔλθοις, ὄμμασι δ' ἀντίσχοις τάνδ' αἴγλαν ἃ τέταται τανῦν, quae quam prope accedant ad antiphrasis speciem manifestum faciunt interpretes, quorum alii contrarium ἀχλύν reponendum, alii intelligendum putant, ut Hermannus et Seidlerus, oculis praetendas eam quae nunc expansa est lucem, hoc est caliginem, nam Philoctetae dormienti lux nulla est. Ac nos quoque hac figura interdum utimur; libertas qua nunc fruimur, aliaque in hunc modum rhetorica magis quam poetica. Equidem nescio an spectatores, quum Philoctetam plena luce diei circumfusum viderent, hanc potius significari crediderint, quam caliginem quae dormientis oculos obsidebat; quapropter suspicor ἀντίσχειν significationem habere ἐκ τοῦ παρεπομένου obtendendo arcere: obtenta nube soporis ab oculis Philoctetae prohibeas radios solis late splendentis [34]). Utcunque

33) Similem ἐναντιοφάνειαν Aesch. Ag. 2. φρουρὰν κοιμᾶσθαι Scholiasta sine antiphrasis ope expedivit, nihil moratus contrarium φρουρὰν κατακοιμῆσαι.

34) Quid tandem sibi voluit Apollonius IV. 169. ὡς δὲ σεληναίην παρθένος αἴγλην — ὑπωρόφιος θαλάμοιο λεπταλέῳ ἑανῷ ὑποΐσχεται? Equidem

se res habet, certe manifestum est hunc locum ita comparatum esse, ut facile antiphrasis suspicio oriri potuerit. Nec minus ad fallendum composita Euripidis oratio Troad. 548, quam Seidlerus illo Sophoclis exemplo illustrat, ἐν ὄρφναις παμφαὲς σέλας πυρὸς μέλαιναν αἴγλαν ἔδωκε παρ' ὕπνῳ, tenebras interpretans; nec mirarer si veterum aliquis adscripsisset λευκὴν κατ' ἀντίφρασιν, ut ab Homero dicitur λευκὴ αἴγλη. Sed poeta tempus indicare videtur proximum illi, quo ἕσπεροι λαμπτῆρες οὐκέτ' ᾖθον (Soph. Ai. 285), lumenque sublustre et tenebris interruptum, quale flamma spargit marcescens, μέλαιναν αἴγλην dicere quamvis retento ignis epitheto perpetuo παμφαὲς σέλας, sicut Homerum lunam aliquando φαεινήν dixisse aiunt οὐ τὴν τότε οὖσαν λαμπράν. Non minus laboratur in Med. 993. παισὶν οὐ κατειδὼς ὀλέθριον βιοτὰν προσάγεις, ubi quod Elmsleius recepit ὄλεθρον οὐ βιοτάν, interpretamenti loco esse potest: *vitae quae filiis tuis paras praesidia, perniciosa erunt et quasi salus exitiabilis*, ut δῶρον ἄδωρον, χάρις ἄχαρις et alia oxymora. Alia est species epithetorum repugnantium sive contradictionis, ut dicitur, in adiecto[35]), quae antiquos Homeri explanatores in discordiam egit, modo poetae negligentiam culpantes, modo culpam praescriptione figurae tegentes, donec intellexerunt epitheta, quae minus ad rem accommodata viderentur, iure quodam usucapionis defendi posse. Sic pro φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη Il. XX. 40. fuerunt qui Διὸς θυγάτηρ Ἀφ. substituerent, ἄτοπον γὰρ τὸ φιλομμειδὴς ἐπὶ πολεμούσης, et XXI. 218, ubi fluenta sanguine cruentata ἐρατεινὰ ῥέεθρα vocantur, diple apposita est ὅτι ἄκαιρον τὸ ἐπίθετον; sed alii

interpretabar *subtendit fulgorem lunae*, hoc est subtento sive interposito velo excipit et mitigat, ut apud Sophoclem ἀντίσχειν *obtendere*. Lehrsius vero hunc putat oris serenitatem significasse ex vultu dormientis consopitis doloribus renidentem.

35) Huius est genus quoddam late fusum, sed ab hac causa alienum, χρύσεια ἀλάβαστρα Theocr. XV. 114. κέραμα ἀργυρῷ καὶ χρυσῷ Athen. VI. 229. C. ἀργυρὶς χρυσῆ XI. 784. A. κεραμὶς μολυβῆ XIV. 621. A. πυξὶς χαλκῆ Galen. de Comp. Med. p. Loc. II. 584. T. XII., quo exemplo Trypho de Fig. II. 731. Georgius Choerob. III. 806. Quintilianus III. 6, 35. et alii utuntur eo loco ubi de abusione disserunt, neque Proculus oblitus est haec pseudonyma in exemplis etymi obliterati referre Comm. in Crat. p. 44. Eodem pertinent νεβρῇ παρδαλέῃ Orph. Arg. 451 et κυνῇ χαλκῆ. Epiphan. de Pond. et Mens. p. 183. T. II. Pet. παρ' Ἀλεξανδρεῦσι τὰ ἀργύρια καλοῦνται χάλκινα.

hoc loco et ad IX. 555. Addiderunt, appositis non semper praesentem rerum conditionem, sed saepe etiam quales natura sint declarari. *Virgilius pro negotiorum qualitate dat epitheta, quum Homerus etiam in contrariis servet*, Serv. ad Aen. II, 7. Itaque eum ἐσθῆτα φαεινὴν dixisse οὐ τὴν τότε οὖσαν φαεινήν, ἀλλ' ἔτι λαμπρὰ τῇ ἰδιότητι Sch. Il. VIII. 555. et κλυτὰ εἵματα οὐ τὰ τότε, ἀλλὰ τῇ φύσει Sch. Od. VIII. 58. Hinc nata est illa distinctio epithetorum catholicorum, quibus character rerum indelebilis indicatur, et specialium. Schol. Od. XII. 242. γαῖα κυανέη καθολικὸν ἐπίθετον, οὐ μερικόν. Et neque Il. XXI. 552. μητρὶ φίλῃ χωόμενος — καθόλου τὸ φίλῃ, οὐ γὰρ ἦν τότε. At contra Sch. IV. 182. εὐρεῖα χθὼν οὐκ ἔστι καθολικόν, ἀλλ' ἐν ἴσῳ τῷ εὐρεῖα γενομένη. Et πλατέος Ἑλλησπόντου, quod nonnulli per antiphrasin dictum acceperunt, Lytici non totum significare docent, sed partem: οὐ καθολικῶς λέγει, ἀλλ' ἀπὸ μέρους, v. Toll. ad Apollon. s. h. v. Similia quaedam attuli ad Ai. 139. p. 134. Aliud effugium praebuerunt nomina cum alpha privativo composita: Ἀσήμοις τόποις κατ' ἀντίφρασιν ὡς καὶ ἀγάλακτος καὶ ἄξυλος Erotian., qui nihil aliud nisi enantiosemiam significat, ut Donatus ad Andr. I. 1, 101. separaverunt κατ' ἀντίφρασιν dici fabulam, *quod sine re pulcra est*. Haec propria antiphrasis non est; nam adiectiva illa utroque versum dicuntur, quia alpha tam augendae quam minuendae rei valet, non figurate, sed proprie. Neque huc alia referuntur vocabula contrarias potestates pro natura etymi sortita, ut θοός, quo grammatici interdum fixum et stabile significari statuunt exemplis commenticiis, δαῖτα θοὴν τὴν ἑδραίαν, θοὴν νύκτα τὴν ἀκίνητον[36]), sed nunquam pro antiphrasi utuntur.

§. 9. Est vero vocabulorum genus ambiguum et versatile, quod modo in laudem dicitur, modo in vituperationem eoque cum alios in antiphrasis suspicionem adduxit tum Galenum in

36) Cram. Anecd. I. 200 sq. In Antimachi versu, quem hic afferunt, Ἀΐδος ἐκπρολιποῦσα θοὸν δόμον, adiectivum neque nigrum significat neque immobilem, sed celerem, hoc est, quem illa celeriter reliquit, ut Tacitus dixit Ann. III. 1. *Brundusium naviganti celerrimum erat*, contrariumque Valerius Flaccus IV. 705. *serum Phasidis amnem* nominat, quo sero pervenerunt Argonautae; pariterque ταχὺς et αἰψηρὸς ab actore transferri ad adiuncta ostendi ad Ai. v. 249. Antimachus fortasse de Iunone loquitur Furiae excitandae causa Orcum ingressa, unde apud Ovid. Met. IV. 477. *laeta redit Iuno*.

Comm. III. in Hesiodi Opp. 51, 691. T. XVIII. P. II. ὁ δὲ εὐήθης ἠλίθιος ὁμοίως λέγεται τῇ συνηθείᾳ καὶ τῇ καλλίστῃ γλώσσῃ μὲν τὴν χολὴν[37]) ὀνομαζόντων τῶν ἀνθρώπων ὅτι θύηται τοῖς θεοῖς εὐφημίας ἕνεκα, καλλίαν δὲ τὸν πίθηκον, ἀλλὰ καὶ πολλὰ τὴν προσηγορίαν φυλάττονται λέγειν· et in Comm. III. in Progn. 2, 236. εὐήθεις οἱ ἄνθρωποι λέγονται μὲν καὶ κακοήθεις ἐν ὑποκρίσει, καθάπερ καὶ ὁ πίθηκος· λέγονται δὲ καὶ ἐπαινετὸν ἔχοντες τὸ ἦθος. Falsum est homines improbis moribus vocari εὐήθεις, neque vera redditur huius nominis ratio. Forsitan aliquando aliquis amici ἄνοιαν invidiae minuendae causa εὐήθειαν vocavit ὑποκοριζόμενος, ut Plato ait Civ. III. 400. E.; sed multo saepius fit ut homo ἁπαλός et simplicior, qualem ea saepe libenter obtulit Horatius, εὐήθης existimetur non suo sed seculi vitio. Eodemque degeneravit nomen χρηστός. Sed quod Ruhnkenius ad Tim. p. 132 huic aequiparat γλυκύς et ἡδύς, si in hominem stultum conferuntur, significationem propriam non amittunt; nam aliorum stulte dicta et facta ludo nobis et voluptati esse solent (Gell. VI. 16.), ipsosque lepidos vocamus et ioculares, non per antiphrasin, ut Donatus censet ad Andr. II. 20, 50., sed ex animi sententia; neque non admiramur illos quibus dicimus ὦ θαυμάσιε, ὦ μακάριε, δαιμόνιε, o felix cerebri, sed admiramur ob quandam morum opinionumque perversitatem. Verum non solum εὐήθης, sed etiam alia ab hac particula composita grammaticis errorem obiecerunt; εὔωρος ὁ μὴ φροντίζων κατ' ἀντίφρασιν EM., εὐωρία ὀλιγωρία· εἴληπται ἐκ τῶν ἐναντίων et εὐωρίζειν ἀφροντιστεῖν κατ' ἀντίφρασιν Phot., ob nihil aliud, puto, quam quia ab incurioso proxime abest qui leviter curat operaeque parcit vel, ut graece dicam, ὁ ἀταλαίπωρος καὶ ῥᾳδιουργός, saepeque εὔκοπον et ἄκοπον haud facile dignoscas. Nec maiore ad persuadendum momento Schol. Nic. Th. 594. εὐώδεα πίσσαν κατ' εὐφημισμόν, βαρύοδμος γάρ, ὡς τὴν χολὴν γλυκεῖαν καὶ τὸ ὄξος γλυκάδιον, καὶ τοὺς ταχεῖς κύνας ἀργούς φησιν Ὅμηρος, errorem errore cumulans; parique prosodiae inscitia Eustath. 42, 19. et Schol. Od. XII. 70. ἀργός celer et Ἀργώ ad antiphrasin repetunt[38]).

---

37) Sic manifesto scribendum pro τὴν ὕλην, ut in ed. Ald. T. V. 167. b. et Basil. legitur; Kuehniana praebet τὴν σῦν. Sed hanc suem immisit editor tacita coniectura eoque mendose scriptum reddidit mendosius. Scilicet meminerat sues diis immolari, fel non meminerat.

38) Ἀργός, sive celer significat sive candidus, unum idemque esse ple-

Sequitur Εὐχερικός· συμβόλως μὲν ὁ ἐξ ἀρρωστίας ἀπαλλαγέντι, ἐπινικοὶ δὲ ἐπὶ τοῦ νεκροῦ τιθέασιν, ἴσως κατ' ἀντίφρασιν EM. Suid., cuius significationis, quia exemplum non suppetit, ratio expediri non potest. Ex duabus interpretationibus nominis Εὔριπος, ὁ εὐχερῶς ῥιπιζόμενος, ἢ παρὰ τὸ εὖ, κατὰ ἀντίφρασιν EM., si necesse sit alterutram probare, nemo ambiget utram praeferat. Sed paulo plus contentionis erit de Hesychii interpretatione Εὐφήμοις γόοις· δυσφήμοις κατ' ἀντίφρασιν Αἰσχύλος Γλαύκῳ, et de verbo hinc propagato. Natura omnis lamentatio δύσφημος est, sed temperatur sane lamentationum εὐφημίᾳ, si mortuo lessum faciunt, in quo στένουσιν εὖ λέγοντες ἄνδρα Agam. 433., eaque res longissime ab antiphrasi distat, nisi forte pretio conducti illaudatos laudant, quod interdum fieri aiunt in concionibus funebribus nobilium. Eadem ratione solvi potest quod sequitur Εὐφημοῦσι· στένουσι, κωκύουσι κατὰ ἀντίφρασιν. Sed opportune testem sistit tertio loco Ἀνευφήμησει· ἀνοιμώξει κατὰ ἀντίφρ. Σοφοκλῆς Τραχινίαις, significans Trach. 785. ἅπας δ' ἀνευφώνησεν οἰμωγῇ λεώς, ubi critici illo indicio usi ἀνευφήμησεν restituerunt confirmatione scholiastae Rom. interpretatione κατὰ τὸ ἐναντίον ἐπέκραξε. Hic illi laudis et praedicationis temperamento nihil loci est, neque hac excusatione uti licet in Eur. Or. 1341. ἐπ' ἀξίοισιν ἆρ' ἀνευφημεῖ δόμος, ubi Schol. ἀντὶ τοῦ δυσφημεῖ κατ' ἀντίφρασιν, sed significantur potius vociferationes Helenae et domesticorum, quibus Orestes et Pylades necem intenderant. His igitur locis explicandis unam viam reperio, quam natura quodammodo praemonstrat ipsa. Etenim moeror et laetitia saepe eundem vultum, gestum, sonum habet; nec mirum si, ut Plato ait, alterum ex altero verticibus inter se contrariis deligatum est. Vulgo gaudio exilimus — ἡ δὲ μέγα ἀνεκάγχησε καὶ ἥλατο καὶ τὸ πρόσωπον πλῆξε Anth. V. 287, eaedemque sunt lamentan-

---

rique consentiunt et confirmant latina *argutari*, *coruscare*, *micare*; pedibus argutari Titinnius de saltu fullonio dixit, non ut Freundius in Lexico accepit; nam strepitus, quum lintea calcantur, nullus fit, sed ad significandam μαρμαρυγὴν ποδῶν. A candore morbus, quo oculi caligant, album sive albugo dicitur et graece ἐπάργεμα τὸ λεύκωμα κατ' ἀντίφρασιν Sch. Aesch. Prom. 499. Simili ἐναντιοφανείᾳ deceptus est Sch. Od. XX. 149. Eust. 1887, 36, κορήσατε σαρώσατε εἴρηται κατ' ἀντίφρασιν ὡς καὶ τὸ σάρον ὄφελμα καλεῖται οὐχ ἐκβάλλον τι, ἀλλὰ τοὐναντίον παραιρούμενον καὶ μειοῦν.

tium et sibilantium voces ἰοῦ ἰού [39]) ἤ, ἰαῦ, παπαιάξ, ὦ Ζεῦ, ἰὼ θεοί, dii boni! verbumque ὀλολύζειν et ἀνολολύζειν sic ut nostrum vernaculum aufjauchzen in utramque partem dicitur. Quid? illa mulierum sacris operantium ὀλολυγὴ et bacchantium ululatus et nostrae adeo litaniae atque hoc lugubre κύριε ἐλέησον, num seiuncta sunt ab εὐφημίᾳ et bonis verbis? Hoc igitur pacto intelligi potest cur malis afflicti et periclitantes ἀνευφημεῖν dicantur, quod nihil admodum distat a θεοκλυτεῖν et κωκύσασθαι, et declaratur nonnunquam per adiuncta, ut Aelian. V. H. XII. 1. ἀνευφημήσασα θεοὺς πάντας ἐκάλει etc. Huic in vicino versantur duo verba εὐλογεῖν et ὑμνεῖν. Illius usum euphemisticum animadvertit Hesychius: Εὐλόγησε, ὕμνησεν· εἴρηται δὲ καὶ παρὰ τῇ γραφῇ καὶ κατ᾽ ἀντίφρασιν ἀντὶ τοῦ ἐβλασφήμησε, idque ex interpretatione hebraici verbi, ut aiunt. Ac si detestatio a deprecatione non genere distat, sed gradu modo, profanis quoque licuit hoc verbo uti de iis qui, quod oblatum est, cum bona gratia recusant atque remittunt, ut καλλίστ᾽, ἐπαινῶ dicitur pro παραιτοῦμαι, et renuntiandi quoque atque abdicandi sunt verba honestiora ἀποτάττεσθαι, vale dicere et quae Plutarchus componit de aud. poet. c. V. Ἡσίοδος τῷ αἰνεῖν ἀντὶ τοῦ παραιτεῖσθαι νῦν κέχρηται, καθάπερ ἐν τῇ συνηθείᾳ καλῶς φαμὲν ἔχειν καὶ χαίρειν κελεύομεν, ὅταν μὴ δεώμεθα μηδὲ λαμβάνωμεν. Neque haec orationis delinimenta praetermiserunt grammatici: χαίρειν κελεύω κατ᾽ εὐφημισμόν Schol. Ach. 198. τὸ ἐρρέτω ἐπὶ τῶν ὁμολογουμένως κακῶν λέγομεν, ἐρρέτω φθόνος, ἐρρέτω φιλονεικία· τὸ δὲ χαιρέτω ἐπὶ τῶν ἀγαθῶν εἶναι δοκούντων κατ᾽ εὐφημισμόν Max. Planud. in Bachmann. Anecd. T. II. 40. Haec si quis observatione digna putet, eadem cura amplecti debebit quae tantundem valent: ἔργα δὲ πόντου εὐμενέοι Oppian. Hal. V. 338. σώζεσθε νομαί, ζώοισθε χαμεῦναι Nonn. XV. 412. et quae Valckenarius ad Phoenn. 406. contulit: εὖ πρᾶσσε, ὄναιο, εὐτυχοίης, ζηλῶ σε, quod Schol. Med. 60. ἠθικῶς dici adnotat. De altero verbo est Timaei glossa: Ὑμνοῦσι λέγεται καὶ ἐξ ὀρθῆς λέξεως καὶ κατ᾽ εὐφημισμόν. Itidem Eustathius Opusc. p. 60, 20. et ad Dion. 1181. εἰ δὲ καὶ ὕμνοι λέγονται, παραχρήσεως εἶδός ἐστι,

39) De accentus diversitate quod tradunt, ἰοῦ ἐπὶ χαρᾶς etc., in usu non servari constat. Quippe interiectio nullam certam regulam retinet, Priscian. de Accent. c. VII.

καθ᾽ ἣν καὶ τὸ ὑμνεῖσθαι ἀντιφραστικῶς που ἐπὶ ψόγου ἐτέθη, ὡς ὑμνεῖσθ᾽ ὑπ᾽ ἀστῶν φροιμίοις πολυρρόθοις, Aesch. Sept. 7, quo loco recte adnotatum est ὑμνεῖσθαι μέσον. Illi succinit Schol. Vict. Il. XIII. 227. νωνύμνους τινὲς ἀθρηνήτους· ὕμνον γὰρ καὶ Ἀνακρέων τὸν θρῆνόν φησι, sed consideratius Sch. Od. XIV. 182. νωνύμνους δυσφήμους, οὓς οὐκ ἄν τις εὐφήμως εἴποι, quomodo Ἴλιος οὐκ ὀνομαστή XIX. 260. redditur δυσώνυμος, et innominabilis valet pro infandus, ἄρρητος. Eiusdem generis est nomen paeanis lamenta significans Eur. Tro. 580. τί παιᾶν᾽ ἐμὸν στενάζεις, non proprie nec per se, sed cum adiunctione verbi lamentabilis, etsi hoc quoque Scholiastes κατὰ ἀντίφρασιν accipit et cum Sophocleo ἐνευφήμησεν οἰμωγῇ λεώς contendit. Αἴλινον contra rebus secundis accini Athenaeus colligit ex Euripidis loco, quem Hermannus ita interpretatur, ut repugnantiae species evanescat. Postremo ad hanc familiam vocum mediarum pertinet ἀγαλλιάζειν, adversas inter se significationes conviciandi et praedicandi, sic ut ὑμνεῖν, complexum. Κυδαίνειν autem a κυδάζεσθαι, τὸ κῦδος ab ὁ κύδος forma discretum est, similiterque mulcere et mulcare, pavire et palpare (ut pavimentum, palmentum) a communi etymo mulgo, ἀμέλγω, id est tractim stringo, et παίω in diversas partes diffluxisse videntur. Sed quod ad Ai. 722. cum his composui nomen ὄνειδος, vereor ne grammatici, quos Valckenarius producit ad Phoenn. 828 sine idonea ratione inter μέσας λέξεις retulerint [40]. Euripides quidem illo loco Spartorum progeniem Θήβαις κάλλιστον ὄνειδος vocat, quia a bellua Martigena prodigiose orti, sed iidem Thebanorum nobilissimi erant, et hodie, opinor, aliquis Napoleonis furtivis amoribus progenitus id καλὸν ὄνειδος ducat.

§. 10. Exempla antiphrasis commenticiae, quae perlustravimus pleraque suppeditarunt scholiastae et glossographi ignotae aetatis et fidei. Sed fundamenta tamen huius mataeotechniae multo ante iacta sunt auctoribus minime ignotis, partim philosophis quos prius nominavi, partim grammaticis. Φιλόξενος καὶ Τρύφων φασὶν ὡς παρὰ τὸ πλησίον τὰ ἐγγὺς γίνεται κατὰ ἀντίφρασιν τὸ πλὴν σημαῖνον τὸ χωρίς [41]· οὕτω καὶ

---

40) Sunt qui cum ὦνος (τιμή) et honos cognatum putent.

41) Eodem modo Suid. s. Ἐμπλήν et Sch. Nic. Th. 322; sed videtur idem esse πλέον, πλεῖν, πλὴν ut πλημμελής, Κλειγένης et Κλεομένης.

ἀπὸ τοῦ ἐτὸς, ὃ σημαίνει τὸν ἀληθῆ, γίνεται κατὰ ἀντίφρασιν ἐτώσιον ὁ μάταιος EM. 387, 38. Num vero etiam Aristarchum sinemus huic numero adscribi? de quo Photius et Suidas sic narrant: Ταχυβάμονας ὅρκους Ἀρίσταρχος κατὰ ἀντίφρασιν ἀκούει ἀντὶ τοῦ βραδεῖς. βέλτιον δὲ τοὺς ἐν ἑτέρῳ (ἔρωτι emendant) γινομένους νοεῖν· ἀβλαβεῖς γὰρ οἱ ἐπιορκήσαντες, ὅθεν καὶ παροιμία, Ἀφροδίσιος ὅρκος οὐκ ἐμποίνιμος. Addit Schol. Plat. in Conv. 183. B. μέμνηται ταύτης Ἡσίοδος Ἐκ τοῦ δ' ὅρκον ἔθηκεν ἀμείνονα (fort. ἀπήμονα) ἀνθρώποισι νοσφιδίων ἔργων περὶ Κύπριδος, quae pertinent ad Aegimium Fr. V. 206. ed. Goettl. Hisque convenit hemistichium illud, de quo Aristarchus in commentariis Hesiodiis locutus videtur; sed qua ratione ταχυβάμων tardigradum interpretatus sit, vix divinare licet, nisi forte ex eventu potius quam ex significatione interpretatus est; Iupiter namque, quum Io fide data ad se pellicuisset, cito oblitus est, nec tamen in perpetuum destituit, sed longis erroribus fessam refovit, quare ὅρκοι eius ταχυβάμονες dici poterant, intelligi βραδεῖς id est ὀψιτέλεστοι. Dionysius vero, quo Hesychius utitur, Ἰστριανὰ Ἀριστοφάνης ἐν Βαβυλωνίοις τὰ μέτωπα τῶν οἰκετῶν φησι — Διονύσιος δὲ κατὰ ἀντίφρασιν εἰρῆσθαι ὡς καθαρά, τοὐναντίον δὲ νοεῖσθαι ἐστιγμένα, quicunque fuit, certe antiquus auctor, cuius Aristophanis Scholiastae aliquoties meminerunt, antiphrasin significavit τὴν ἐν ὑποκρίσει sive ironia temperatam, non illam meracam, qua Philoxenus, Trypho Aeliusque helluati sunt et novitiorum grammaticorum libri scatent: ἀκαλήφη κατ' εὐφημισμὸν τῆς ἀντιφράσεως ὠνόμασται· οὐ γὰρ ἁπαλή ἐστι τῇ ἁφῇ Athen. III. 90. B. βάτος κατ' ἀντίφρασιν ἡ ἄβατος Sch. Od. XIII. 103, quod Gregorius de Trop. p. 774. sic ut γλυκεῖα ad euphemismum revocat, et quod omnibus palmam praeripit λίθος παρὰ τὸ λίαν θέειν κατὰ ἀντίφρασιν EM. 565, 50. Ad has igitur ineptias prolapsi sunt homines non indocti, quum ita sibi persuasissent, nullius vocabuli tam abditas esse origines, quin machinationibus quibusdam in lucem erui possent, malleントque rerum vocabula ex vano et falso atque adeo ex adverso ducta credere potius quam ut etymon sibi ignotum esse confiterentur. Equidem permulta, quae ab istis prolata sunt, sciens praetermisi; plurima sine dubio cum auctoribus suis interciderunt. Quae si verae antiphrasis essent documenta, graeca

lingua non multum abesset ab ea, quam Angli Cantianam [42]), nostrates Ienensem et Rotevillensem vocant, hoc est furinam. At medius fidius, quum omnia cum animo reputo, et nostram dicendi consuetudinem quum contemplor, mira repente subit religio metusque, ne priscos sapientesque viros iniuria incusaverim et imprudens culpam contraxerim palinodia piandam. Nam si vere illud dictum est, sermonis facultatem mortalibus ideo a natura datam esse, quo melius animi sensa et cogitata obvolvere possint, quis non fateri cogetur antiphrasin non grammaticorum, ut rebamur, commentum esse, sed naturae inventum? Sic se profecto res habet. Scapham scapham appellare nec decet nec licet, quandoquidem, ut ille ait, *vera rerum vocabula iam pridem amisimus.* Itaque *nanum Atlanta vocamus, Aethiopem cycnum* per antiphrasin, ut scholiasta ait; denique quidquid loquimur, antiphrasis est. *Euge tuum et belle*, quod quotidie ex ephemeridibus recinit, antiphrasis est; *quum populus frequens laetum theatris ter crepuit sonum*, certissime antiphrasis est. Hac figura gratulantur, hac miserent, hac orant, in aula, in foro, in templo ipso: *Mens bona fama, fides!* haec clare et ut audiat hospes; illa sed introrsum: *Pulcra Laverna da mihi fallere!* Itaque hanc dulcioreloquam Lavernae rhetoricae ministram si qua nostra laesit oratio, propitiabimus verbo supplici et solemni ἵλαθι — καὶ γάρ σοῦ μεσταὶ μὲν ὁδοί, μεστὴ δὲ θάλασσα καὶ λιμένες, πάντων θρέπτρια Ἀντίφρασις!

42) Sic certe homo facetus Ioannes Paulus (Jean Paul) anglicanum *cant* interpretatus est Kantianorum perstringens oracula flexiloqua.

Ii qua non multum abesset ab ea, quam Anzii (Antinam [2]), nostrates [illegible] e Hon [illegible], hoc est furinum. At medicus [illegible], quam [illegible], et nostrum [illegible] Nam si [illegible] [illegible]

[2] [illegible]

IO. UDALRICI FAESII

PHILOS. DR. GYMN. TURIC. PROF.

DE ELISIONE *OTI* PARTICULAE IN CARMINIBUS HOMERICIS

DISQUISITIO GRAMMATICA.

Quum vel recentissimi grammatici de hac quaestione in diversas abeant partes, operae pretium visum est denuo accurato eam subiicere examini. Thierschius quidem Gramm. ampl. §. 164, 9. omnino negat etiam apud Homerum elidi ὅτι particulam, et ὅτ' ubi legatur ubique pro ὅτε positum esse statuit. Eidem sententiae astipulantur Kuehnerus Gramm. ampl. I. §. 33, qui nunquam neque apud Homerum neque apud Atticos poetas ι in ὅτι elidi contendit, non magis quam in περί; Bothius ad Iliad. 1, 244. ὅτ' ibi et plerisque aliis locis per *quandoquidem* explicans; Naegelsbachius ad eundem Iliadis locum, provocans ad originem ὅτε particulae, quae utpote neutrum pronominis, quod est ὅστε, non minus significare possit *quia* quam ὅ et ὅτι, quae ipsa quoque, si originem spectes, neutra sint pronominum ὅς et ὅστις. Contra Buttmannus Gramm. ampl. I. §. 30, 5. ι in ὅτι elidi statuit apud poetas epicos; idem in Gramm. med. §. 30. not. 2. accuratius etiam definiens sententiam ὅτι apud Atticos nunquam, in oratione epica tum demum elidi docet, quum ὅτι caussale non possit permutari cum particula temporali ὅτε, quemadmodum in loco Homerico γιγνώσκων ὅτ' ἄναλκις ἔην θεός. Hanc sententiam tuetur etiam Spitznerus de versu heroico p. 172, compluribus locis allatis affirmans, ὅτι et ubi declarationi inserviat et ubi caussam indicet interdum ι amisisse, quem sequitur Freytagius ad Iliad. I, 244. in libro qui inscribitur Homeri Iliadis primi duo libri. Petropol. 1837. p. 108. Dubitanter de ea re loquitur Matthiae Gramm. ampl. I. §. 44, qui ipse quoque elisionem ὅτι particulae ad dialectum Homericam restringit, addit tamen in locis Homericis etiam ὅτε quandoquidem *plerumque* aptum esse. Sed frequentissimam elisionem in Homeri carminibus esse iudicat Passovius in lexico s. v. ὅτι extr.; neque de ea dubitarunt F. A. Wolfius Annott. ad Iliad. 1, 244. et 4, 32, Porsonus et Schaeferus ad Eurip. Hecub. v. 109. p. 13. et in indice p. 120. ed. tert.

Accedamus igitur ad propius inspiciendos locos, qui a Thierschio et qui eum sequuntur ad tuendam sententiam afferri solent. Sunt autem inter hos certissime tales loci, in quibus nemo facile dubitabit quin ὅτ' elisa ε pro ὅτε positum sit, quippe in quibus necessario temporis notio exprimenda fuerit. Seiungemus igitur ante omnia hos locos, in quibus ὅτ' elisum praecedentibus quibuscunque verbis neque caussam neque obiectum quod dicitur verbi denotat, sed simpliciter temporalem vim habet, sive ad certum et definitum tempus spectat (*als*, *da*), sive ad tempus universe (*wann*). Ex priori genere est locus Iliad. 1, 397.

πολλάκι γάρ σεο πατρὸς ἐνὶ μεγάροισιν ἄκουσα
εὐχομένης, ὅτ' ἔφησθα κελαινεφέϊ Κρονίωνι
οἴη ἐν ἀθανάτοισιν ἀεικέα λοιγὸν ἀμῦναι·

quem locum nollem Spitznerus ad substruendam elisionem ὅτι particulae attulisset. Ibi enim iam a Wolfio aptissime comparatum est Ciceronianum dicendi genus: *saepe audivi te quum diceres.* Namque h. l. verba ὅτ' ἔφησθα epexegesin quandam faciunt εὐχομένης participii: audivi te *gloriantem quum diceres.* Sic Iliad. 8, 229.

πῇ ἔβαν εὐχωλαί, ὅτε δὴ φάμεν εἶναι ἄριστοι;

Hic igitur duriusculum esset ὅτι intelligere, neque facile quenquam fore puto, qui monitus in illa opinione persistat, haud sane magis quam Iliad. 10, 540.

οὔπω πᾶν εἴρητο ἔπος, ὅτ' ἄρ' ἤλυθον αὐτοί,

aut Odyss. 16, 351.

οὔπω πᾶν εἴρηθ', ὅτ' ἄρ' Ἀμφίνομος ἴδε νῆα.

Similisque ratio est eorum locorum, in quibus ὅτε idem valet quod ἐξ οὗ, ἐπεί, *ex quo*, quanquam satis apte interdum germanice reddi possit *dass*: ut Iliad. 21, 80.

ἠὼς δέ μοί ἐστιν
ἥδε δυωδεκάτη, ὅτ' ἐς Ἴλιον εἰλήλουθα.

ibid. v. 155.

ἥδε δέ μοι νῦν
ἠὼς ἐνδεκάτη, ὅτ' ἐς Ἴλιον εἰλήλουθα.

Cf. Iliad. 6, 139.

οὐδ' ἄρ' ἔτι δὴν
ἦν, ἐπεὶ ἀθανάτοισιν ἀπήχθετο πᾶσι θεοῖσιν.

Illud quoque per se clarum est, post νῦν adverbium, ubi accuratior rerum definitio ei addatur, proprium quasi esse locum

temporali particulae ὅτε, quemadmodum post ἤματι τῷ et similes formulas. Ita Iliad. 20, 28.

καὶ δέ τέ μιν καὶ πρόσθεν ὑποτρομέεσκον ὁρῶντες·
νῦν δ' ὅτε δὴ καὶ θυμὸν ἑταίρου χώεται αἰνῶς,
δείδω μὴ καὶ τεῖχος ὑπέρμορον ἐξαλαπάξῃ.

Quae coniunctio quum prorsus nihil difficultatis habeat, sufficiat sedes locorum indicare, quibus recurrit: cf. igitur Odyss. 2, 314. 18, 217. 19, 532. 22, 231. 17, 566. Iliad. 2, 303. 3, 189. 19, 60. 89. 98. al. Neque intercedam, si quis etiam locum Iliad. 6, 124. in hunc numerum referri velit, cuius verba haec sunt:

οὐ μὲν γάρ ποτ' ὄπωπα μάχῃ ἔνι κυδιανείρῃ
τοπρίν· ἀτὰρ μὲν νῦν γε πολὺ προβέβηκας ἁπάντων
σῷ θάρσει, ὅτ' ἐμὸν δολιχόσκιον ἔγχος ἔμεινας.

Quanquam neque paraphrastae a Bekkero editi interpretatio h. l. inepta est: ἀρτίως δὲ κατὰ πολὺ προελήλυθας ἁπάντων τῇ σῇ δυνάμει, ὅτι τὸ ἐμὸν μακροπόρευτον δόρυ ὑπέμεινας; sed quia negari non potest hunc locum ancipitis iudicii esse, nullam ei magnam vim tribuam. Eiusdem fere notae locus est Odyss. 8, 78.

ἄναξ δ' ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων
χαῖρε νόῳ, ὅτ' ἄριστοι Ἀχαιῶν δηριόωντο.

Spitznerus quidem hoc quoque loco utitur ad demonstrandam elisionem caussalis ὅτι, neque nego etiam hac ratione probabilem sensum prodire; ego tamen longe praetulerim ὅτε intelligere, ut sensus hic sit: gaudebat Agamemno, *quum* principes Achivorum, Ulixem et Achillem, inter se rixantes videret. Magis enim tempus, quo Agamemno gaudere coepit, quam caussa eius gaudii s. obiectum quod dicitur denotandum erat, quum non rixa ipsa ille gavisus sit, sed bono potius omine, quod in illa inerat, quippe quae, ut proxime sequentia ostendunt, ab oraculo ei praedicta fuerat. Ita poeta brevius h. l. idem dixerit, quod alibi fusius pro re nata vel ὅτ' ἄκουε (ἄκουσε), vel ὅθ' ὁρᾶτο, ὅθ' ὁρῷτο, ὡς ἴδε (εἶδε), vel etiam participio utens ἰδών, ὁρόων, ἀκούων cet. Velut Iliad. 21, 389.

ἐγέλασσε δέ οἱ φίλον ἦτορ,
γηθοσύνῃ ὅθ' ὁρᾶτο θεοὺς ἔριδι ξυνιόντας.

Iliad. 20, 44.

Τρῶας δὲ τρόμος αἰνὸς ὑπήλυθε γυῖα ἕκαστον,
δειδιότας, ὅθ' ὁρῶντο ποδώκεα Πηλείωνα
τεύχεσι λαμπόμενον, βροτολοιγῷ ἶσον Ἄρηι.

ibid. v. 379. Ἕκτωρ δ' αὖτις ἐδύσατο οὐλαμὸν ἀνδρῶν ταρβήσας, ὅτ' ἄκουσε θεοῦ ὄπα φωνήσαντος.

ibid. 7, 307.

τοὶ δ' ἐχάρησαν,
ὡς εἶδον ζωόν τε καὶ ἀρτεμέα προσιόντα.

ib. 13, 494.

ὡς Αἰνείᾳ θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι γεγήθει,
ὡς ἴδε λαῶν ἔθνος ἐπισπόμενον ἑοῖ αὐτῷ.

ib. 14, 139.

Ἀτρείδη, νῦν δή που Ἀχιλλῆος ὀλοὸν κῆρ
γηθεῖ ἐνὶ στήθεσσι, φόνον καὶ φύζαν Ἀχαιῶν
δερκομένῳ.

Cf. Iliad. 1, 330. 4, 255. 283. 311. 8, 278. 10, 190. Odyss. 13, 226. 22, 207.

Hymn. in Apoll. v. 307.

ὅν ποτ' ἄρ' Ἥρη ἔτικτε, χολωσαμένη Διὶ πατρί,
εὖτ' ἄρα δὴ Κρονίδης ἐρικυδέα γείνατ' Ἀθήνην
ἐκ κορυφῆς.

Apertior etiam est eorum locorum ratio, in quibus ὅτε cum coniunctivo vel optativo constructum aut actionem repetitam vel conditionem durantem significat, aut actionem simplicem illam quidem, sed in cogitatione positam. Ad ea quae nunc ipsum tractavimus exempla proxime haec accedunt:

Iliad. 6, 523. τὸ δ' ἐμὸν κῆρ
ἄχνυται ἐν θυμῷ, ὅθ' ὑπὲρ σέθεν αἴσχε' ἀκούω
πρὸς Τρώων, οἳ ἔχουσι πολὺν πόνον εἵνεκα σεῖο.

Iliad. 19, 132.

τὴν αἰεὶ στενάχεσχ', ὅθ' ἑὸν φίλον υἱὸν ὁρῷτο
ἔργον ἀεικὲς ἔχοντα ὑπ' Εὐρυσθῆος ἀέθλων·

ubi v. 134. respondet ὅτε δ' αὖτε.

Porro Odyss. 14, 59. ἡ γὰρ δμώων δίκη ἐστίν,
αἰεὶ δειδιότων, ὅτ' ἐπικρατέωσιν ἄνακτες
οἱ νέοι.

Iliad. 19, 336. (Πηλῆα) ἐμὴν ποτιδέγμενον αἰεὶ
λυγρὴν ἀγγελίην, ὅτ' ἀποφθιμένοιο πύθηται,

ubi extrema verba epexegesin faciunt obiecti λυγρὴν ἀγγελίην, quemadmodum Iliad. 15, 207.

ἐσθλὸν καὶ τὸ τέτυκται, ὅτ' ἄγγελος αἴσιμα εἰδῇ

verba τὸ — ὅτε — εἰδῇ periphrasin faciunt subiecti τὸ ἄγγελον αἴσιμα εἰδέναι. cf. Iliad. 16, 52.

ἀλλὰ τόδ' αἰνὸν ἄχος κραδίην καὶ θυμὸν ἱκάνει,
ὁππότε δὴ τὸν ὁμοῖον ἀνὴρ ἐθέλῃσιν ἀμέρσαι
καὶ γέρας ἂψ ἀφελέσθαι, ὅτε κράτεϊ προβεβήκῃ.

Similiter de re praeterita eademque semel facta ὅτε epexegesin facit pronominis demonstrativi Iliad. 19, 56.

Ἀτρείδη, ἦ ἄρ τι τόδ' ἀμφοτέροισιν ἄρειον
ἔπλετο, σοὶ καὶ ἐμοί, ὅτε νῶΐ περ ἀχνυμένω κῆρ
θυμοβόρῳ ἔριδι μενεήναμεν εἵνεκα κούρης;

quod longe aliam vim habet, quam si ὅτι positum esset; namque brachylogice dictum est, idem valens quod τόδε ὅπερ ἐπάθομεν ὅτε — μενεήναμεν, ut apud Euripidem Androm. 866.

ὦ παῖ, τὸ λίαν οὔτ' ἐκεῖν' ἐπῄνεσα,
ὅτ' ἐς γυναῖκα Τρῳάδ' ἐξημάρτανες,
οὔτ' αὖ τὸ νῦν σου δεῖμ' ὃ δειμαίνεις ἄγαν,

i. e. ἐκεῖνο ὅπερ ἐποίησας, ὅτε — ἐξημάρτανες.

Denique optativi post ὅτε positi de re cogitata exempla haec sunt:

Iliad. 21, 428.

τοιοῦτοι νῦν πάντες, ὅσοι Τρώεσσιν ἀρωγοὶ
εἶεν, ὅτ' Ἀργείοισι μαχοίατο θωρηκτῇσιν.

Odyss. 21, 114.

εἰ δέ κεν ἐντανύσω διοϊστεύσω τε σιδήρου,
οὔ κέ μοι ἀχνυμένῳ τάδε δώματα πότνια μήτηρ
λείποι ἅμ' ἄλλῳ ἰοῦσ', ὅτ' ἐγὼ κατόπισθε λιποίμην.

Quibus locis gemini sunt hi, in quibus ὅτε plene positum est:

Iliad. 18, 464.

αἲ γάρ μιν θανάτοιο δυσηχέος ὧδε δυναίμην
νόσφιν ἀποκρύψαι, ὅτε μιν μόρος αἰνὸς ἱκάνοι.

Odyss. 5, 188.

ἀλλὰ τὰ μὲν νοέω καὶ φράσσομαι, ἅσσ' ἂν ἐμοί περ
αὐτῇ μηδοίμην, ὅτε με χρειὼ τόσον ἵκοι.

Porro notissima et in scholis decantata res est, post verba μεμνῆσθαι, εἰδέναι, etiam γιγνώσκειν et similia, praesertim quum ad praeteritum tempus respiciunt, ut alias particulas temporales ita plerumque ὅτε poni. Neque tamen satis accurate dixeris ibi ὅτε pro ὅτι positum esse, licet nos ex germanicae linguae ratione ὅτι usurparemus. Graecis enim in illis loquendi generibus temporis notio primaria fuit, ita ut magis rem ipsam, qualis in sensus cadebat, quam suum de ea iudicium spectarent. Μέμνημαι ὅτε (quod iam supra obiter tetigimus) idem fere

valet quod *μέμνημαι τοῦ χρόνου ὅτε, μέμνημαι τί γέγονε* s. *τοῦ γεγονότος ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ ὅτε*, memini eius temporis quum, memini quid tum factum sit, quale id fuerit quum. Quales expositiones s. amplificationes interdum a scriptore ipso adduntur, ut Iliad. 21, 441.

οὐδέ νυ τῶνπερ
μέμνηαι, ὅσα δὴ πάθομεν κακὰ Ἴλιον ἀμφὶ
μοῦνοι νῶι θεῶν, ὅτ' ἀγήνορι Λαομέδοντι
πὰρ Διὸς ἐλθόντες θητεύσαμεν εἰς ἐνιαυτόν;

Iliad. 9, 527.

μέμνημαι τόδε ἔργον ἐγὼ πάλαι οὔτι νέον γε
ὡς ἦν.

Alibi scriptor ad interrogationem, quae plerumque in hoc loquendi genere obtinet, ipse quasi respondet; itaque id quod proprie a *μεμνῆσθαι* pendere debebat, postea adiungit, ut Iliad. 20, 188.

ἦ οὐ μέμνῃ, ὅτε πέρ σε βοῶν ἄπο μοῦνον ἐόντα
σεῦα κατ' Ἰδαίων ὀρέων ταχέεσσι πόδεσσιν
καρπαλίμως; τότε δ' οὔτι μετατροπαλίζεο φεύγων.

Plerumque tamen brachylogia illa, quam diximus, utuntur scriptores graeci, sive per modestiam quandam et euphemismum, sive omnino quia id, quod obiecti loco addi debebat, ex orationis nexu sponte intelligitur: ut Iliad. 15, 18.

ἦ οὐ μέμνῃ, ὅτε τ' ἐκρέμω ὑψόθεν, ἐκ δὲ ποδοῖιν
ἄκμονας ἧκα δύω;

Iliad. 21, 396.

ἦ οὐ μέμνῃ, ὅτε Τυδείδην Διομήδε' ἀνῆκας
οὐτάμεναι;

Odyss. 16, 424.

ἦ οὐκ οἶσθ', ὅτε δεῦρο πατὴρ τεὸς ἵκετο φεύγων
δῆμον ὑποδδείσας;

Odyss. 24, 115.

ἦ οὐ μέμνῃ, ὅτε κεῖσε κατήλυθον ὑμέτερον δῶ
ὀτρυνέων Ὀδυσῆα;

Videbimus tamen infra, etiam post haec ipsa verba *ὅτι* sequi non modo posse, sed etiam debere, ubi non tempus, ad quod referuntur, sed eorum obiectum et quasi materia denotatur. In hunc potissimum numerum retulerim locum Iliad. 7, 451, quanquam de scripturae veritate dubitationis aliquid in eo ineat:

τοῦ δ' ἤτοι κλέος ἔσται ὅσον τ' ἐπικίδναται ἠώς·
τοῦ δ' ἐπιλήσονται, ὅτ' ἐγὼ καὶ Φοῖβος Ἀπόλλων
ἥρῳ Λαομέδοντι πολίσσαμεν ἀθλήσαντε.

Quod si eam quam dedimus scripturam sequaris, ἐπιλανθάνεσθαι verbum eodem modo constructum erit, quo μεμνῆσθαι, οὐ μεμνῆσθαι: eius vero temporis obliviscentur, quum ego et Phoebus Apollo Laomedonti muros exstruximus; huiusque interpretationis fautorem quodammodo habemus paraphrasten Bekk. p. 697, quanquam is ὅτι particula ex serioris linguae indole utitur: τούτου δὲ ἐπιλήσονται, ὅτι τοῦτο ἐγὼ καὶ ὁ καθαρὸς Ἀπόλλων τῷ ἡμιθέῳ Λαομέδοντι τὴν πόλιν ἐτειχίσαμεν κακοπαθήσαντες (in quibus verbis, ut obiter moneam, nisi fallor vitii aliquid latet ac proinde aut τοῦτο aut τὴν πόλιν delendum videtur). Cf. Cic. pro Planc. c. 42. Memini enim, *memini neque unquam obliviscar* noctis illius, *quum* tibi vigilanti, assidenti, maerenti vana quaedam miser atque inania, varia spe inductus, *pollicebar.* Si tamen aut cum Wolfio ὅ, τ' ἐγὼ aut cum Spitznero τό, τ' ἐγὼ legas, non minus aptus prodibit sensus: ἐκείνου δὲ τοῦ τείχους ἐπιλήσονται, ὃ ἐγὼ καὶ Ἀπόλλων πολίσσαμεν, *eius* muri obliviscentur, quem ego et Apollo Laomedonti exstruximus. Dubitare tamen licet, an praegresso demonstrativo τοῦ δὲ (i. e. τούτου δέ) relativo ὅ, τε vel τό, τε satis commode locus sit.

Singularis exempli locus est Iliad. 8, 406.

ὄφρ' εἰδῇ Γλαυκῶπις ὅτ' ἂν ᾧ πατρὶ μάχηται,

coll. v. 420.

ὄφρ' εἰδῇς, Γλαυκῶπις, ὅτ' ἂν σῷ πατρὶ μάχηαι.

H. l. enim εἰδέναι non recordandi vim habet, neque praeteritum tempus spectat; itaque verba ὅτ' ἂν — μάχηται nullo modo ab εἰδῇ pendere statui potest; sed factum est in his verbis quod saepe in minis fieri videmus, ut obiectum verbi quod minas significat reticeatur. Sensus enim hic est: ut sciat Minerva, quid tum futurum sit, quum pugnaverit cum patre, quid sibi exspectandum sit, si quando certamen cum patre inierit, quale sit pugnare cum patre, *damit sie erkenne, was es auf sich habe, wann sie mit ihrem Vater kämpft.* Alius generis est locus Odyss. 8, 299, ubi de Marte et Venere:

καὶ τότε δὴ γίγνωσκον, ὅτ' οὐκέτι φυκτὰ πέλοντο·

sed hic quoque ὅτ' ex ὅτε, non ex ὅτι, circumcisum esse concedam. Obiectum enim facillime ex antecedentibus subintel-

ligitur, ὅτε autem relativum refertur ad demonstrativum τότε δή: tum demum intelligebant (quid sibi factum esset i. e. se captos esse), *quum* effugere iam non possent; quae Vossius quoque expressit, in prima editione:

Aber sie merkten es erst, da ihnen die Flucht schon gehemmt war,

in postrema:

Und sie erkannten es erst, da gehemmt war jeglicher Ausweg.

Si tamen contuleris Od. 12, 295, ne altera quidem ratio prorsus reiicienda videbitur. Utrumque, et ὅτε et ὅτι, post idem verbum εἰδέναι habemus Iliad. 14, 71; de quo loco paullo accuratius agendum, quia diversitas quaedam et scripturae et interpretationis in eo obtinet. Verba haec sunt:

ᾔδεα μὲν γὰρ ὅτε πρόφρων Δαναοῖσιν ἄμυνεν·
οἶδα δὲ νῦν ὅτι τοὺς μὲν ὁμῶς μακάρεσσι θεοῖσιν
κυδάνει, ἡμέτερον δὲ μένος καὶ χεῖρας ἔδησεν.

Quam dedimus scripturam, eam etiam paraphrastes sequitur his verbis locum exponens: ᾔδειν μὲν γὰρ ὅτε προθύμως τοῖς Ἕλλησιν ἐβοήθει, γιγνώσκω δὲ νῦν ὅτι τοὺς μὲν ὁμοίως τοῖς μακαρίοις θεοῖς δοξάζει, τὴν ἡμετέραν δὲ δύναμιν καὶ τὰς χεῖρας ἔδησεν. Et recte hic quidem; primo enim horum versuum apertum est ὅτε ponendum fuisse, quum haec sit sententia: intelligebam, sentiebam quum Iupiter nos iuvaret, sentiebam eius auxilium, *ich wusste oder fühlte es, als Zeus uns beistand;* h. l. si ὅτι ponere voluisset poeta, necessario addenda erat aliqua temporis significatio, ut πάλαι, ποτέ· οἶδα μὲν γὰρ ὅτι πάλαι πρόφρων Δαναοῖσιν ἄμυνεν. Deinde pergit: novi vero etiam, hoc iam non esse, sed Troianorum gloriam augere Iovem, nostrum vero robur nostrasque manus impedivisse. Hic iam non tempus indicandum erat, quod satis notatur νῦν particula, sed obiectum verbi οἶδα, quod alioqui non haberet quo referretur. Neque enim h. l. apte ut priori versu intellexeris τοῦτο, *ich merke es*, quum hic non sufficiat obiectiva quae dicitur significatio, sed sensus Nestoris subiectivus, ut hoc utar, exprimendus sit. Bothius quidem et Spitznerus etiam posteriori loco ὅτε tuentur, et ad tuendam hanc scripturam confugiunt ad ellipsin: nunc autem scio, *quando* Troum gloriam auget et nostram fortitudinem ac manus Iupiter coercet, *cum de totius exercitus interitu meditari.* Sed ea ellipsis contextis omnium minime convenit. Haec enim si esset

Nestoris mens, et omnino si verum esset quod post Bothium Spitznerus dicit, „in praesenti rerum statu Iovis animum Achivis infestum neminem latere potuisse,“ non profecto ante paucos versus (v. 69.) idem Nestor ita locutus esset:

οὕτω που Διὶ μέλλει ὑπερμενέϊ φίλον εἶναι,
νωνύμνους ἀπολέσθαι ἀπ' Ἄργεος ἐνθάδ' Ἀχαιούς.

Quibus verbis simul id intelligitur, quod Spitznerus hic demum subaudiri vult. Manifesto autem Bothii et Spitzneri ratio refutatur loco simillimo Iliad. 17, 626—630. Ibi enim quum iam v. 596. poeta dixisset de Iove:

νίκην δὲ Τρώεσσι δίδου, ἐφόβησε δ' Ἀχαιούς·

rectissime quidem v. 626. pergit:

οὐδ' ἔλαθ' Αἴαντα μεγαλήτορα καὶ Μενέλαον
Ζεύς, ὅτε δὴ Τρώεσσι δίδου ἑτεραλκέα νίκην,

sed deinde ipsius Aiacis iudicium v. 629. his verbis effert:

ὢ πόποι, ἤδη μέν κε καὶ ὃς μάλα νήπιός ἐστιν
γνοίη, ὅτι Τρώεσσι πατὴρ Ζεὺς αὐτὸς ἀρήγει·

ubi quis quaeso laturus sit ὅτε ἀρήγει vel ἀρήγοι? Cf. etiam Iliad. 16, 119—121, qui locus infra apponetur. Summo igitur iure Hermannus, vir summus, in annotatione ad Eurip. Hecubam v. 108. p. 22. ed. alt. contra Schaeferum disputans de loco Iliad. 14, 72. Aristarchum perverso iudicio usum ibi ὅτε scripsisse pronunciat, quae etiam F. A. Wolfii Prolegg. p. 243. videtur fuisse sententia. Spitznerus quidem eo opinor falli se passus est, quod externam tantum coniunctionem particularum νῦν ὅτε respiciebat, quam frequentissimam sane esse supra intelleximus; ea tamen minime impedit, quominus interno cogitationum nexu et sententiae ratione postulante etiam νῦν ὅτι possint coniungi.

Sed redeamus unde discessimus. Intelleximus igitur ex iis, quae adhuc disputata sunt, ubicunque temporis notio primaria est, ὅτ' ex ὅτε, neque vero ex ὅτι natum esse, neque tales locos ullam vim habere ad demonstrandam elisionem ὅτι particulae. Neque tamen ignoro, etiam ὅτε paullatim ex temporali in significationem caussalem transiisse, ut ὁπότε, ἐπεί, ut latinum *quando*, *quandoquidem*, *quum*, *quoniam*, ut gallicum *puisque*, germanicum *weil*. Sunt aliquot loci Homerici, qui quasi in confiniis utriusque significationis positi sunt, in quorum numerum fortasse referri possit is, quem supra p. 325.

tractavimus, Iliad. 6, 124—126; sunt etiam alii, in quibus temporis notio prorsus evanuit et ὅτε simpliciter concludendi et argumentandi vim habet; ita quidem ut loquens non ipse alteri suos sensus suumque iudicium proponat, sed ei tantum rem factam indicet eique de re utpote nota et praesenti iudicium permittat: quum contra ubi ὅτι ponitur, loquens suum ipsius iudicium cum altero communicet. Hos quoque locos ordine dispositos sub uno conspectu collocabo, sed nunc quidem eos tantum in quibus ὅτε plene scriptum est. Iliad. 8, 215.

εἶλει δὲ θοῷ ἀτάλαντος Ἄρηι
Ἕκτωρ Πριαμίδης, ὅτε οἱ Ζεὺς κῦδος ἔδωκεν.

Spitznerus quidem h. l. ὅτι edidit, quod tamen casu magis quam consilio videtur factum esse. Nam paraphrastes quoque ὅτε tuetur his verbis: συνήθροιζε δὲ τῷ ταχεῖ παραπλήσιος Ἄρει Ἕκτωρ ὁ Πρίαμου παῖς, ὅτε αὐτῷ Ζεὺς δόξαν ἔδωκε. Hic igitur locus ex eo genere est, in quibus ὅτε particula inter utramque significationem quasi dubia et suspensa haeret. Similes loci hi sunt: Iliad. 11, 299.

ἔνθα τίνα πρῶτον, τίνα δ' ὕστατον ἐξενάριξεν
Ἕκτωρ Πριαμίδης, ὅτε οἱ Ζεὺς κῦδος ἔδωκεν;

Iliad. 19, 203.

νῦν δ' οἱ μὲν κέαται δεδαϊγμένοι, οὓς ἐδάμασσεν
Ἕκτωρ Πριαμίδης, ὅτε οἱ Ζεὺς κῦδος ἔδωκεν.

Odyss. 17, 460.

νῦν δή σ' οὐκέτι καλὰ δι' ἐκ μεγάροιό γ' ὀΐω
ἂψ ἀναχωρήσειν, ὅτε δὴ καὶ ὀνείδεα βάζεις,

i. e. quum iam vel convicia dicas, quandoquidem convicia dicis. H. l. iam praevalet vis caussalis, quod magis etiam fit in locis qui sequuntur.

Odyss. 13, 128.

Ζεῦ πάτερ, οὐκέτ' ἔγωγε μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν
τιμήεις ἔσομαι, ὅτε με βροτοὶ οὔτι τίουσιν,

i. e. quandoquidem, ut ipse vides, mortales nullo me iam honore habent. Iliad. 1, 518.

ἦ δὴ λοίγια ἔργ', ὅτε μ' ἐχθοδοπῆσαι ἐφήσεις
Ἥρῃ, ὅτ' ἄν μ' ἐρέθῃσιν ὀνειδείοις ἐπέεσσιν,

coll. ibid. v. 573.

ἦ δὴ λοίγια ἔργα τάδ' ἔσσεται οὐδ' ἔτ' ἀνεκτά,
εἰ δὴ σφὼ ἕνεκα θνητῶν ἐριδαίνετον ὧδε.

Iliad. 16, 433.

ὤ μοι ἐγών, ὅτε μοι Σαρπηδόνα φίλτατον ἀνδρῶν
μοῖρ' ὑπὸ Πατρόκλοιο Μενοιτιάδαο δαμῆναι.

Odyss. 5, 356.

ὤ μοι ἐγώ, μή τίς μοι ὑφαίνησιν δόλον αὖτε
ἀθανάτων, ὅτε με σχεδίης ἀποβῆναι ἀνώγει,

ubi vid. quae Nitzschius acute observavit.

Odyss. 12, 21.

σχέτλιοι, οἳ ζώοντες ὑπήλθετε δῶμ' Ἀΐδαο
δισθανέες, ὅτε τ' ἄλλοι ἅπαξ θνήσκουσ' ἄνθρωποι.

Iliad. 15, 467.

ὢ πόποι, ἦ δὴ πάγχυ μάχης ἐπὶ μήδεα κείρει
δαίμων ἡμετέρης, ὅτε μοι βιὸν ἔκβαλε χειρός.

Ita enim cum Nitzschio l. l. ex var. lect. ap. Schol. Vict. scribendum, neque vero ὅ, τε cum Wolfio, Bothio et Spitznero, quod hi duo explicant *qui quidem*. Quae interpretatio ut ferri possit, longe tamen melius cohaerebit oratio, si ὅτε coniunctim scripseris, ut hoc quoque pendeat ab ὢ πόποι, ut in locis supra allatis Iliad. 1, 518. 16, 433.

His omnibus igitur locis ὅτε plene scriptum habemus, neque ullum novi certum exemplum elisae vocalis ε in hac significatione. Possis quidem quodammodo huc referre hos locos: Iliad. 4, 32. Odyss. 21, 254. et 14, 90; sed quum infra me demonstraturum sperem, eos aptius et magis ex proprietate linguae graecae alia ratione explicari posse, nunc quidem diutius iis non immorabor.

Sed quum iam seiunxerimus omnes fere locos, in quibus ὅτε sive temporale sive caussale intelligendum est, quique in censum venire non possunt, quando de elisione ὅτι particulae agitur: transibimus iam ad eos, in quibus ipsum ὅτι aut plene positum est, aut nostro quidem iudicio intelligendum. Frequentissimus autem — quod nemo ignorat — hic usus ὅτι particulae est, quo declarandi vi et periphrasi vel subiecti (quod rarius est) vel obiecti inserviens post verba audiendi, videndi, animadvertendi, nunciandi, ostendendi ponitur, aut post verba affectuum. Utriusque generis exempla sub uno conspectu collocabo, sed ea primum, in quibus ὅτι plene scriptum est, quibus examinatis et inter se collatis facilius iudicium fieri possit de iis, in quibus ὅτ' elisum legitur.

a) Post verba *γιγνώσκειν, ὁρᾶν, ἰδεῖν, ἀκούειν, πυνθάνεσθαι, ἀγγέλλειν, εἰπεῖν, μιμνήσκεσθαι* sequitur *ὅτι* sive quod origine et significatione cum eo congruit *ὅ*, vel etiam *ὡς* explicativum et *οὕνεκα*, ubi non tempus, ad quod actio refertur, spectatur, sed simpliciter vel subiectum vel obiectum aut amplificatur aut circumscribitur. Primum id fit praecedente articulo vel pronomine demonstrativo, ut Iliad. 15, 217.

ἴστω τοῦθ', ὅτι νῶιν ἀνήκεστος χόλος ἔσται.

Odyss. 13, 314.

τοῦτο δ' ἐγὼν εὖ οἶδ', ὅτι μοι πάρος ἠπίη ἦσθα.

Iliad. 23, 545.

τὰ φρονέων, ὅτι οἱ βλάβεν ἅρματα καὶ ταχέ' ἵππω.

Iliad. 1, 120.

λεύσσετε γὰρ τόγε πάντες, ὅ μοι γέρας ἔρχεται ἄλλῃ.

Iliad. 8, 362.

οὐδέ τι τῶν μέμνηται, ὅ οἱ μάλα πολλάκις υἱὸν
τειρόμενον σώεσκον ὑπ' Εὐρυσθῆος ἀέθλων.

Iliad. 9, 493.

τὰ φρονέων, ὅ μοι οὔτι θεοὶ γόνον ἐξετέλειον
ἐξ ἐμεῦ.

Iliad. 17, 206.

ἀτάρ τοι νῦν γε μέγα κράτος ἐγγυαλίξω
τῶν ποινήν, ὅ τοι οὔτι μάχης ἐκ νοστήσαντα
δέξεται Ἀνδρομάχη κλυτὰ τεύχεα Πηλείωνος.

Iliad. 20, 466.

νήπιος, οὐδὲ τὸ ᾔδη, ὃ οὐ πείσεσθαι ἔμελλεν.

Odyss. 22, 32.

τὰ δὲ νήπιοι οὐκ ἐνόησαν,
ὡς δή σφιν καὶ πᾶσιν ὀλέθρου πείρατ' ἐφῆπται.

Deinde saepius etiam nullo praecedente pronomine demonstrativo, ut Iliad. 1, 536.

οὐδέ μιν Ἥρη
ἠγνοίησεν ἰδοῦσ', ὅτι οἱ συμφράσσατο βουλὰς
ἀργυρόπεζα Θέτις, θυγάτηρ ἁλίοιο γέροντος.

Iliad. 6, 230.

τεύχεα δ' ἀλλήλοις ἐπαμείψομεν, ὄφρα καὶ οἵδε
γνῶσιν, ὅτι ξεῖνοι πατρώιοι εὐχόμεθ' εἶναι.

Iliad. 8, 175.

γιγνώσκω δ', ὅτι μοι πρόφρων κατένευσε Κρονίων
νίκην καὶ μέγα κῦδος, ἀτὰρ Δαναοῖσί γε πῆμα.

Iliad. 17, 687.

ἤδη μὲν σὲ καὶ αὐτὸν ὀΐομαι εἰσορόωντα
γιγνώσκειν, ὅ τι πῆμα θεὸς Δαναοῖσι κυλίνδει,
νίκη δὲ Τρώων;

coll. v. 629 sq. qui locus iam supra p. 331. allatus est.

Odyss. 17, 269.

γιγνώσκω δ', ὅτι πολλοὶ ἐν αὐτῷ δαῖτα τίθενται
ἄνδρες.

Iliad. 11, 408.

οἶδα γάρ, ὅττι κακοὶ μὲν ἀποίχονται πολέμοιο.

Iliad. 13, 674.

Ἕκτωρ δ' οὐκ ἐπέπυστο Διῒ φίλος, οὐδέ τι ᾔδη
ὅττι ῥα οἱ νηῶν ἐπ' ἀριστερὰ δηιόωντο
λαοὶ ὑπ' Ἀργείων.

Iliad. 20, 434.

οἶδα δ' ὅτι σὺ μὲν ἐσθλός, ἐγὼ δὲ σέθεν πολὺ χείρων.

Iliad. 24, 563.

καὶ δὲ σὲ γιγνώσκω, Πρίαμε, φρεσὶν οὐδέ με λήθεις,
ὅττι θεῶν τίς σ' ἦγε θοὰς ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν.

Odyss. 18, 11.

οὐκ ἀΐεις, ὅτι δή μοι ἐπιλλίζουσιν ἅπαντες,
ἑλκέμεναι δὲ κέλονται;

Iliad. 7, 448.

οὐχ ὁράᾳς, ὅτι δ' αὖτε καρηκομόωντες Ἀχαιοὶ
τεῖχος ἐτειχίσσαντο νεῶν ὕπερ;

ubi δ' αὖτε (δηὖτε) omnino cum Thierschio et Hartungio per δὴ αὖτε explicandum est. Iliad. 5, 432.

Αἰνείᾳ δ' ἐπόρουσε βοὴν ἀγαθὸς Διομήδης,
γιγνώσκων ὅ οἱ αὐτὸς ὑπείρεχε χεῖρας Ἀπόλλων.

Iliad. 8, 32.

εὖ νυ καὶ ἡμεῖς ἴδμεν, ὅ τοι σθένος οὐκ ἐπιεικτόν.

Iliad. 8, 463.

εὖ νυ καὶ ἡμεῖς ἴδμεν, ὅ τοι σθένος οὐκ ἀλαπαδνόν.

Iliad. 8, 140.

ἦ οὐ γιγνώσκεις, ὅ τοι ἐκ Διὸς οὐχ ἕπετ' ἀλκή;

Iliad. 15, 248.

οὐκ ἀΐεις, ὅ με νηυσὶν ἔπι πρύμνησιν Ἀχαιῶν
οὓς ἑτάρους ὀλέκοντα βοὴν ἀγαθὸς βάλεν Αἴας;

Iliad. 11, 439.

γνῶ δ' Ὀδυσεύς, ὅ οἱ οὔτι βέλος κατὰ καίριον ἦλθεν.

Iliad. 16, 119.
γνῶ δ' Αἴας κατὰ θυμὸν ἀμύμονα, ῥίγησέν τε
ἔργα θεῶν, ὅ ῥα πάγχυ μάχης ἐπὶ μήδεα κεῖρεν
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης, Τρώεσσι δὲ βούλετο νίκην.
Iliad. 18, 197.
εὖ νυ καὶ ἡμεῖς ἴδμεν, ὅ τοι κλυτὰ τεύχε' ἔχονται.
Iliad. 19, 143.
δῶρα δέ τοι θεράποντες, ἐμῆς παρὰ νηὸς ἑλόντες,
οἴσουσ', ὄφρα ἴδηαι ὅ τοι μενοεικέα δώσω.
Iliad. 19, 421.
εὖ νύ τοι οἶδα καὶ αὐτός, ὅ μοι μόρος ἐνθάδ' ὀλέσθαι.
Iliad. 20, 122. ἵνα εἰδῇ, ὅ μιν φιλέουσιν ἄριστοι
ἀθανάτων.
Iliad. 22, 445.
νηπίη, οὐδ' ἐνόησεν, ὅ μιν μάλα τῆλε λοετρῶν
χερσὶν Ἀχιλλῆος δάμασεν γλαυκῶπις Ἀθήνη.
Odyss. 12, 295.
καὶ τότε δὴ γίγνωσκον, ὃ δὴ κακὰ μήδετο δαίμων.
Odyss. 13, 339.
αὐτὰρ ἐγὼ τὸ μὲν οὔποτ' ἀπίστεον, ἀλλ' ἐνὶ θυμῷ
ᾔδε', ὃ νοστήσεις ὀλέσας ἄπο πάντας ἑταίρους.
Odyss. 17, 545.
οὐχ ὁράᾳς, ὅ μοι υἱὸς ἐπέπταρε πᾶσιν ἔπεσσιν;
Odyss. 20, 228.
γιγνώσκω δὲ καὶ αὐτός, ὅ τοι πινυτὴ φρένας ἵκει.
Odyss. 23, 220.
εἰ ᾔδη, ὅ μιν αὖτις Ἀρήιοι υἷες Ἀχαιῶν
ἀξέμεναί οἶκόνδε φίλην ἐς πατρίδ' ἔμελλον.
Iliad. 18, 125.
γνοῖεν δ', ὡς δὴ δηρὸν ἐγὼ πολέμοιο πέπαυμαι.
Iliad. 20, 264.
νήπιος, οὐδ' ἐνόησε κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν,
ὡς οὐ ῥηΐδι' ἐστὶ θεῶν ἐρικυδέα δῶρα
ἀνδράσι γε θνητοῖσι δαμήμεναι οὐδ' ὑποείκειν.
Iliad. 22, 9. οὐδέ νύ πώ με
ἔγνως ὡς θεός εἰμι, σὺ δ' ἀσπερχὲς μενεαίνεις;
Iliad. 23, 610. ἵνα γνώωσι καὶ οἵδε,
ὡς ἐμὸς οὔποτε θυμὸς ὑπερφίαλος καὶ ἀπηνής.

Odyss. 21, 209.
γιγνώσκω δ' ὡς σφῶιν ἐελδομένοισιν ἱκάνω
οἴοισι δμώων.
Odyss. 22, 373.
ὄφρα γνῷς κατὰ θυμόν, ἀτὰρ εἴπησθα καὶ ἄλλῳ,
ὡς κακοεργίης εὐεργεσίη μέγ' ἀμείνων.
Hymn. in Ven. 186.
αὐτίκα σ' ὡς τὰ πρῶτα, θεά, ἴδον ὀφθαλμοῖσιν,
ἔγνων ὡς θεὸς ἦσθα.
Odyss. 8, 461. ἵνα καί ποτ' ἐὼν ἐν πατρίδι γαίῃ
μνήσῃ ἐμεῖ', ὅτι μοι πρώτῃ ζωάγρι' ὀφέλλεις.
Iliad. 17, 410.
δὴ τότε γ' οὔ οἱ ἔειπε κακὸν τόσον, ὅσσον ἐτύχθη,
μήτηρ, ὅττι ῥά οἱ πολὺ φίλτατος ὤλεθ' ἑταῖρος.
Iliad. 17, 641. ἐπεὶ οὔ μιν ὀΐομαι οὐδὲ πεπύσθαι
λυγρῆς ἀγγελίης, ὅτι οἱ φίλος ὤλεθ' ἑταῖρος.
Iliad. 17, 654.
ὄτρυνον δ' Ἀχιλῆι δαΐφρονι θᾶσσον ἰόντα
εἰπεῖν, ὅττι ῥά οἱ πολὺ φίλτατος ὤλεθ' ἑταῖρος.
Iliad. 22, 438. οὐ γάρ οἵ τις ἐτήτυμος ἄγγελος ἐλθὼν
ἤγγειλ', ὅττι ῥά οἱ πόσις ἔκτοθι μίμνε πυλάων.
Iliad. 24, 592. αἴ κε πύθηαι
εἰν Ἄϊδός περ ἐών, ὅτι Ἕκτορα δῖον ἔλυσα
πατρὶ φίλῳ.
Odyss. 12, 374.
ὠκέα δ' Ἠελίῳ Ὑπερίονι ἄγγελος ἦλθεν
Λαμπετίη τανύπεπλος, ὅ οἱ βόας ἔκταμεν ἡμεῖς.
Odyss. 16, 131. ἐχέφρονι Πηνελοπείῃ
εἴφ', ὅτι οἱ σῶς εἰμὶ καὶ ἐκ Πύλου εἰλήλουθα.

Denique etiam *οὕνεκα* post haec verba ponitur, ut Odyss. 7, 299.
ξεῖν', ἤτοι μὲν τοῦτό γ' ἐναίσιμον οὐκ ἐνόησεν
παῖς ἐμή, οὕνεκα σ' οὔτι μετ' ἀμφιπόλοισι γυναιξὶν
ἦγεν ἐς ἡμέτερον· σὺ δ' ἄρα πρώτην ἱκέτευσας.
Odyss. 5, 215. οἶδα καὶ αὐτὸς
πάντα μάλ', οὕνεκα σεῖο περίφρων Πηνελόπεια
εἶδος ἀκιδνοτέρη μέγεθός τ' εἴσαντα ἰδέσθαι.
Odyss. 15, 40. τὸν δ' ὀτρῦναι πόλιν εἴσω
ἀγγελίην ἐρέοντα περίφρονι Πηνελοπείῃ,
οὕνεκά οἱ σῶς ἐσσὶ καὶ ἐκ Πύλου εἰλήλουθας.

Odyss. 16, 328.

αὐτὰρ κήρυκα πρόεσαν δόμον εἰς Ὀδυσῆος
ἀγγελίην ἐρέοντα περίφρονι Πηνελοπείῃ,
οὕνεκα Τηλέμαχος μὲν ἐπ' ἀγροῦ.

Iliad. 11, 21.

πεύθετο γὰρ Κύπρονδε μέγα κλέος, οὕνεκ' Ἀχαιοὶ
ἐς Τροίην νήεσσιν ἀναπλεύσεσθαι ἔμελλον.

Odyss. 13, 308.

μηδέ τῳ ἐκφάσθαι, μήτ' ἀνδρῶν μήτε γυναικῶν,
πάντων, οὕνεκ' ἄρ' ἦλθες ἀλώμενος.

Odyss. 16, 378. *ἐρέει δ' ἐν πᾶσιν ἀναστάς,*
οὕνεκά οἱ φόνον αἰπὺν ἐράπτομεν, οὐδ' ἐκίχημεν.

Hymn. in Apoll. 375.

καὶ τότ' ἄρ' ἔγνω ᾗσιν ἐνὶ φρεσὶ Φοῖβος Ἀπόλλων,
οὕνεκά μιν κρήνη καλλίρροος ἐξαπάφησεν.

Neque tamen his locis *οὕνεκα* simpliciter pro *ὅτι* positum esse dixerim, sed latiorem quandam vim habet, quod Nitzschius ad Odyss. 5, 216. ipse sensisse videtur, exponens illud *wasmassen*, *inwiefern*. Ceterum hic usus *ὅτι* explicativi, ut illuc redeam, adeo invaluit apud Graecos planeque congruus est cum ingenio sermonis graeci, ut comici Attici post verba *εἰδέναι, γιγνώσκειν, μεμνῆσθαι* vel cum hiatu illud servaverint, ut ostendunt haecce exempla ex uno Aristophane desumpta: Avium v. 83.

οἶδα μὲν σαφῶς,
ὅτι ἀχθέσεται, σφῷν δ' αὐτὸν οὕνεκ' ἐπεγερῶ.

Plut. v. 956. *ἰδὼν γὰρ αὐτὸν γνώσεται,*
ὅτι ἔστ' ἐκείνου τοῦ πονηροῦ κόμματος.

Thesmoph. v. 275.

μέμνησθε τοίνυν ταῦθ', ὅτι ἡ φρὴν ὤμοσεν,
ἡ γλῶττα δ' οὐκ ὀμώμοκ' οὐδ' ὥρκωσ' ἐγώ.

Acharn. v. 516.

μέμνησθε τοῦθ', ὅτι οὐχὶ τὴν πόλιν λέγω.

b) Similiter etiam post verba affectuum (*χαίρειν, γεγηθέναι, κήδεσθαι, ἄχνυσθαι, χώεσθαι, χολοῦσθαι*, alia) sequuntur *ὅτι* et synonymae particulae caussales sive explicativae, ubi non tempus, quo quicunque affectus initium capit, sed eius caussa et quasi obiectum denotandum est. Iliad. 16, 530.

Γλαῦκος δ' ἔγνω ᾗσιν ἐνὶ φρεσὶ γήθησέν τε,
ὅττι οἱ ὦκ' ἤκουσε μέγας θεὸς εὐξαμένοιο.

Iliad. 17, 567. γήθησεν δὲ θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη,
ὅττι ῥά οἱ πάμπρωτα θεῶν ἠρήσατο πάντων.
Odyss. 14, 51. χαῖρε δ᾽ Ὀδυσσεύς,
ὅττι μιν ὣς ὑπέδεκτο.
Odyss. ibid. v. 526. χαῖρε δ᾽ Ὀδυσσεύς,
ὅττι ῥά οἱ βιότου περικήδετο νόσφιν ἐόντος.
Odyss. 21, 414.
γήθησέν τ᾽ ἄρ᾽ ἔπειτα πολύτλας δῖος Ὀδυσσεύς,
ὅττι ῥά οἱ τέρας ἧκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω.
Iliad. 23, 555. μείδησεν δὲ ποδάρκης δῖος Ἀχιλλεύς,
χαίρων Ἀντιλόχῳ, ὅτι οἱ φίλος ἦεν ἑταῖρος.
Hymn. in Apoll. 137. Delus insula dicitur fuisse
γηθοσύνῃ, ὅτι μιν θεὸς εἵλετο οἰκία θέσθαι
νήσων ἠπείρου τε.
Odyss. 11, 540. Achillis anima
γηθοσύνῃ, ὅ οἱ υἱὸν ἔφην ἀριδείκετον εἶναι.
Odyss. 21, 289.
οὐκ ἀγαπᾷς, ὃ ἕκηλος ὑπερφιάλοισι μεθ᾽ ἡμῖν
δαίνυσαι;
Iliad. 23, 647.
τοῦτο δ᾽ ἐγὼ πρόφρων δέχομαι, χαίρει δέ μοι ἦτορ,
ὥς μευ ἀεὶ μέμνησαι ἐνηέος.
Iliad. 11, 683. γεγήθει δὲ φρένα Νηλεύς,
οὕνεκά μοι τύχε πολλὰ νέῳ πολεμόνδε κιόντι.
Odyss. 3, 52.
χαῖρε δ᾽ Ἀθηναίη πεπνυμένῳ ἀνδρὶ δικαίῳ,
οὕνεκά οἱ προτέρῃ δῶκε χρύσειον ἄλεισον.
Odyss. 8, 199. γήθησεν δὲ πολύτλας δῖος Ὀδυσσεύς,
χαίρων οὕνεχ᾽ ἑταῖρον ἐνηέα λεῦσσ᾽ ἐν ἀγῶνι.
Odyss. 18, 281. γήθησεν δὲ πολύτλας δῖος Ὀδυσσεύς,
οὕνεκα τῶν μὲν δῶρα παρέλκετο.
Hymn. in Apoll. 12 = 125.
χαίρει δέ τε πότνια Λητώ,
οὕνεκα τοξοφόρον καὶ καρτερὸν υἱὸν ἔτικτεν.
Iliad. 1, 56.
κήδετο γὰρ Δαναῶν, ὅτι ῥα θνήσκοντας ὁρᾶτο.
Iliad. 14, 406. 22, 291.
χώσατο δ᾽ Ἕκτωρ
ὅττι ῥά οἱ βέλος ὠκὺ ἐτώσιον ἔκφυγε χειρός.

Odyss. 8, 237.
ἀλλ᾽ ἐθέλεις ἀρετὴν σὴν φαινέμεν, ἥ τοι ὀπηδεῖ,
χωόμενος ὅτι σ᾽ οὗτος ἀνὴρ ἐν ἀγῶνι παραστὰς
νείκεσεν.

Odyss. 11, 101. cf. 13, 342. *οὐ γὰρ ὀΐω*
λήσειν Ἐννοσίγαιον, ὅ τοι κότον ἔνθετο θυμῷ,
χωόμενος, ὅτι οἱ υἱὸν φίλον ἐξαλάωσας.

Iliad. 24, 113. cf. 134.
σκύζεσθαί οἱ εἰπὲ θεούς, ἐμὲ δ᾽ ἔξοχα πάντων
ἀθανάτων κεχολῶσθαι, ὅτι φρεσὶ μαινομένῃσιν
Ἕκτορ᾽ ἔχει παρὰ νηυσὶ κορωνίσιν οὐδ᾽ ἀπέλυσεν.

Odyss. 19, 71. *τί μοι ὧδ᾽ ἐπέχεις κεκοτηότι θυμῷ;*
ἦ ὅτι δὴ ῥυπόω, κακὰ δὲ χροῒ εἵματα εἷμαι;

Odyss. 23, 115.
νῦν δ᾽ ὅττι ῥυπόω, κακὰ δὲ χροῒ εἵματα εἷμαι,
τοὔνεκ᾽ ἀτιμάζει με καὶ οὔπω φησὶ τὸν εἶναι.

Iliad. 9, 533.
καὶ γὰρ τοῖσι κακὸν χρυσόθρονος Ἄρτεμις ὦρσεν
χωσαμένη, ὅ οἱ οὔτι θαλύσια γουνῷ ἀλωῆς
Οἰνεὺς ῥέξ᾽, ἄλλοι δὲ θεοὶ δαίνυνθ᾽ ἑκατόμβας.

Odyss. 19, 542.
ἀμφὶ δ᾽ ἔμ᾽ ἐγερέθοντο ἐϋπλοκαμῖδες Ἀχαιαί,
οἴκτρ᾽ ὀλοφυρομένην, ὅ μοι αἰετὸς ἔκτανε χῆνας.

Iliad. 13, 460. *αἰεὶ γὰρ Πριάμῳ ἐπεμήνιε δίῳ,*
οὕνεκ᾽ ἄρ᾽ ἐσθλὸν ἐόντα μετ᾽ ἀνδράσιν οὔτι τίεσκεν.

Iliad. 23, 385.
τοῖο δ᾽ ἀπ᾽ ὀφθαλμῶν χύτο δάκρυα χωομένοιο,
οὕνεκα τὰς μὲν ὅρα ἔτι καὶ πολὺ μᾶλλον ἰούσας.

Iliad. 21, 413.
ἥ τοι χωομένη κακὰ μήδεται, οὕνεκ᾽ Ἀχαιοὺς
κάλλιπες, αὐτὰρ Τρωσὶν ὑπερφιάλοισιν ἀμύνεις.

Iliad. 14, 191. *κοτεσσαμένη τόγε θυμῷ,*
οὕνεκ᾽ ἐγὼ Δαναοῖσι, σὺ δὲ Τρώεσσιν ἀρήγεις;

Odyss. 8, 227. *χολωσάμενος γὰρ Ἀπόλλων*
ἔκτανεν, οὕνεκά μιν προκαλίζετο τοξάζεσθαι.

Odyss. 16, 425. *δὴ γὰρ κεχολώατο λίην,*
οὕνεκα ληϊστῆρσιν ἐπισπόμενος Ταφίοισιν
ἤκαχε Θεσπρωτούς.

Iliad. 2, 578. *ἐν δ᾽ αὐτὸς ἐδύσατο νώροπα χαλκόν,*
κυδιόων ὅτι πᾶσι μετέπρεπεν ἡρώεσσιν.

Iliad. 5, 325. ὃν περὶ πάσης
τῖεν ὁμηλικίης, ὅτι οἱ φρεσὶν ἄρτια ᾔδη.
Odyss. 19, 247. τίεν δέ μιν ἔξοχον ἄλλων
ὧν ἑτάρων Ὀδυσεύς, ὅτι οἱ φρεσὶν ἄρτια ᾔδη.
Iliad. 2, 255.
ἧσαι ὀνειδίζων, ὅτι οἱ μάλα πολλὰ διδοῦσιν
ἥρωες Δαναοί.
Iliad. 24, 241.
ἦ οὔνεσθ', ὅτι μοι Κρονίδης Ζεὺς ἄλγε' ἔδωκεν;
Odyss. 17, 378.
ἦ ὄνοσαι, ὅτι τοι βίοτον κατέδουσιν ἄνακτος
ἐνθάδ' ἀγειρόμενοι;
Odyss. 18, 333 = 393.
ἦ ἀλύεις, ὅτι Ἶρον ἐνίκησας τὸν ἀλήτην;
Iliad. 20, 281. ὁ δ' ἀλευάμενος δόρυ μακρὸν
ἔστη, κὰδδ' ἄχος οἱ χύτο μυρίον ὀφθαλμοῖσιν,
ταρβήσας ὅ οἱ ἄγχι πάγη βέλος.

Omnino ὅτι saepe periphrasi inservit et explicationi, ut Iliad. 5, 349.
ἦ οὐχ ἅλις, ὅττι γυναῖκας ἀνάλκιδας ἠπεροπεύεις;
Iliad. 23, 670.
ἦ οὐχ ἅλις, ὅττι μάχης ἐπιδεύομαι;
Iliad. 24, 538.
ἀλλ' ἐπὶ καὶ τῷ θῆκε θεὸς κακόν, ὅττι οἱ οὔτι
παίδων ἐν μεγάροισι γονὴ γένετο κρειόντων.

Iam si tu, benevole lector, hanc tantam exemplorum nubem oculis perlustraveris et accurate examinaveris; si ab altera parte expenderis ne unum quidem locum exstare, quo eadem vi ac ratione post haec verba plenum ὅτε positum sit: quodnam, dic mihi, iudicium facturus es de aliquot locis, in quibus, praegressis iisdem verbis γιγνώσκειν, εἰδέναι, ἰδεῖν, (δῆλον εἶναι), χώεσθαι et synonymis ὅτ' elisum nobis obviam fit? Utrum ὅτε an ὅτι intelligendum iudicabis? Loci hi sunt.
Iliad. 5, 330.
ὁ δὲ Κύπριν ἐπῴχετο νηλέϊ χαλκῷ,
γιγνώσκων ὅτ' ἄναλκις ἔην θεὸς οὐδὲ θεάων
τάων, αἵτ' ἀνδρῶν πόλεμον κάτα κοιρανέουσιν.

Quem locum paraphrastes ita reddit: ὁ δὲ τὴν Ἀφροδίτην ἐδίωκε τῷ ἀνηλεεῖ σιδήρῳ, εἰδὼς ὅτι ἀσθενὴς ἦν θεὰ etc.

Iliad. 17, 622.

μάστιε νῦν, εἵως κε θοὰς ἐπὶ νῆας ἵκηαι·
γιγνώσκεις δὲ καὶ αὐτὸς ὅτ' οὐκέτι κάρτος Ἀχαιῶν.

Paraphrastes: *ἐπίστασαι δὲ καὶ αὐτός, ὅτι οὐδαμῶς ἔτι ἡ νίκη ἔσται Ἑλλήνων.*

Iliad. 8, 251.

οἱ δ' ὡς οὖν εἴδονθ', ὅτ' ἄρ' ἐκ Διὸς ἤλυθεν ὄρνις,
μᾶλλον ἐπὶ Τρώεσσι θόρον, μνήσαντο δὲ χάρμης.

Paraphrastes: *οὗτοι δὲ ὡς οὖν ἐνόησαν, ὅτι δὴ ἐκ τοῦ Διὸς ἦλθεν ἀετός, πάνυ ἐπὶ τοῖς Τρωσὶν ἐφώρμων, ὑπεμνήσθησαν δὲ τῆς μάχης.*

Odyss. 14, 365. *ἐγὼ δ' εὖ οἶδα καὶ αὐτὸς*
νόστον ἐμοῖο ἄνακτος, ὅτ' ἤχθετο πᾶσι θεοῖσιν
πάγχυ μάλ', ὅττι μιν οὔτι μετὰ Τρώεσσι δάμασσαν,
ἠὲ φίλων ἐν χερσίν, ἐπεὶ πόλεμον τολύπευσεν.

Iliad. 1, 243. *σὺ δ' ἔνθάδε θυμὸν ἀμύξεις,*
χωόμενος ὅτ' ἄριστον Ἀχαιῶν οὐδὲν ἔτισας.

Paraphrastes: *σὺ δὲ ἔνδον τὴν ψυχὴν σπαράξεις ἢ λυπήσεις, ὀργιζόμενος ὅτι τὸν ἄριστον τῶν Ἀχαιῶν κατ' οὐδὲν ἐτίμησας.*

Iliad. 1, 411.

γνῷ δὲ καὶ Ἀτρείδης εὐρυκρείων Ἀγαμέμνων
ἣν ἄτην, ὅτ' ἄριστον Ἀχαιῶν οὐδὲν ἔτισεν.

Paraphrastes: *μάθοι δὲ καὶ Ἀγαμέμνων ὁ μεγάλως κρατῶν καὶ βασιλεύων τὴν ἑαυτοῦ βλάβην, ὅτι τὸν κράτιστον τῶν Ἑλλήνων κατ' οὐδὲν ἔτισεν.*

Iliad. 16, 509.

ὠρίνθη δέ οἱ ἦτορ, ὅτ' οὐ δύνατο προσαμῦναι.

Paraphrastes: *ἐταράχθη δὲ αὐτοῦ ἡ ψυχή, ὅτι οὐκ ἐδύνατο βοηθῆσαι.*

Hymn. in Apoll. v. 98. de Ilithyia:

ἧστο γὰρ ἄκρῳ Ὀλύμπῳ ὑπὸ χρυσέοισι νέφεσσιν
Ἥρης φραδμοσύνῃ λευκωλένου, ἥ μιν ἔρυκεν
ζηλοσύνῃ, ὅτ' ἄρ' υἱὸν ἀμύμονά τε κρατερόν τε
Λητὼ τέξεσθαι καλλιπλόκαμος τότ' ἔμελλεν.

Odyss. 20, 333.

νῦν δ' ἤδη τόδε δῆλον, ὅτ' οὐκέτι νόστιμός ἐστιν.

Equidem ne minimum quidem dubito quin omnibus his locis *ὅτ'* ex *ὅτι* natum sit, neque vero ex *ὅτε*, et ad tuendam hanc sententiam pauca tantum addam. In primo eorum, Iliad. 5, 331, ineptissimus sane foret, qui *ὅτε* sive temporale sive caussale

intelligere mallet, quam ὅτι explicativum et periphrasticum, quum alienissima sit ab h. l. et temporis et caussae notatio, necessario autem obiectum requiratur verbi γιγνώσκων, quod aliud intelligi non potest nisi illud ipsum, quod continetur verbis ὅτι ἄναλκις ἦν θεός. Cf. praeterea locos supra p. 334 sq. allatos. Etiam Iliad. 17, 623. obiectum verbi γιγνώσκεις abesse non potest, cuius nulla ne in antecedentibus quidem significatio inest; conferendus autem hic quoque locus cum supra allatis, inprimis cum Iliad. 8, 175. 17, 630. 688. 14, 72. Simillima ratio est loci Iliad. 8, 251, ubi si ὅτ' ἄρ' ex ὅτε ἄρα natum esse sumpseris, verbum εἴδοντο obiecto suo aegerrime carebit; contra temporis notatio, quam nemo desiderabat, praeter modum addita erit: quod pulchre intellexisse videtur etiam Hartungius *Lehre von den Partikeln der griechischen Sprache* I. p. 438. cf. Iliad. 13, 674 sq. In loco Odyss. 14, 365. non me latet quidem fuisse iam inter veteres interpretes, qui ὅτ' exponerent per ὅ, τε, ὅς pronomen relativum; sed apertum est hoc minime convenire nexui orationis, quum ea interpretatione admissa obscurissimum evaderet antecedens enunciatum, neque quisquam intellecturus esset, quid Eumaeus diceret verbis οἶδα καὶ αὐτὸς νόστον ἐμοῖο ἄνακτος. Sequendus igitur Eustathius: τὸ ὅτ' ἤχθετο δύναται νοηθῆναι καὶ ἀντὶ τοῦ ὅτι ἐμισήθη, ὁ νόστος δηλαδὴ ἢ ὁ Ὀδυσσεύς. Equidem sine ulla haesitatione posterius praeferam, ut sententia loci hoc modo circumscribi possit: ego vero novi et ipse reditum domini mei (i. e. quomodo se habeat, quid de eo sperandum sit); scio enim dominum meum diis omnibus invisum esse, itaque de eius reditu nihil spei superesse: quippe quem neque in ipso bello cadere, neque domi inter amicorum manus diem supremum obire voluerint. Bothius quidem in hoc loco explicando, nisi prorsus caecutio, sibi ipse repugnat, quum primum ad verba νόστον ὅτ' ἤχθετο annotet: „ita dixit mutato nomine κατὰ τὸ σημαινόμενον pro hoc: νόστον ὅτι τοῦτον ἀποαίνυτο θεός, ut ait 311." deinde: „ὅτ' ἤχθετο π. θ. *quandoquidem* perosi eum sunt omnes dii." Sed particulae ὅτε, *quandoquidem*, pro rei natura ne locus quidem est, quum Eumaeus de Ulixis reditu ad hospitem dicturus nullo modo sumere posset, Ulixis fata hospiti iam cognita esse, ita ut ex cognitis et concessis argumentari liceret. In tribus Iliadis locis, qui deinde sequuntur, nemo non videt simplicissimam eandemque maxime

concinnam interpretationem esse, ut ὅτ' pro ὅτι positum esse statuas, quum contra si ὅτε intelligas oratio abruptior evadat, eiusque partes multo minus cohaereant. Primo enim verbis χωόμενος ὅτι ἄριστον Ἀχαιῶν οὐδὲν ἔτισας ut sexcentis aliis locis caussa et quasi materia irae indicatur, quod unum affectui Achillis, qui illa verba pronunciat, videtur accommodatum esse. Altero illa ὅτι ἄριστον Ἀχαιῶν οὐδὲν ἔτισεν epexegesin faciunt verborum ἣν ἄτην: cf. Iliad. 24, 538. κακὸν ὅττι οἱ etc., quem locum supra p. 341. attulimus. Ἄτη Ἀγαμέμνονος enim, quam dicit, eo ipso continetur, *quod* Achillem nullo honore habuit. Tertio denique loco temporis momentum iam accurate et aptissime denotatum est verbis versus praecedentis Γλαύκῳ δ' αἰνὸν ἄχος γένετο φθογγῆς ἀΐοντι, quare altera eiusdem significatio languida et ieiuna foret, ὅτε οὐ δύνατο προσαμῦναι. Idem etiam in loco hymni in Apollinem observandum; nam ibi quoque tempus iam in antecedentibus indicatum est; praeterea autem hoc ipso enunciato, quo legimus ὅτ' ἄρ' ἔμελλεν, additum habemus τότε; at in eodem enunciato ὅτε τότε coniunctum vix cuiquam elegantioris iudicii probabitur. Sed etiamsi omnibus aliis locis ὅτε intelligi posset, nego tamen et praefracte nego hanc interpretationem ullo modo admitti in Odyss. 20, 333. νῦν δ' ἤδη τόδε δῆλον, ὅτ' οὐκέτι νόστιμός ἐστιν, ubi τόδε manifesto ad sequentia spectat et alta voce explicationem postulat, quum prorsus nihil habeat in antecedentibus, quo possit referri. Quod autem Naegelsbachius ad Iliad. I, 244. dicit, ὅτε non minus bene quam ὅ et ὅτι etiam caussam et relationem denotare posse (*weil, in Beziehung darauf dass*), quum ipsum quoque, si originem spectes, sit neutrum pronominis ὅστε, quemadmodum haec neutra sint pronominum ὅς et ὅστις, in eo admodum desidero viri doctissimi cautum et circumspectum iudicium. Namque ut concedamus originariam vim ὅτε particulae eandem esse ac particularum ὅ et ὅτι, nunquam tamen ex carminibus, quae Homeri nomine exstant, hanc vim etiam in usu fuisse evinci poterit; in his enim Homeri reliquiis tam certus et definitus usus harum particularum obtinet, et suam utraque quasi regionem habet, in qua dominatur, ut neque ὅτι aut ὅ pro ὅτε, neque ὅτε pro ὅτι et ὅ promiscue ponere liceat. Neque profecto ad vindicandam ὅτε particulae vim explicandi et declarandi afferri debebat locus, in quo ε vocalis, cuius in hac re

approbanda vel maximum est momentum, elisa esset: quod fecit Naegelsbachius provocans ad Iliad. 8, 251. ὡς οὖν εἴδονθ', ὅτ' ἄρ' ἐκ Διὸς ἤλυθεν ὄρνις, de quo loco supra p. 342. egimus. Immo afferendus erat locus, in quo ὅτε plenum eodem modo usurpatum legeretur; eiusmodi autem locum apud Homerum frustra quaeri confidenter pronuncio.

Restant aliquot exempla circumcisi ὅτ', in quibus singularis quaedam ratio ὅτι particulae obtinet; satis enim graves caussae sunt, cur in his quoque non ὅτε, sed ὅτι intelligendum censeam. Velut Iliad. 4, 31.

δαιμονίη, τί νύ σε Πρίαμος Πριάμοιό τε παῖδες
τόσσα κακὰ ῥέζουσιν, ὅτ' ἀσπερχὲς μενεαίνεις
Ἰλίου ἐξαλαπάξαι ἐϋκτίμενον πτολίεθρον;

Paraphrastes Bekkeri: ὦ κακόδαιμον, τί δή σε ὁ Πρίαμος καὶ οἱ τούτου παῖδες τοσαῦτα κακὰ πράττουσιν, ὅτι ἀδιαλείπτως προθυμῇ τῆς Ἰλίου ἐκπορθῆσαι τὸ καλῶς ἐκτισμένον πόλισμα; Odyss. 21, 250.

οὔτι γάμου τοσσοῦτον ὀδύρομαι, ἀχνύμενός περ.
εἰσὶ καὶ ἄλλαι πολλαὶ Ἀχαιίδες, ἡμὲν ἐν αὐτῇ
ἀμφιάλῳ Ἰθάκῃ ἠδ' ἄλλῃσιν πολίεσσιν·
ἀλλ' εἰ δὴ τοσσόνδε βίης ἐπιδευέες εἰμὲν
ἀντιθέου Ὀδυσῆος, ὅτ' οὐ δυνάμεσθα τανύσσαι
τόξον.

Non nego quidem his locis per se spectatis etiam ὅτε intelligi posse, neque ineptum ita prodire sensum; sed si cum iis compares alios, in quibus aut plane eadem aut certe simillima ratione positum est plenum ὅτι, multo opinor magis consentaneum erit statuere, etiam his locis ι elisum esse, praesertim quum nullus ab altera parte afferri possit Homeri locus, in quo plenum ὅτε eadem ratione et in simili sententiarum nexu positum sit. Ex his locis inprimis memorabilis est et accurata comparatione dignus, qui legitur Odyss. 5, 339.

κάμμορε, τίπτε τοι ὧδε Ποσειδάων ἐνοσίχθων
ὠδύσατ' ἐκπάγλως, ὅτι τοι κακὰ πολλὰ φυτεύει;

Neque enim h. l. ὅτι, ut Passovius in lexico s. v. autumat, significat *so sehr dass*, quod est ὥστε, sed rationem et caussam indicat, modo per ellipsin quandam sive potius brachylogiam; sententia autem poetae in hunc fere modum circumscribi potest: infelix, cur tandem Neptunus tantopere tibi irascitur, quantopere eum tibi irasci ex eo colligo, *quod* tot tibi

mala molitur? Ex eo enim, quod tot mala Ulixi struit Neptunus, quasi reciprocatur Leucotheae, vehementer Neptunum illi irasci. Haec autem ratio etiam ad locum Iliad. 4, 31. facillime transferri potest, ut sententia haec sit: quid tandem tot tantaque mala Priamus eiusque filii tibi intulerunt, quot et quanta eos tibi intulisse ex eo colligi debet, *quod* tu semper in Troiae excidium intentus es? Posterioris loci sensus sic efferri potest: si tanto inferiores sumus Ulixe, quanto inferiores nos esse inde patet, *quod* pares non sumus tendendo huic arcui. Iam vide sis similem brachylogiam etiam in his locis Homericis. Iliad. 16, 33.

νηλεές, οὐκ ἄρα σοίγε πατὴρ ἦν ἱππότα Πηλεὺς
οὐδὲ Θέτις μήτηρ· γλαυκὴ δέ σε τίκτε θάλασσα
πέτραι τ' ἠλίβατοι· ὅ τ ι τοι νόος ἐστὶν ἀπηνής,

h. e. ita enim iudico, quia immitis tibi est animus. Iliad. 21, 410.

νηπύτι', οὐδέ νύ πώ περ ἐπεφράσω, ὅσσον ἀρείων
εὔχομ' ἐγὼν ἔμεναι, ὅ τ ι μοι μένος ἰσοφαρίζεις;

v. 487. *εἰ δ' ἐθέλεις πολέμοιο δαήμεναι· ὄφρ' εὖ εἰδῇς,*
ὅσσον φερτέρη εἴμ', ὅ τ ι μοι μένος ἀντιφερίζεις,

cuius epiphonematis similis ratio est ac noti illius *ἐ π ε ὶ σύ με ταῦτ' ἐρεείνεις.* Iliad. 24, 239.

ἔρρετε, λωβητῆρες, ἐλεγχέες· οὔ νυ καὶ ὑμῖν
οἴκοι ἔνεστι γόος, ὅ τ ι μ' ἤλθετε κηδήσοντες;

ubi Schol. Ven.: *βούλεται δὲ λέγειν, ὅτι δεῖ ἕκαστον οἴκοι μένοντα πενθεῖν τὸν Ἕκτορα.* Quare exspectandum non erat, eos ad Priamum venturos eique negotium facessituros esse. Idem dicendi genus etiam Odyss. 14, 366. obvium est, quem locum alio respectu iam supra p. 342. tetigimus:

ἤχθετο πᾶσι θεοῖσιν
πάγχυ μάλ', ὅ τ τ ι μιν οὔτι μετὰ Τρώεσσι δάμασσαν,
ἠὲ φίλων ἐν χερσίν, ἐπεὶ πόλεμον τολύπευσεν,

h. e. diis omnibus invisum eum esse, inde colligi poterat, quod neque in hostium terra neque inter amicorum manus diem obiisset supremum. Porro Odyss. 22, 35.

ὦ κύνες, οὔ μ' ἔτ' ἐφάσκεθ' ὑπότροπον οἴκαδ' ἱκέσθαι
δήμου ἄπο Τρώων, ὅ τ ι μοι κατεκείρετε οἶκον.

Odyss. 14, 440.

αἴθ' οὕτως, Εὔμαιε, φίλος Διὶ πατρὶ γένοιο
ὡς ἐμοί, ὅ τ τ ι με τοῖον ἐόντ' ἀγαθοῖσι γεραίρεις.

Odyss. 15, 341.

αἴθ' οὕτως, Εὔμαιε, φίλος Διὶ πατρὶ γένοιο
ὡς ἐμοί, ὅττε μ' ἔπαυσας ἄλης καὶ ὀϊζύος αἰνῆς.

Quare non dubito, quin etiam locus Odyss. 14, 90. eodem modo accipiendus sit, cuius loci verba haec sunt: v. 89.

οἵδε δὲ καί τι ἴσασι, θεοῦ δέ τιν' ἔκλυον αὐδήν,
κείνου λυγρὸν ὄλεθρον, ὅτ' οὐκ ἐθέλουσι δικαίως
μνᾶσθαι οὐδὲ νέεσθαι ἐπὶ σφέτερ', ἀλλὰ ἕκηλοι
κτήματα δαρδάπτουσιν ὑπέρβιον, οὐδ' ἔπι φειδώ.

Ubi ὅτ' item ὅτι valet, ideoque a quibusdam per διότι, καθ-ότι, *quapropter*, exponitur; sed inest h. l. eadem brachylogia, quam in superioribus locis animadvertimus. Ex eo enim, quod proci Penelopen iusto modo ambire nolunt, suspicari licet eos aliquid de Ulixis interitu fama accepisse sive adeo eum compertum habere. Ὅτε autem intelligere h. l., nisi prorsus fallor, ab omni usu loquendi abhorreat. Denique etiam huc referendus esse videtur locus Iliad. 10, 141, ubi Ulixes ad Nestorem eiusque comites:

τίφθ' οὕτω κατὰ νῆας ἀνὰ στρατὸν οἶοι ἀλᾶσθε
νύκτα δι' ἀμβροσίην, ὅτι δὴ χρειὼ τόσον ἵκει;

Ita enim praeeuntibus ex parte editionibus vetustis et quodammodo etiam Spitznero scribere et distinguere malim, quam cum Wolfio:

νύκτα δι' ἀμβροσίην; ὅ, τι δὴ χρειὼ τόσον ἵκει;

Ex hac enim distinctione statuendum esset, indirectam q. d. interrogationem pro directa positam esse, quod ab Homero factum esse idoneis exemplis demonstrari non potest. Itaque praeferendum videtur, ὅτι coniunctim scribere et hoc enunciatum cum antecedentibus coniungere, quod ex parte iam Heynius fecit, ὅτι per καθ' ὅτι explicans. Inest autem in his verbis levis quaedam anacoluthia cum tautologia, quod vel duo demonstrativa, οὕτω et τόσον, coniuncta ostendunt. Ceterum si directa interrogatione etiam in altero membro uti voluisset poeta, ita fere orationem conformaturus erat, ut Iliad. 11, 606.

τίπτε με κικλήσκεις, Ἀχιλεῦ; τί δέ σε χρεὼ ἐμεῖο;

Postremo, nisi ego vehementer fallor, nulla probabilis caussa neque adhuc allata est, neque opinor afferri poterit, cur elisionem vocalis ι ὅτι particula non admiserit, quum non modo aliae simplices et breves vocales, qualis est ι, a poetis epicis elisae fuerint, sed etiam diphthongi, ut αι in terminationibus

verborum passivis: quod vulgo notum est et inter omnes constat. Vocalem autem ι etiam in altera persona verbi εἰμὶ — ἐσσὶ — elisam habes satis certo exemplo Odyss. 17, 273.

ῥεῖ' ἔγνως, ἐπεὶ οὐδὲ τά τ' ἄλλα πέρ ἐσσ' ἀνοήμων.

Ubi Eustathius disertim: ἐπεὶ οὐδὲ τά τ' ἄλλα πέρ ἐσσι ἀνοήμων, neque ullo modo ibi de imperativo modo cogitari potest. Sed in hoc quoque verbo elisionem admitti post Spitznerum Thierschius et Kuehnerus negant. Ita in τοσσάκι, quod tamen pro τοσσάκις (τοσάκις) positum est, ι eliditur Odyss. 11, 586, ubi de Tantalo v. 585.

ὁσσάκι γὰρ κύψει' ὁ γέρων πιέειν μενεαίνων,
τοσσάχ' ὕδωρ ἀπολέσκετ' ἀναβροχέν.

Quin etiam in pronomine relativo ὅττι vocalem finalem elisam habemus Odyss. 15, 317.

αἶψά κεν εὖ δρώοιμι μετὰ σφίσιν, ὅττ' ἐθέλοιεν,

i. e. ὅττι ἐθέλοιεν. cf. Odyss. 14, 444.

θεὸς δὲ τὸ μὲν δώσει, τὸ δ' ἐάσει,
ὅττι κεν ᾧ θυμῷ ἐθέλῃ· δύναται γὰρ ἅπαντα.

Odyss. 18, 112.

Ζεύς τοι δοίη, ξεῖνε, καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι,
ὅττι μάλιστ' ἐθέλεις, καί τοι φίλον ἔπλετο θυμῷ.

Non me fugit quidem, in loco Odyss. 15, 317. editiones vetustas atque etiam Porsonum et Schaeferum exhibere ὅτι θέλοιεν, quod Eustathius quoque affert; sed ita in Homerum admittendum foret verbum θέλω, quae forma testibus veterrimis criticis (cf. Schol. Ven. ad Iliad. 1, 277. 11, 217. 24, 344. Schol. Harlei. ad Odyss. 3, 272. 15, 317. Eustath. ad Iliad. p. 104, 45. p. 800, 28.), optimis libris et auctoribus nusquam ab Homero usurpata est, nunc certe ne uno quidem loco in Homericis carminibus legitur. Quod si autem forma θέλω in Homerum admittenda non est, profecto scribendum ὅττ' ἐθέλοιεν, et tum iure mihi ita ratiocinari videor: si elisio vocalis ι admittebatur in pronomine relativo ὅττι, quod proxime cohaeret cum interrogativo τί, multo etiam magis admitti debebat in particula ὅτι vel ὅττι ex illo nata, quippe in qua originaria verbi vis iam quasi deflexa et oblitterata erat. Ita etiam ab hac parte elisio ὅτι particulae satis opinor firmata et munita erit.

FRIDERICI GUILIELMI GRASERI

PHILOS. DR. GYMN. GUBEN. PRORECT.

AD

I. U. FAESIUM

EPISTOLA

CUI SUBIECTAE SUNT OBSERVATIONES DE MODIS VERBORUM.

VIRO AMICISSIMO

IO. UDALR. FAESIO

S. D.

FRID. GUIL. GRASER.

Sero adsumus, mi Faesi, sed adsumus nostram quoque qualemcunque symbolam his actis mandaturi societatis graecae. Quam ut ad te missam videri vellemus, causa movit ea, quam certe qui amicitiae aliquid tribuendum esse largiuntur, haud aegre tulerint. Propositum enim fuerat initio, quidquid in his actis edere placuisset, ante per literas tecum communicare; quod, nisi tuo iudicio opella nostra aliquo modo probata esset, merito verendum videbatur ne improbaretur illi viro, cui ut nemini mortalium quidquid sumus ac possumus commendatum velimus. Sed quum diu multumque, qua de re scribere operae pretium esset, dubitavissemus, factum est, ut alio atque alio abiecto consilio tandem sero in hunc locum grammaticum incideremus de Modis Verborum, adeoque, quum ad scribendum nos accingeremus, iam prope abesset, ut porta clauderetur huius sive theatri sive ludi, in quem pulcherrimo instituto homines docti cum mediocribus, quales nos sumus, plurimi rude donati, multi nobili iam dudum palma clari convenire decreverant ita uti quondam iuvenes Lipsiae soliti essent, iam viri ac senes iucundissima memoria renovata societatis graecae specimina edituri philologiae suae, auspice eodem illo, cui olim studiorum suorum rectori operam probare gestierant, Godofredo Hermanno. Quid quaeris? ne excluderemur loco omnium desideratissimo, quanta antea fuerat tarditas, tanta iam opus erat festinatione. Sed certe lente festinare decretum erat. Idque partim contigit, praesertim quum nec in rebus ipsis quas literis mandaremus, nec in descriptione libelli magnopere labo-

randum esset, quoniam, quo discipulos nostros grammatices praeceptis accuratius imbueremus, multum de hoc quoque loco meditati eramus. Sed magnopere spes fefellerat de otio, quo ita hoc tempore caruimus, ut nequaquam quemadmodum mente praescriptum erat persequi operam liceret. Itaque et valde inaequalis exstitit disputatio, et magnam partem etiam inchoatam relinqui aut certe valde decurtari necesse fuit: ad te vero quominus, antequam typis exscriberentur, chartas mittere possemus, omnino temporis angustiae impediebant, si modo inter acta referri nostra vellemus. At nonne praestabat non referri? Id noli putare memet ipsum non reputasse. Sed tamen non placebat. Malebamus enim pietatis officium gratissimum aliquo modo facere, quam omnino omittere. Tum vero aut fallor, aut insunt in his quae scripsimus certe quaedam, quae ad huius de Modis Verbi praeceptionis certe partes quasdam illustrandas aliquantulum prodesse posse credimus. Quae si fortasse tibi, mi Faesi, probentur, ita fere a nobis inventa puta, uti nostri homines fieri interdum aiunt, ut etiam coeca gallina granum inveniat, non dico aureum, sed tamen non inutile: de reliquis autem si multa negligenda putabis, certe non magis opinor stomachaberis, quam si forte in libris plurimis, qui veterum scripta commentariis ornata habent, de multis admodum pauca doctis hominibus et indoctis novam vel utilitatem vel voluptatem afferre iudicaveris. Sed ut redeamus ad id quod supra dicebamus: ut hanc quamvis mancam commentationem et imperfectam, quum manu scriptam, quam tuo consilio corrigeremus, vere mittere non licuisset, iam typis impressam tamen ad te missam videri vellemus, causa fuit una iustissima. Velim enim sic existimes, de omnibus illis generosis et doctis adolescentibus, quibuscum ante hos viginti annos iucundissima illa in societate graeca studiorum communio etiam amicitiae vinculis nos coniunxit suavissimae, neminis nobis nec fuisse unquam nec mansisse adhuc cariorem, quam tui, mi Faesi, memoriam. Nec committam, ut virtutum tuarum, quarum me nescio quomodo insigne quoddam lumen ad te alliciebat, immodesta praedicatione erubescas: indignum hoc amicitia. Verum modeste facturus videor, si me Socraticam quandam in te indolem Platonis exemplo temperatam agnovisse et adamasse dicam, qualem in nemine postea, quorum ingenia et mores inspexi, videre contigit, nec fortasse potuisset contingere, nisi forte Heusdium

contigisset videre, iam interiore illum notà beatum eius nectaris, quo meliore quam Homerus Plato beatos facit deos. Sed illa me indoles tua aut latuisset, aut certe movere non potuisset, nisi illam, quae mihi tum totum fere animum ac vitam regebat nec unquam desiit corrigere, admirationem et venerationem summi praeceptoris nostri, Godofredi Hermanni, in te tantam esse cognovissem, quanta me ipsum ardere meministi. Viginti elapsi sunt anni, ex quo ex ipsius ore pendebamus: ego mihi saepe etiamnunc pendere videor, ita adhuc viget, immo vivit et spirat in mente cum viri tum disciplinae imago, quam tanquam ἄγαλμα colo sanctissimum, quod pie intuitum nunquam dimittit quin aliquid infirmae virtuti roboris addiderit. Insigni profecto beneficio divino usi nos omnes sumus, quibus tanti viri disciplina uti contigit. Nobis certe quid fuisset Lipsia sine Hermanno? aut ubi illi parem aut similem doctorem invenire licuisset, in quo tot tantasque virtutes cum singulari naturae benignitate tum magnifico ipsius studio atque industria cumulatas diceres? Quis illo magis habitat et regnat in literis graecis et latinis? immo in quo magis natura experta esse videtur, possetne cum generosa hac Germanorum indole tum laetissimam graeci ingenii felicitatem, tum romanam gravitatem, constantiam, fortitudinem in unius hominis animo ita coniungere, ut mirificus exsisteret tot virtutum concentus? Cuius enim felicius natura finxit ingenium ad nobilissimae illius in omni antiquitate Graecorum nationis omnem indolem penitus perspiciendam, quam certe in nulla re magis et melius quam in magnorum ingeniorum monumentis expressam habemus? Aut cuius hodie ex ore veteris illius Latii sonos admirabilius lingua edit, sive docenda diligenter studiosa iuventus est, sive carmina vati dicenda Aeolio plectro, sive in solemnibus sacris oratori verba facienda sunt sacro non minus digna silentio? Verum, quod his si non maius, certe non minus ducendum est, quantus ille magister cum veritatis, tum omnis pulchritudinis et honestatis! Ita enim et tum videbatur et magis postea persuasum est, illum, quum antiquas literas doceret, simul philosophiam tradere; multisque idem quod nobis accidisse putamus, qui si quidquam habemus φιλόσοφον, id totum nos illis Hermanni scholis debere fatemur: quippe, quum ipse esset φιλόσοφος, φιλοσόφως tractabat res a philosophia minime alienas. Quantum illius disciplina in animis excitabat studium, quantum

amorem veritatis, ut veri perspiciendi causasque cuiusque rei explorandi officium gravissimum laeto animo amplecti assuesceremus? Quomodo autem exquiri veritatem erroresque evitari oporteret, quanta ille arte etiam in implicatissimis rebus vias planissimas et simplicissimas monstrare solebat? Sed ita quum incredibili modo ingenia acueret sagacitatemque eliceret, mirum quantum simul iuvabat ipsa disserendi et explicandi ratione sua, ita simplici illa et perspicua, sed acuta simul et alacri et laeta, quaeque vel tardiores facile quo vellet raperet, ut perpetuo, qui aliquando pueros et iuvenes instituturi essent, utilissima sibi dialectices praecepta acciperent. His autem utilitatibus, quae ad facillimam rerum quas tradebat perceptionem veluti sponte accedebant maximas, quum in omnibus summi magistri scholis atque in omni doctrinae genere perfrui liceret, aliam quandam utilitatem, quam qui impertire nequit magni iuventutis doctoris nomine indignus iudicandus est, maxime interpretatio afferebat ad formandos mores. Admirantur illum quidem, etiam qui ipsum non viderunt et audiverunt, docti omnes ut principem criticorum, grammaticorum, metricorum, denique ut summum omnis fere doctae antiquitatis interpretem: verum hac ipsa scripta veterum interpretandi arte quanta excellat, non potest satis nisi ab iis aestimari, qui ipsi factitantem pleno ore de cathedra eam artem audiverunt. Nam in commentariis, quibus instructa plurima veterum, maxime poetarum scripta edidit, quum interpretis munus fere omittere soleat, nisi quum critica eius ope carere nequit, interpretationem videlicet verbis auctoris emendatis sponte docto cuique ratus idoneam occurrere oportere: imprudenter nonnulli in indignam tanto viro opinionem adducti esse videntur, ut etiam in scholis illum negligere interpretationem crederent, et, ut loquuntur, in apicibus fere solum literarum haerere, praeterea, si quando attingeret rerum ac sententiarum explicationem, interpretem parum disertum, nonnunquam frigidum exsistere. Qui vellem ipsum aliquando audivissent, aut etiam nunc audirent: quantum eos turpis erroris sui poeniteret! Norunt omnes, nec quisquam sine admiratione legerit pulcherrimam Oedipi fabulae enarrationem a C. Reisigio compositam. Tales vero ipsius illius, quo doctore Reisigius usus erat, enarrationes audivimus maxime Aeschyli et Sophoclis fabularum, tum Pindari carminum, quarum vellem vel unam alteramve accurate calamo ita ex-

ceptam haberemus perpetuam, uti ex ipsius ore manabant: mirarentur profecto quibus audire non contigit. Et erat sane quo differrent. Nam ut omittam diversam utriusque viri indolem, alterius Doricam gravitatem, nonnunquam rigidam, alias simulatae quam innatae similiorem, huius cum vera, propemodum Aeschylea illa, gravitate et dignitate coniunctam Ionicam facilitatem: aliter sane scribitur domestica diligentia, aliter sponte funditur oratio memoriter. Sed eo nescio an admirabilius dicam cum divinum ingenium viri, tum artificium plane singulare visum esse; movebantque illa, quae tanquam ab ipsis Musis illico dilectissimo interpreti suo praecipi videbantur, quin inflammabant nescio quomodo animos audientium et in ipsam rerum actionem abripiebant. Denique erant illae perfectae enarrationes: in quibus quum de ingenio totius cuiusque poematis, ceteraque de argumento, de personis earumque moribus, de compositionis artificio, alia quibus opus esset docte et ingeniose essent exposita, tum ipsius sequebatur interpretatio poematis ita instituta, ut, vere dicam, tanquam denuo condi ipsum ab auctore videretur aut certe conditum illustrari ab ipso minus intelligentibus. Qualis illa actionis explicatio! iam agi res videbatur et progredi vere. Qualis morum notatio! cernere te crederes et audire ipsum Prometheum, Oedipum, Antigonam; ita non tantum describebantur, sed, miro sane temperamento ipsius viri natura ac dignitate conservata, etiam vocem et vultum personarum repraesentatum diceres. Tum quanta ars in verbis interpretandis cum sermonum tum cantuum! In quo tribuebatur sane suum et grammaticae et criticae rationi, quae ubicunque opus esset diligenter expendebatur: sed ea quasi episodia erant, quae quum rei necessitas interponi iuberet, tamen ars interpretis ita cum summae interpretationis tela contexebat, ut interpretatio suum locum tueretur. Haec autem, quum quae summa cuiusque loci esset paucis et apte edidisset, in singulis deinceps verbis et sententiis mirum imprimis in eo servabat delectum, ut, quum fere nihil non illustraretur, faciliora et leviora quamvis eximie tamen breviter, difficiliora autem quaeque aut graviora copiosius explicarentur. Atque haec copia nihil unquam habebat alieni, nihil inepti, nihil quaesiti; quae res vel postulare vel afferre ipsa videbatur, quo quidque consilio, qua vi, quam apte ad personam, ad tempus, ad locum, qua verborum et numerorum vel elegantia vel magnificentia dictum

esset, talia diligenter perlustrabantur, sed ut non varias adnotationes misere discerptas, sed continuam atque unam cuiusque loci interpretationem acciperemus, a qua facilem deinceps narratio et expeditum ad ea quae sequerentur progressum habebat. Tum vero quoties graves occurrerent sententiae, magna praecepta, excelsae laudes virtutis et sapientiae, insignes castigationes iniustitiae, perfidiae, impietatis, fraudulentiae, reliqui gregis turpissimi: tum nescio quomodo maiorem quandam et augustiorem vir prae se ferebat speciem, ut ipsum illum cernere videreris Iustum ac tenacem propositi virum, illum Consulem non unius anni, denique ipsius Virtutis aliquem interpretem et sacerdotem: talis tum illius vultus, talis vox, talia carminibus similiora verba. Videlicet talem se tum quoque gerebat, qualis est: qui quidem generoso animo suo, quidquid humana natura fert magni, excelsi, divini, veluti sancto templo colit et veneratur. Sed dedit eidem deus ut paucis mortalium, fari ut possit quae sentit: quo non tantum bonus ipse est, sed etiam adolescentes, disciplinae eius qui se totos toti tradunt, bonos facere potest. Quamquam ille non exemplo tantum suaque virtutis admiratione rector et corrector erat morum nostrorum, sed in societate graeca sua, cuius quasi ad interiora sacra qui admittebantur, largius iis ex perenni illo fonte et sapientiae et paterni amoris quantum et possent et vellent imbibere licebat, in illa igitur domestica magis disciplina, praeceptis etiam et monitis, ubicunque vel cohortatione vel castigatione opus esset, mirum quantum suis prodesse solebat, imprimis autem praeter negligentiam et temeritatem in iudicando et scribendo graviter et severe reprehendebat immodestiam et arrogantiam; timidiores vero, qui cum diligentia quamvis minus felici pudorem et verecundiam probarent, singulari cum humanitate confirmabat, erigebat, sustentabat: quo in multis fieri memini, ut, quum semel peccassent, deposito vitio tanto magis deinde venerabilem magistrum et ipsi amarent et ab illo amarentur; unus tantum deserere societatem quam pietatem tueri malebat: de timidis autem quique initio mediocri ingenio esse videbantur, plurimi deinde sumta fortitudine maiora conati etiam egregie cordati viri exstiterunt, quorum haud mediocrem eruditionem etiam virtus ornaret magni praeceptoris auctoritate haud indigna. Atque hoc illud est quod supra dicebamus, etiam honestatis G. Hermannum insignem adolescentibus magistrum

omninoque eum nobis visum esse, in quem praeter ceteras laudes maximas mirifice conveniret, quod praeclare de Homero vate Q. Flaccus ait: *Hic quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non, Planius et melius Chrysippo et Crantore dicit.* Sed sero sensi, mi Faesi, inepte me fecisse, qui tibi narrare ausus sim, quae nemo te melius et novit et intelligit. Nolueram enim narrare, sed gratulari et tibi et mihi, quibus talem deus voluisset magistrum contingere, a quo, quaecunque iis, qui ipsi aliquando iuvenes bonis literis imbuere propositum haberent, vel maxime artes ediscendae essent, abunde ita percipere liceret. Nam ita prorsus existimo, qui illo duce et auspice philologiam non ita colere didicisset et tractare, ut non optima in eius copia instrumenta parata haberet, quibus ad iuvenum tum ingenia feliciter excitanda, acuenda, alenda, tum animos honestate, virtute, pietate salubriter imbuendos recte ac prudenter uti posset, eum omnino invitis Musis, invita natura philologiam attigisse censendum esse. At iam verendum est, ne tibi, mi Faesi, mentitus esse videar, defuisse hoc tempore otium: ita longa haec exstitit epistola post finitum quem mittimus libellum observationum. Nunc non licet ultra, quantumvis etiam multa narrare vellem, unum vero maxime, quam beatos superiore anno dies per ferias aestivas egerim Lipsiae, quum post novem annos primo contingeret videre et audire ipsum illum virum magnificum Godofredum Hermannum nostrum docentem de cathedra, praesidentem societati graecae, respondentem domi de literis consulentibus, denique Socratica pocula in epulis laetissimis propinantem amicis adolescentibus, quibus longe melioribus nec nos deteriores interesse noluerat. Sed de his omnibus, et de filii eius, paternam virtutem aemulantis, et de M. Hauptii viri celeberrimi, quo nemo unquam de Hermanni discipulis singulari illius amore fuit dignior, de horum candida in nos voluntate, de aliis quae tum nos beabant, si coepissem dicere, finem non invenirem. Ipse vero, hoc unum dicam, viridi vir florens senectute idem ille erat, qui fuerat, et sibi et aliis; imprimis quibus unquam bene voluit, in quibus non exiguum locum tribuit omnibus qui sunt quique fuerunt discipulis suis. Quam ille peramanter —: sed cogere memet ipsum necesse est, ne denuo pergam. Itaque tu, mi Faesi, de amicis tuis Turicensibus meo nomine saluta nuperos Platonis operum editores celeberrimos, Baiterum, Orel-

lium, Winckelmannum, quibus me spero brevi debitas gratias soluturum esse, ubi ad Platonem redire licuerit: malumus enim res quam verba dare. Denique vero ut te Turico tuo, omni doctrinae laude urbe florentissima, iam Ulubras nostras, obscuram et indoctam hanc Gubenam dico, aut potius ad indoctam hominis Gubenensis opellam abducam; accipe quas subiecimus observationes quo fere ordine instituerimus. Placuit enim in capita quaedam referre: quorum *primo* nostram de Modorum universa vi ac natura sententiam breviter summatimque exposuimus; *secundo* defendere hanc conati sumus comparatis aliorum sententiis; *tertio* de singulis Modis graecae potissimum linguae accuratius disputare instituimus: quo tertio capite quum maxime difficilior de Coniunctivo et Optativo locus explicandus esset, magnam partem eius disputationis valde decurtari necesse fuit. Sed iam ipse cognosces, ipse iudicabis. Vale.

Scribebam Gubenae in Lusatis m. Iun. a. h. s. XL.

OBSERVATIONES DE MODIS VERBORUM.

CAPUT PRIMUM.

Omnis oratio sive enunciatio quum coniunctum contineat Praedicatum cum Subiecto, effici eam coniunctionem in promptu est a mente eius cuius est oratio, qua mente quidquid verbis editur intus praeformari constat.

Sequitur autem mens in coniungendis Praedicatis cum Subiectis varias rationes, quoniam variis ad iungendum causis ducitur: ex quo ipsius coniunctionis modus nascitur varius, quem etiam lingua exprimit varietate quadam sua.

Causa, qua ducta mens instituit Praedicatorum cum Subiectis coniunctionem, natura duplex est: aut enim in rebus posita est, aut in ipsa mente eiusque arbitrio.

Huius diversitatis ratio ut perspiciatur, de partibus, quarum fit in oratione coniunctio, paullo accuratius statuendum est. Etenim quemadmodum verba, quae ponuntur ut Subiecta et Praedicata, non ipsarum, quae sunt, rerum et actionum signa sunt, sed duntaxat mentis notionum, quae imagines sunt quarumque rerum earumque vel actionum vel conditionum a

mente vel sensuum ope vel ipsius vi perceptas: ita quae in oratione coniunctio est Praedicatorum cum Subiectis, ea harum imaginum in mente coniunctio expressa continetur. Eam igitur imaginum suarum coniunctionem ut instituat, duabus mens causis moveri potest, quarum una in rebus, altera in ipsa est.

In rebus causa ita inest, si percepta ipsarum quae reapse est coniunctio movet mentem, ut huic similem imaginum suarum, quas habet rerum illarum, coniunctionem instituat: atque haec imaginum sive notionum coniunctio tota imitatio est rerum, quae reapse est, coniunctionis. E mente autem coniungendi causa ita proficiscitur, si ea sua sponte atque vi fictam imaginum, quas perceptas habet, rerum, coniunctionem instituit: quam omnino diversam ab ea, quae reapse est, rerum coniunctione totamque arbitrariam esse intelligitur.

Quodsi, antequam progrediamur, interest utrumque hunc coniunctionis modum certis nominibus insignire, ipsa ratio commendat, ut illum, cuius mens causam omnem e rebus sive *obiectis* repetit, *obiectivum*, alterum, cuius e semet ipsa causam gignit mens sive, uti philosophi loqui solent, *subiectum*, *subiectivum* appellemus.

Adhuc, quomodo a mente diversa Praedicatorum cum Subiectis coniunctio institueretur, dictum est. Sequitur ut videamus de oratione, qua illam ipsam diversitatem plane expressam esse in promptu est: quin huius manifesta imitatio illius formam reconditam vel admonet demum ut agnoscamus, vel agnitam unice confirmat.

Mandat igitur mens exprimendam duplicem illam coniunctionem suam imaginum, quas perceptas habet rerum, fidelissimae ministrae linguae. Ea autem, qua est solertia, via id facillima effecit. Nam quum ad ipsam coniunctionem efficiendam vocabulorum, quibus rerum mente perceptarum imagines voce refert, quo pronuntiata exsisterent, copulam invenerit, cuius vim callido artificio adeo implicuit verbis omnibus, quibus actionis vel conditionis notio indicatur, qualia plerumque praedicata sunt subiectorum: modum illum duplicem, quem mens in coniungendis Praedicatis cum Subiectis praeivisset, quemadmodum consentaneum erat, in ipsa copula et in verbis, quae eam implicatam haberent, exprimendum esse vidit, expressitque lenissima plerumque mutatione formae, iis qui plerumque dicuntur *Modi Verborum*.

Modum copulae adhaerere verbique partem eo esse, quod in hoc copulae vis latet, res ipsa docet; si quidem quem eo nomine appellamus in omni oratione aut simpliciter in ipsa copula apparet, aut in verbo ita, ut id discretum in Praedicatum et copulam solam hanc Modi varietate temperatam ostendat, veluti *φεύγομεν* est *ἐσμὲν φεύγοντες, φεῦγε* — *ἴσθι φεύγων, φεύγοι* — *εἴη φεύγων, ἐὰν φεύγῃ* — *ἐὰν ᾖ φεύγων.* Ea vero res duas ob causas observatione digna videtur: tum, quod vel indicat vel confirmat, Modi vim omnem ad coniunctionis eius, quae a mente instituitur Praedicatorum cum Subiectis, rationem significandam pertinere, quoniam in hac coniunctione omne fere munus copulae versatur: tum quod opportune admonet, ne inter Modos referamus, nisi quae in copula exprimantur; qua certa nota posita iam non licebit in Modis habere *λεκτέον, φευκτέον, dicendum, fugiendum*, quippe quae per se ipsa Modi expertia, pariter ac *χρηστόν utile* omninoque nomina omnia, apponi demum patiuntur significationem Modi, eiusque varii, veluti *φευκτέον ἐστί, φευκτέον ἂν εἴη.*

De forma autem, qua Modi in verbo exprimuntur, hoc loco pauca attingamus communia. Dominatur in ea varietas vocalium: praeterea partim variant terminationes personales. Vocalibus variandis declinatio modalis fit dupliciter: aut ita ut thémati cuiusque Temporis suffigantur quae certis Modis significandis inserviant vocales variae, uti fit in graeca lingua et latina, *λέγ-ομεν, ωμεν, οιμεν, leg-imus, amus*; aut ut ipsorum thematum vocales certis quibusdam modis immutentur, quod fieri constat maxime in hebraica lingua, cuius vocales variandi facultas latissime patet, tum paullo alio modo in germanica, quae similiter in quibusdam verborum generibus Coniunctivum Praeteriti ab Indicativo discernit, veluti in *kam kämen, trugen trügen.* Praeterea, si tanti est, hoc loco notanda videtur eorum consuetudo, qui in definiendis verborum formis Praesens vel Praeteritum Coniunctivi dicere amant, non Coniunctivum Praesentis, Praeteriti: nam si accurate iudices, linguae eae, quarum sunt in verbis certorum temporum notationes, non habent Tempora Modorum, sed Modos Temporum; si quidem in actionibus demum ad tempora sua relatis deinde Modos discernunt (*τυπτ-ε, η, οι-τον; ε-τυψ-α, η, αι-τον*), nec vero in Modi veluti Coniunctivi aliquo themate, quod nullum est, temporum varietatem exprimunt. Secus hebraica lingua, quam

etiam magis quam adhuc factum est evinci posse videtur certorum Temporum verbi notationibus carere, quaeque habet his quodammodo similia longe alia ratione assequi.

In promptu esse diximus, quem supra Modum reperimus duplicem, quo mens in coniungendis Praedicatis cum Subiectis uteretur, eius plane expressam vim esse in lingua iis, quos in verbis Modos appellamus. Id iam amplius persequendum est.

Cavendum est autem primum, ne numerus fallat utrorumque Modorum impar qui esse videtur; si quidem alteros duos deprehendimus, *obiectivum* et *subiectivum*, alteros plures numerant, plerique Indicativum, Imperativum, Coniunctivum, ad hos in graeca lingua Optativum. Et hoc quidem coniectura assequi licet, causam huius diversitatis posse in eo esse, quod genera illa Modorum bina lingua in formas quasdam discreta habeat. Sed multo magis quaeri oportet, possintne in ipsius mentis ea, quam instituit rerum actionumque rerum sive imaginum utrarumque suarum, coniunctione formae variae agnosci modorum coniungendi. Sunt vero eae faciles agnitu probe attendenti, patetque facile cum ipsis causa varietatis.

Etenim natura *obiectivus modus* simplex est, *subiectivus* duplex. Nam quum ille eam, quae reapse est, rerum coniunctionem referat, quoniam ipsum hoc reapse coniunctum esse ita simplex est, ut variari nequeat, consentaneum est, etiam imitationem, qua eam rerum coniunctionem mens sibi exprimit suis imaginibus rerum similiter coniungendis, simplicem esse, hoc est, ipsum *modum obiectivum* quem diximus simplicem esse. Secus *subiectivus modus*: quo quum ponatur et fingatur arbitrio mentis coniunctio rerum, duplex exsistit eius modi forma eo, quod duplex est mentis fingendae eius coniunctionis facultas. Potest enim mens tum *opinando*, tum *appetendo* fingere coniuncta, quae reapse aut non sint coniuncta, aut sintne coniuncta necne ab ipsa non curetur. Itaque quum cadat in arborem revirescere, primum simpliciter *obiectivo modo* mens hoc ad illam referre potest, ubi perceptam eam, quae reapse est redeuntis viriditatis coniunctio cum arbore, imaginibus suis repraesentat, ut esse reapse sentiat arborem, sive unam aliquam sive omnem virescentem: deinde *subiectivo modo* ad arborem vel non virescentem reapse, vel quam virescere nesciat aut omittat, suo fingendi arbitrio viriditatis reditum referre potest dupliciter, ut coniunctionem viriditatis cum ar-

bere aut sumat aut appetat, hoc est, aut opinetur sponte sua esse arborem virescentem, aut velit et cupiat ut sit revirescens. Quas formas duas modi *subiectivi* nominare placet alteram *opinativam*, alteram *appetitivam*.

Ad hos igitur modos, quibus mens utitur in imaginibus suis rerum coniungendis, referendum esse arbitramur quidquid lingua in verbis habet Modorum, quibus varias illas mentis coniunctiones assequatur. Et *obiectivum* quidem *modum* omnino exprimit Indicativus, quo qui utitur se sentire significat, cum Subiecto quodam Praedicatum quoddam reapse coniunctum esse; reliqui autem, quos Modos dicimus verborum, omnes *subiectivo* generi subiiciendi sunt, quippe quibus, non quam reapse esse sentiat, sed quam aut opinetur aut velit esse mens Praedicatorum cum Subiectis coniunctionem, declarari manifestum est. Et Imperativus quidem non dubium est quin ad formam referendus sit *appetitivam*: nam qui iubet aliquid fieri, petere significat mentem suam et velle, ut cum Subiecto quodam coniunctum sit Praedicatum quoddam: veluti praestigiator Modo imperativo revirescere iubens arborem se velle dicit coniunctum cum Subiecto arboris revirescendi Praedicatum. Implicatior Coniunctivi ratio est: quem quum usus arguat utrique formae subiectivae addictum esse, ut et opinatam et appetitam rerum coniunctionem indicare possit (ὅταν ἔλθῃ, ἔλθωμεν), quaerere cogimur, qui fiat ut unus duplicem hanc vim contineat, et, si alteram ex altera ortam esse probetur, utra prior exstitisse, quoque fere modo ea deflexisse videatur ad alium usum; tum accedit de Optativo graeco quaestio, cuius non tantum duplex pariter ac Coniunctivi vis spectanda, sed etiam discrimen explicandum est, quo differat ipse a Coniunctivo. Denique quum vim appetitivam Coniunctivo et Optativo cum Imperativo communem esse pateat, illi non tantum quid inter se, sed etiam ab Imperativo quid uterque differat, videndum est. Haec igitur, postquam natura Modi patefacta et genera constituta sunt et discretae alterius generis formae, deinceps explicanda erunt, quo omnis haec de Modis doctrina firmioribus possit fundamentis superstrui.

CAPUT SECUNDUM.

Sed subsistendum hoc loco est paullisper. Cogit enim metus, ne temere meliorum auctoritatem deseruisse videamur, ut paucis memoremus, quid haec ratio praestare videatur iis, quae adhuc plerisque probatae sunt. Commendari enim videtur primum eo, quod simpliciter et plane originem naturamque ipsam Modi declarat: deinde quod partes Modi facit convenienter naturae et apte ad usum: denique quod singulorum item vim Modorum ita vel definit, vel definiendi viam aperit, ut varii cuiusque usus explicatio facilius procedat. In his enim rebus nescio an laborent partim incommodis quibusdam ipsae praecipuae quae hodie sunt de Modis sententiae: quarum una est Godofredi Hermanni, altera eorum, qui nuper germanicae linguae praecepta accuratius explicare instituerunt.

De Hermanni V. Ill. ratione disputare vetaret verecundia, nisi ipsum scirem hoc non tantum non aegre ferre, sed etiam velle et postulare, ut ubicunque aliquo modo veritatis causa agatur, libere a discipulis suis vel ipsius contra sententiam dicatur: praeterea vero confirmat animum, quod, si quas forte huius de Modis loci particulas paullo melius constituisse videamur, omnino illum ducem secutis id nobis contigisse fatendum est, cuius quidem etiam in obiectivo genere Modorum et subiectivo discernendo nos vestigiis institisse infra memorabimus.

In illius igitur ratione, quem primum in hac disciplina caliginem dispulisse constat, sane insigne quoddam lumen veritatis elucet. Qui quum ea, qua Imm. Kantius philosophiam illustraverat, luce suo iudicio grammaticae graecae potissimum adhibita, Modi grammatici, qui est in pronuntiatis, fere eandem vim esse censuisset atque Modi logici, quem in cogitatis sive iudicatis statuunt philosophi, ut iis indicari vellet, utrum aliquid vere fieret, an fieri posset, an denique fieri deberet: verissimum sane est, quidquid quocunque Modo grammatice pronuntietur, referri ad logicum illum Modum eiusque generibus variis subiici posse. At omnino Modum alterum alteri respondere, grammaticique Modi hoc ipsum munus adeoque vim propriam esse, ut triplicem illam iudicandi rationem dicendo exprimat, denique singulos Modos ita definiendos esse, ut logicum *assertorium* grammaticus exprimat *indicativus*, *problematicum coniunctivus*, *apodicticum imperativus:* haec num recte

aut satis accurate praecepta sint, merito dubitari videtur. Et illud quidem, quod multos unum maxime offendit, facilius est expeditu, quod illa definitione, qua Indicativo quae vere fiant, Coniunctivo et Optativo quae possint fieri, Imperativo quae debeant fieri, indicari definitur, his Modis potestas tribuatur absolutae significandae veritatis, possibilitatis, necessitatis, si quidem *quae vere fiant* itemque *quae possint fieri* ea intelligenda sint, quae per se vel vere fiant vel possint fieri: nec vero consentaneum esse, ista verbi declinatione, quem Modum dicimus, absolutas illas actionum rationes indicari posse, sed certe relatas ad mentem intellectumque sive ad Subiectum. Haec igitur offensio facile tollitur aequitate interpretis. Videtur enim Hermannus brevius locutus illud ipsum intellexisse, quae quis sentiat, hoc est quae Subiectum sentiat vel intelligat, aut vere fieri aut posse aut debere fieri, Modis verbi indicari: confirmatque hanc interpretationem ipsa Modi logici comparatio, cui ille grammaticum fere respondere censet. Sed sunt alia, quae dubitationem moveant. Quaeritur enim, num usus, si accuratius eius rationem exploraveris, satis illam explicationem comprobet. In quo omittamus, quod quamquam incommodum accidit tamen argutius quam verius obiicitur, mire fieri, quod in iisdem pronuntiatis dispares Modi coniungi et tanquam coalescere videantur: veluti in *δέοι ἄν* logicum Modum necessitatis, grammaticum probabilitatis, in *δυνατόν ἐστι* logicum probabilitatis, grammaticum veritatis apparere: quae quamvis repugnare videantur, tamen conciliari possunt. Sed vere utrorumque Modorum dissimilitudo primum in eo cernitur, quod, quatenus sunt similes, logicorum vis latius patet, quam grammaticorum: tum vero etiam magis in eo, quod in grammaticorum Modorum potestate peculiaria quaedam occurrunt, quae certe repeti et explicari e triplici illo indicandi modo non possunt. Quorum illud facile arguitur, ubi reputatur, Modi logici in oratione multiplicem esse significationem aliam praeter illam declinationem verborum; veluti quae fit per ipsa verba *posse* et *debere*, quaeque similem vim habent dictiones plurimas; tum per adverbia *vere*, *fortasse*, *necessario* et similia. Atque de hac varietate, qua v. c. problematicum modum significare licet, ad ipsam hanc logicam possibilitatem indicandam perinde est, quacunque significatione utaris: nam nec quae magis aut minus, nec quae aliter atque aliter possibilia sint, in-

telliguntur, ipsam logicam possibilitatem si spectamus, sive ponimus: *fortasse* verum est, sive *potest* verum esse, sive, hoc sane verum *fuerit*. Ex quo intelligitur, Modi logici potestatem haud paullo latius patentem ac diversam esse a grammatico. Sed quum hoc, tum alterum quod supra discrimen memoravimus, maxime patet, ubi singulorum verbi Modorum potestatem accuratius cum logicis illis Modis contendimus. Et de Indicativo quidem nihil impedit, quominus fere κατηγορικῶς, *quod vere fiat*, eo indicari concedamus: quamquam accuratius dici putamus, *quod reapse esse*, sive *reapse ad aliquam rem pertinere intelligatur*. Diversitatem autem primum in Imperativo spectemus. Quo quum *necessitatem subiectivam* indicari docetur, recte sane *subiectivam* quandam rationem ei tribui in promptu est: nam proficiscitur, quidquid iubetur, ex arbitrio Subiecti: sed necessitatis, quae merito dicatur, significatio nescio an nulla insit. Nam qui iubet aliquid fieri, veluti ἄπιθι, is nec efficit ut necesse sit alterum abire, neque sibi videri dicit necesse esse ut abeat, siquidem diversa est mera opinio necessitatis ab imperio: sed omissa ipsa, quam recte dixeris, necessitate, quae non dicto imponitur, cui resisti potest, sed immutabili rerum natura continetur, nihil aliud quam vehementius et cum impetu quodam animi se velle declarat ut alter abeat. Qua re imperativa oratio si ad Modos illos logicos refertur, problematico potius quam apodictico subiicienda esse videtur, pari certe iure atque ad eum pertinere dicuntur φύγοι, φύγωμεν: nam imperata non minus quam optata et expetita nec in veris rebus nec in necessariis haberi possunt, sed de tribus istis generibus unice in eo, quo quae posse fieri sentias continentur; quae sane non idonea eius Modi fuerit definitio. Nomina autem verbalia, qualia sunt πρακτέον, *agendum*, omnino in Modis haberi non licere, supra monitum est. Aliis deinde incommodis Coniunctivi et Optativi explicatio laborat: quibus quum *possibilitatis* significandae munus datur, tantum omnino concedendum est, cadere in ea quae per Coniunctivum et Optativum dicuntur, ut sint aut habeantur possibilia: sed in ipsa possibilitate significanda veram et propriam vim eorum Modorum positam esse valde dubitamus. Primum enim nescio an in multiplici utriusque usu nullus sit, qui ad ipsam simpliciter possibilitatem indicandam pertineat: nam nec quum optamus ἴοιμεν, nec quum cohortamur ἴωμεν, simpliciter *posse* nos ire

significamus, sed aliud quiddam aut certe plus, *velle* nos ire: nec vero quum dicitur ἴοιμεν ἄν aut ὅταν ἴωμεν, sententia est *possumus* ire, quando *possumus* ire; sed utroque non possibilis simpliciter, sed quae opinione fingitur et sumitur itio nostra ita indicatur, ut in utroque conditionis, in altero etiam exspectationis significatio accedat: similiterque in reliquo utriusque Modi usu ipsius possibilitatis facti significationem frustra quaerimus, quamvis in omnia ea, quorum Coniunctivo et Optativo vel opinatio vel appetitio aliqua indicatur, manifesto cadat, non ut sint aut esse debeant, sed ut possint esse. Deinde vero quod accuratius utriusque Modi vis definitur divisa duplici possibilitatis ratione, ut Coniunctivus obiectivam, Optativus subiectivam significet, inde vereor ne nova accedat difficultas. Quum enim obiectivam possibilitatem eam intelligamus, cuius causa in rebus de quibus dicitur, sive in Obiectis, subiectivam eam, cuius causa in mente eius qui dicit, sive in Subiecto, posita sit: etiamsi Optativo quodam modo possibilitatis subiectivae significatio tribui posse videatur, in Coniunctivo certe obiectivae possibilitatis vim nullam deprehendimus. Veluti in simplicissimi usus exemplis ἴωμεν, πάρεσμεν ἵνα βουλευώμεθα, ut accipias possibilitatis rationem, nonne ea subiectiva potius quam obiectiva significata esse dicenda est? Quid enim magis subiectivum esse potest, quam consilium mente captum? Nam qui hortatur ἴωμεν, is prorsus hoc de animi sui sententia ac voluntate loquitur, causamque itionis, ad quam hortatur, in ipsa hac voluntate sua positam esse ita significat, ut de alia eundi causa in rerum conditione posita ne suspicandi quidem copiam faciat. Eademque plane ratio est alterius πάρεσμεν ἵνα βουλευώμεθα: quod quum hanc vim habeat, adsumus hoc consilio ut consultemus, non magis ullam significationem habet causae in rebus positae, cur consultari possit; sed si causam quaeris consilii, eam totam in mente et voluntate eorum positam esse intelligitur, qui consultaturi adesse dicuntur, quasi explices: quod adsumus, animi nostri hoc spectant et volunt, ut consultemus: quumque mentem ad consilia capienda sane causis et rationibus ad res aliquas pertinentibus duci consentaneum sit, earum rerum certe in isto Coniunctivo significatio nulla deprehenditur. Denique haud alienum videtur memorare, quam nos eius quam merito appelles necessitatis et possibilitatis tum obiectivae tum subiectivae in lingua significationem

esse existimemus. Etenim ipsam necessitatem pariter ac possibilitatem rerum dicendo non aliter nisi per verba, quae propriam sibi utriusque significandae potestatem habent, indicari putamus, qualia sunt *δεῖν, χρῆναι, ἀνάγκην εἶναι, δύνασθαι, δυνατὸν εἶναι, οἷόν τε εἶναι.* Quodsi obiectiva vel necessitatis vel possibilitatis ratio indicanda est, obiectivo Modo, quem supra in nostra Modorum explicatione diximus, illa verba ponuntur, *οἷόν τε ἐστιν, ἀνάγκη ἐστί,* quo intelligi significatur, reapse aliquid fieri vel posse vel necesse esse. Subiectivae autem rationi indicandae eadem illa verba inserviunt subiectivo, quem diximus, Modo posita; idque dupliciter, uti supra definivimus, ut necessitas et possibilitas aut opinatione Subiecti aut appetitione ad rem aliquam referantur: veluti *εἴθε οἷόν τε εἴη, μήποτ᾽ ἀνάγκη γένηται· οὐκ ἂν οἷόν τε εἴη, ὅταν ἀνάγκη ᾖ,* quorum in illis, quam Subiectum vel velit vel nolit, in his, quam idem vel opinetur vel non opinetur esse aut fore possibilitatem et necessitatem indicatas videmus.

Hermanni doctrinam de principibus viris, qui de grammatica philosophati sunt, certe in maioribus rebus secuti sunt *C. Reisigius* et *G. Bernhardy:* qui sane suo uterque modo haud pauca mutarunt atque aliter explicuerunt: sed eo meliorem eos illam doctrinam effecisse aut ita munivisse, ut quas exposuimus dubitationes reiectae videantur, non ausim equidem dicere. Reisigii de Modis praecepta iam accuratius quam e commentatione de *ἄν* particulae vi et usu cognoscere licet ex eius Praelectionibus de grammatica latina nuper a F. Haasio editis §. 293 sqq.: in quibus de multiplici possibilitatis significatione multa subtiliter disputavit: sed quum in nonnullis simplicitatem desideres, tum maxime dubites, quas subtiliter distinxit dicendi formas, eas an non recte ad ipsam possibilitatem retulerit ex eiusque potissimum ratione explicare conatus sit. Quodsi comparas, quae in eodem libro §. 13. de dicendi forma obiectiva et subiectiva monuit, mireris ei non in mentem venisse, quae possibilia appellavit, omnia ad ipsam subiectivam formam pertinere, omninoque omnem Modorum vim ac varietatem ad illam duplicem dicendi formam, obiectivam et subiectivam, referendam esse: verum nimia videtur Categoriarum illarum admiratione captus fuisse.

Paullo magis ab Hermanni ratione discessit *G. Bernhardy*, sed ut tamen easdem Categorias illas partim retinue-

tit. Vult enim et ipse hanc Modorum vim esse, ut iis aut vere aliquid fieri, aut posse fieri significetur, sed utrumque dupliciter: nam quae vel vere fieri vel posse fieri intelligendum sit, ea aut simpliciter sive absolute, aut per conditionem aliquam sive hypothetice talia esse significari: fieri autem absolutae veritatis significationem per Indicativum, hypotheticae per Indicativum cum ἄν part. coniunctum, tum possibilitatis absolutae per Optativum, hypotheticae per Coniunctivum. Imperativo vero paullo variatam contineri docet vim Indicativi, ita ut haec ad Subiectum referatur; nam esse eum dicit *eine subjective Modification des Indicativs*. In hac Modorum definitione ac descriptione, quam in Arte syntactica linguae graecae praemisit ei loco quo de Modis disseruit, ut omittamus quae supra contra omnem possibilitatis Modum disputavimus, etiam alia quaedam offendunt, quae nonnihil erratum esse arguere videntur. Primum enim incredibilem vir summus linguae graecae inconstantiam tribuit in indicanda forma Modorum hypothetica. Nam quo pacto credas, eos, qui primi rationem linguae verbis formisque verborum exprimere instituerunt, si absolutam et veritatem et possibilitatem factorum ab hypothetica discernere vellent, quum veritatem hypotheticam particula hypothetica ἄν addita ad simplicis veritatis significationem indicassent, in possibilitate hypothetica indicanda non eandem viam secuturos fuisse? Nam ita certe constaret ratio, si, quemadmodum Indicativus simplex simplicem veritatem et Optativus simplicem possibilitatem, ita auctus uterque Modus addita hypothetica particula ἄν alter veritatem, alter possibilitatem hypotheticam indicaret: sed possibilitatem hypotheticam peculiari forma verbi expressam esse, quum proclive esset simplicis possibilitatis formae ἄν particulam addere, sicuti in altero Modo factum est, id nimis improbabile videtur. Accedit quod, quum Optativo ἄν particula addi possit, verendum videtur, ne confusio exsistat utriusque possibilitatis significationis. Nam si Optativus absolutam, Coniunctivus hypotheticam possibilitatem significabit, coniunctus Optativus cum hypothetica particula quid aliud quam et ipse hypotheticam possibilitatem indicabit? Coniunctivus autem eadem particula auctus duplicatam habuerit vim hypotheticam. Ex his igitur, quae minime argutanti sponte occurrunt incommoda vel ante quam usum accuratius exploraveris, satis patere videtur, illam non veram esse Optativi et Coniun-

ctivi definitionem. Sed non magis de Imperativo sententia placet. In qua primum offendit, quod Imperativum haud paullo minus, quam Optativum et Coniunctivum, distare indicat vir cel. ab Indicativo: nam illos genere ab hoc differre censet, Imperativo autem variari tantum vim Indicativi, ut eius veluti pars quaedam sit aut forma. At qui tandem imperando sive iubendo veritas actionis variari dici potest? Id enim ut posset fieri, primum in iubentis oratione id oportebat inesse, ut ea vere aliquid fieri indicaretur, deinde demum, quo haec simplex vis variaretur, accedere hoc alterum, ut non omnino, sed singulari quodam modo vere aliquid fieri indicaretur. Atqui quum iubetur, non indicatur illud ipsum, vere aliquid fieri: valde enim diversa sunt iussa fieri a factis. Ergo nec variari iubendo dici potest veritas actionis, cuius omnino nulla fit iubendo significatio, hoc est, Imperativo non potest variari dici vis Indicativi, nec subiectivo nec alio modo ullo. Quodsi vir summus hoc sensit, non tam veritatem actionis, quam tribuit Indicativo, quam ipsam simpliciter notionem actionis vel eius declarationem variari Imperativo, hoc sane verum est: sed huiusmodi varietatem omnibus, qui appellantur, Modis indicari intelligendum est, ut simplex notio verbi, qualis expers Modi in Infinitivo apparet, Modo vel indicativo vel coniunctivo vel imperativo declarari possit. Denique quum variatae veritatis significationem in Imperativo non inesse ostendisse videamur, illud recte intellectum putamus, subiectivam quandam eius rationem esse: sed quum deinceps accuratius explicatum sit, voluntatem Subiecti ut aliquid fiat Imperativo declarari, nolles omissum quod cum illo coniunctum est, pariter Coniunctivo et Optativo non minus voluntatem quam opinionem indicari. Quod autem vir summus, *vere* ut aliquid fiat Subiectum velle, Imperativo indicari dicit, illud *vere* nescio an omittendum fuerit: aut, opinor, etiam Coniunctivo, ubi hortantis, et Optativo, ubi optantis est, adeoque ei Coniunctivi usui, quum exspectationem indicat rei futurae, eadem vis tribuenda fuerit. Nam qui dicit *ἀλλ' ἴομεν*, aut qui *ὑμῖν θεοὶ δοῖεν*, neuter indicat, velle se quidem ut eatur aut ut dii faxint, sed non vere ut eatur aut vere ut dii faxint. At enim ut his veritas nec itionis nec deorum effectionis ulla indicari videtur, ita etiam, si comparas *ὅταν ἔλθῃ* et *ἐλθέτω*, verus adventus neutro significatur, nec altero magis quam altero, sed qui in utroque fingitur mente

futuri adventus, altero cum exspectationis, altero cum voluntatis significatione declaratur.

Adhuc demonstrare conati sumus, illam Modorum definitionem, quae verbi Modis expressos in lingua esse definit Modos illos logicos, quibus, quidquid mente indicatur, id aut vere esse aut posse esse aut debere esse intelligatur, sane incommodis quibusdam laborare, quae ipsam linguae rationi non satis consentaneam esse arguant. Quod quum iam pridem nobis persuasum esset, accuratius inquirentes eam ipsam rationem invenimus, cuius supra Cap. I. initia explicata sunt. Viam autem ipse monstrabat G. Hermannus. Qui quum in hac doctrina obiectivam et subiectivam rationem et possibilitatis et necessitatis discernendam esse docuisset, quamquam Coniunctivo obiectivam rationem ullam indicari non probabat, certe Optativo et Imperativo rectissime praecepisse videbatur subiectivam quandam rationem declarari: ex quo facillimum erat intelligere et dissimilitudinem Indicativi, qui unus Modus esset obiectivus, et similitudinem cum illis Coniunctivi. Tum vero id, quod nobis in hac re verum esse videtur, idem ille planissime videbatur indicasse praecepto illo uno in grammatica graeca gravissimo de negandi particulis οὐ et μή, altera obiective, altera subiective negari. Quippe hoc totum *modale*, ut aiunt, discrimen est, hoc est, ad ipsos illos, quos supra in Verbis apparere defendimus, dicendi *modos* pertinet: ut, ubicunque cum Subiectis reapse non coniuncta esse Praedicata intelligitur, obiectivae negationis significatio fiat per οὐ particulam, ubi vero quae fingitur mente non esse Praedicatorum cum Subiectis coniunctio intelligitur, sive ea voluntate mentis sive opinione ficta sit, subiectiva negatio per μή particulam indicetur. Atque hac ratione perspecta nescio an utrique loco, et ei qui est de Modis verbi et alteri de negandi particulis, haud parum lucis affundatur. De qua re sententiam nostram accuratius alio loco explicabimus. Hoc loco, ne apud nonnullos paucis re indicata in temeritatis reprehensionem incurramus, qui rem manifestam omiserimus, οὐ obiectivam negationem etiam cum Coniunctivo et Optativo, quos nos subiectivos Modos, et μή subiectivam particulam cum Indicativo, quem nos obiectivum Modum esse velimus, componi solere; qua re satis argui, diversum negandi modum nihil ad verbi Modorum diversitatem pertinere: huic igitur reprehensioni ut occurramus, etiam hoc loco discrimen

quoddam notandum esse putamus, quo neglecto omnem huic locum obscuritate laborare necesse est.

Etenim potest Modus non tantum simplex uterque in oratione adhiberi, sed etiam duplex: quod discrimen quam nec in affirmativa oratione nullum esse credamus, in negativa ut agnoscatur, opportune tantum non cogit graeci sermonis in discernendo negationis modo subtilitas, quam nostro certe in nonnullis dicendi generibus assequi licet. Simplex in negativa oratione Modus est, ubicunque cum verbi Modo convenit Modus negationis, ut uterque aut obiectivus sit aut subiectivus: quo in genere negatio arctissime coniungenda cum verbo est, cuius Modo ipsa accommodatur. Talia sunt: ἡ πολυκοιρανίη οὐκ ἔστιν ἀγαθόν: μὴ ποίει, tu ne sis faciens, μὴ γένοιτο, μὴ ποιήσῃς, μὴ ποιῶμεν. Alterum genus est, in quo duplex Modus occurrit, ut aut ad verbi Modum obiectivum negatio accedat subiectiva, aut negatio obiectiva ad verbi Modum accedat subiectivum: veluti in his: ἆρα μὴ δοκεῖς; τοῦτ᾽ οὐκ ἂν ἀληθὲς εἴη. Ea vero discrepantia tantum abest, ut nostram de vera vi verbi Modorum labefactet, ut confirmare videri debeat discrimina subtiliter expendenti. Etenim in his Modus duplex apparet, quoniam revera tota oratio duplex est, quippe e duabus partibus illa, quarum suum utraque Modum habitura erat, in unam confusa, in qua tamen vel sic Modi significationi et ei quae in verbo, et ei quae in particula negativa inest, sua utrique vis manet. Exemplo sint: ἆρα μὴ δοκεῖς; μὴ σύ γε τοῦτο ποιήσεις; Haec enim ut efficiatur oratio, inter duos dicendi modos patet ambigi, utrum subiectivo modo vetetur illud fieri, μὴ δόκει, μὴ ποιήσῃς, *glaube, thue ja nicht*; an obiectivo modo, tamquam occupata alterius voluntate fidenter dicatur reapse non factum iri, οὐ δοκεῖς, οὐ ποιήσεις, *das wirst du nicht thun*: qua utraque ratione facillime coniuncta aut potius confusa aptissime temperata oritur oratio ista: μὴ δοκεῖς, μὴ ποιήσεις, cui ex asse respondet nostra haec: *du glaubst doch ja nicht etwa, das wirst du doch bei Leibe nicht thun*: quam et sentire varietatem et invenire brevitatem optima magistra docuisse videtur natura. Eandem vero in affirmativa oratione duplicis coniuncti Modi vim esse in paucis sentire licet, veluti ubi comparas *das wirst du thun* et *das wirst du doch ja thun*. Tum in altera, quam supra memoravimus, coniunctione οὐ particulae cum Optativo adiuncta ἂν particula

similiter demonstrari posse arbitramur, negationem obiectivam verbi Modo subiectivo minime repugnare: quippe haec a mente cum hoc ipso non coniungitur, sed etiam seiungitur ab eo, quamquam ea seiunctio, nisi diligenter attendas, minus sentitur. Etenim accuratius rem si expendas, in omni hoc genere usitatissimo negationem non ad copulam subiectivo Modo positam, sed ad ipsum praedicatum, quod obiectivo Modo accipiendum est, pertinere reperitur. Nam *τοῦτ᾽ οὐκ ἂν ἀληθὲς εἴη* hanc vim habet: *τοῦτο — εἴη ἂν — οὐκ ἀληθές*, h. e. *τοιοῦτον οἷον οὐκ ἔστιν ἀληθές*, sive *ἐν τοῖς ἃ οὐκ ἔστιν ἀληθῆ*; aut ut etiam explicatius dicamus: *in hac — mea opinione cadit — reapse non verum esse.* Sed hoc loco tantum monuisse satis habemus. Quamquam, quoniam ad hunc de negatione locum delati sumus, hoc unum adiicere operae pretium videtur, non placere, quod C. F. Beckerus, vir sagacissimus, in uberiore grammatica quam scripsit linguae germanicae Tom. I. §. 11. negatione omnino unum de duobus quae sint Modorum generibus contineri voluit: statuit enim, duplicem omnino eorum quae fieri intelligatur Modum esse, ut aut vere ea fieri aut non vere fieri dicantur: alterius autem Modi praeter ipsam simplicem negationem duas esse formas, possibilitatem et necessitatem, ut, quae non vere fiant, ea aut posse fieri aut debere fieri dicantur. Qua in ratione quum alia quaedam minus recte constituta videantur, tum in promptu est, quocunque quidque Modo dicatur, aut affirmari aut negari posse: ex quo apparet, negationem non licere ipsius Modi genus quoddam haberi, quae quidem non est Modus, sed comitari varios potest Modos. Nobis omnis negandi ratio et causa repetenda esse videtur ex comparandi et opponendi facultate, qua mens iis, quae vel esse intelligit vel fingit esse, diversa et contraria percipere potest. Ac similiter idem vir doctus cum aliis errasse nobis videtur, quum orationem interrogativam possibilitatis Modo subiiciendam esse censuit, in eodem libro Tom. II. p. 2. Patet enim, in interrogatione omnibus fere Modis ac formis Modorum locum esse excepto iubendi et imperandi Modo. *Ἆρ᾽ ἐν καιρῷ παρεγένοντο; ἆρ᾽ ἂν ἐν καιρῷ παραγένοιντο; ἆρα καὶ ἡμεῖς παραγενώμεθα;* Scilicet interrogatio nihil nisi imperfecta cuiuscunque fere Modi et Temporis oratio est, cuius quam partem is qui interrogat aut omisit aut non definivit, eam aut apponi sibi aut definiri velit ab altero, quem interro-

gat. Etenim aut omissa ab interrogante est totius sententiae vel affirmatio vel negatio, quae ipsa ex altero petitur, veluti in hoc: Salvusne rex est? id quod ipsum nec affirmatum nec negatum est, sed exspectatur demum aut affirmatum aut negatum iri ab altero. Aut una aliqua notio totius sententiae ab interrogante non definita est, cuius ex altero definitio petitur, veluti: Unde venis? in quo indefinita est loci significatio, a quo veniatur, quam definiturus sit alter. Denique, quod interrogatione non verum, sed *possibile iudicium* contineri voluit, nobis iudicium omnino nullum inesse videtur, certe in ea, cui omnino et affirmatio et negatio deest, sine quibus iudicium esse non potest.

Sed ut in viam redeamus, quum G. Hermanni maxime de negandi modis praecepta iam pridem nos ad hanc de verbi Modis sententiam adduxissent, sero ac nuper demum novam eorum doctrinam cognoscere coepimus, qui maxime germanicae linguae legibus explorandis operam suam impertiverunt: de qua etiam quid sentiamus explicandum est. De his quum *I. Grimmius*, vir illustris, fere in G. Hermanni auctoritate acquieverit, magna cum diligentia hunc locum pertractarunt *G. H. A. Herlingius* et *C. F. Beckerus*, quos deinceps alii aliter et nonnulli suo iudicio secuti esse videntur, in his *R. Kuehnerus* maxime Beckerum. Nos quum utrique viro etiam hanc partem grammaticae post G. Hermannum plurimum debere existimemus, a simplicitate magis commendari putamus Herlingii rationem. Intelleximus autem, multis sane in rebus ab utriusque sententia nostram parum abesse, sed tamen tantum, ut eam cum hominibus doctis communicare operae pretium duceremus: veremur enim, ne in ea et simplicior sit naturae Modi declaratio, et commodior ac verior formarum Modi partitio, quam quidem utramque suppeditabat Hermanni doctrina.

Discrimen autem huius, de qua iam quaerimus, rationis maxime in eo versatur, quod illi viri omissis fere Modis logicis, e quibus G. Hermannus Modi grammatici explicationem repetendam putavit, hoc grammatico Modo sententiam, quae quoque pronuntiato ederetur, varie referri docuerunt ad varias animi facultates.

Hoc vero constituto plurimum interesse intelligitur, quot numero et quae facultates discernantur. Quod si tres illae, quae plerumque probantur, accipiuntur, una sentiendi, quae ad

monstrans diversam esse animi affectionem eius, qui rerum vi iucundarum iniucundarumve suaviter aut aspere movetur, ab agitationibus animi iis, quum vel in vero quaerendo aut discendo mens versatur, vel appetitus ad potienda fertur ea quae bona videntur, mala fugiens. Nec sensum putamus propterea licere idem esse dicere ac cogitationem et appetitionem, quod cum his plerumque coniunctus reperiatur, ut iucundus motus cogitationem rei bonae sequi et comitari, appetitionem rei bonae gignere et excitare soleat: nam nec coniuncta quaeque eadem sunt genere, et coniunctio voluptatis cum cogitatione rei bonae nec necessaria est, et quae est talis est, ut quamvis parvo intervallo post cogitationem exsistat voluptas; pariterque voluptas cum appetitu nec necessario est coniuncta, et quum est coniuncta, antecedens voluptas saepe diu sola movetur, donec auctam sequatur appetitus. Nobis igitur quum merito triplex illa animi facultas statui videatur, aliud occurrit quod ex eo colligamus, quod nulla ad sentiendi facultatem per Modos verbi fit relatio. Etenim magna movetur dubitatio, an minus recta sit omnis illa definitio Modi, qua is simpliciter relationem pronuntiatorum ad summas animi facultates indicare dicitur: quae si recta esset, pariter atque ad intelligendi et appetendi facultates etiam ad hanc sentiendi facultatem, quae non minus de summis animi facultatibus esse videtur, per singularem aliquem Modum relationem aut indicari aut certe posse indicari oportebat. Quodsi tamen ad sentiendi facultatem nullus pertinet Modus verbi, alterae vero duae animi facultates habent qui ad ipsas referantur Modos, consentaneum esse putamus, ad has non simpliciter eo, quod sint animi facultates, Modum verbi referri, sed singularem quandam causam esse, quaeque sentiendi facultatem ex hoc Modorum usu excludat. Talem vero nostra, quam supra posuimus, naturae Modorum explicatio afferre videtur omnino idoneam. Etenim quum Modos duos discreverimus, unum obiectivum, alterum subiectivum, quorum ille eam quae reapse sit, hic eam quae mente fingatur, Praedicatorum cum Subiectis coniunctionem exprimat: facile patet, in neutro sentiendi facultatis partes ullas esse. Nam primum in obiectivo Modo, quum ea quae reapse est Praedicatorum cum Subiectis coniunctio mente repraesentata exprimitur, nihil omnino est quod ad iucundi et iniucundi sensum ullo pacto pertineat, quoniam ipsa illa, quam unice reapse

esse intelligitur, coniunctio omnis expers est iucunditatis et iniucunditatis. Tum vero in subiectivo Modo, quum sua vi mens fingit Praedicatorum cum Subiectis coniunctionem, eas tantum animi facultates munere suo fungi apparet, quarum est fingendi vis quaedam et potestas: qualis quum nulla sit in sentiendi illa facultate, quae tota in percipienda iucunditate rerum et iniucunditate versatur, certum est, eius facultatis nec in subiectivo Modo partes ullas esse.

Venimus tandem ad *Beckeri* et *Herlingii* sententias.

Beckerus in grammatica germanica maiore paullo mutavit sententiam, quam in praeclaro libro, quo de caussis linguae omnique eius ratione atque institutione explicuit — inscripsit *Organism der Sprache* etc. —, decem fere annis ante proposuerat. Ibi enim §. 114. docuerat, Modum, cuius ope Praedicatum varie poneretur, omnino duplicem esse: unum, quo Praedicatum vere esse, alterum, quo id in mente et cogitatione versari indicaretur. Ac vere esse rem praedicatam Indicativo indicari, quo quamquam et ipso cogitata referrentur, certe discrimen omitti veri et cogitati: ceteros vero qui dicuntur Modos, Coniunctivum, Optativum, Imperativum, formas alterius esse Modi, quo quidem Praedicatum, sive per se verum esset sive totum in cogitatione positum, ita proponeretur, ut certe videretur tantum in mente et cogitatione positum esse. Huius autem Modi hanc esse varietatem, ut quae mente cogitarentur Praedicata, ea aut possibilia aut necessaria esse intelligeretur, et possibilitatem Coniunctivo et Optativo, necessitatem Imperativo indicari. Hanc rationem omnem fere non differre patet ab Hermanniana, nisi quod possibilitatis et necessitatis Modi uni generi subiecti sunt, in quo tamen offendit, quod Imperativo significatio tributa est necessitatis mente *cogitatae*, quod improbandum esse supra arguimus. Aliter igitur eundem locum idem vir doctus explicuit in grammatica maiore, maxime §. 11. 95. 210. 223 sq. In qua disputatione primum haec diversitas occurrit, quod a ceteris Modorum formis, Indicativo, Coniunctivo, Imperativo, discretus est ut peculiaris Modus *Conditionalis* (§. 95.) omisso Optativo, cuius vim partim Conditionali, partim Coniunctivo subiectam voluisse videtur: deinde maior haec, quod genera Modorum, quae iterum duo facit, longe aliter constituta sunt; nam quos antea Modos uno genere complexus, Coniunctivum, Optativum, Imperativum, adversos po-

nuerat Indicativo, eos iam ita discrevit, ut Coniunctivum itemque Conditionalem eidem cum Indicativo generi subiecerit, in altero genere, quod *morale* dixit — illud *logicum* —, posuerit Imperativum et optandi formam. Omittamus hoc loco Conditionalem, quo nomine quem appellant satis demonstrari posse credimus nihil nisi singularem usum esse Coniunctivi Praeteriti. Plurimum autem interest de partitionis mutatione illa ut accuratius videamus, ex qua haud paullo de natura Modi virum doctissimum sententiam mutasse colligas. Et mutavit sane, sed ita, ut eum aliquot locis inter duplicem rationem ambigere videas. Mutavit eo, quod naturam Modi iam ex alio fonte derivavit, non amplius ex lege illa, qua, quidquid dicatur, id aut vere esse aut posse esse aut debere esse cogitetur; sed ex diversitate mentis facultatum, quarum ope coniunctio instituatur Praedicatorum cum Subiectis. Verum hanc quum iam tueatur sententiam, maxime §. 210. et 222, tamen quodam modo retinere studuit priorem definitionem: veluti paullo ante, §. 95, initio Modos eas verbi formas esse definivit, quibus, Praedicatum verene esset an posset esse an esse deberet, indicaretur. Est autem, si mittimus quae de latiore Modi significatione exposuit §. 11, summa eius doctrina fere haec: Mens quum Praedicata cum Subiectis coniungat, singulae ut inde sententiae nascantur, effici id aut intelligendi, aut appetendi facultate. Quo quum duplex exsistat sententiarum genus, huic duplex respondere pronuntiatorum genus, atque huic indicando et distinguendo inventos esse Modos verborum. Itaque duo esse genera Modorum: unum quo indicetur, intelligendi facultate in unum coniunctum esse Praedicatum cum Subiecto, sive intelligi ac indicari Praedicatum cum Subiecto coniunctum esse; alterum quo indicetur, appetendi facultate eam coniunctionem effectam esse: illud genus merito *logicum* appellari, hoc *morale* esse. Deinde *logici* generis tres esse formas discernendas: quae quum mentis indicata contineantur, ea primum aut talia esse, quae ab eo qui loquatur vere esse indicentur, aut talia, quae ab eo posse fieri indicentur, quorum illa Indicativo, haec Coniunctivo indicari; sed accedere tertiam formam Conditionalem, quo significetur, quae quis non esse intelligat, ea sumi [illegible] eo quodammodo vere fieri posse (§. 95). Alterius autem [illegible]ris *moralis*, quod non ad mentis indicata, sed ad ani[illegible]tita pertineat, ut quae velit animus vere esse signi-

ficet, unam formam esse praecipuam Imperativum; sed ad hanc accedere varium usum Coniunctivi et graeca in lingua Optativi, qui optandi, hortandi, rogandi vim habeat.

Cum hac igitur ratione ubi nostram contendimus, non latet similitudo: sed maxime quae nostra habet dissimilia, defendenda sunt. Proficiscamur autem a partitionis discrepantia, cuius in causam ubi inquiremus accuratius, facillime utra melior sit sententia patebit. Nostra partitio, alia sane ratione, fere ita Indicativum secernit a ceteris Modis, uti adhuc plerique solent, qui illum Modum rectum, hos obliquos appellant: quae quamquam obscurior est discriminis significatio et non satis apta, tamen hoc recte indicare videtur, ab Indicativo ceteros Modos genere diversos esse; id quod nostra demonstratio planius fecisse videtur quo pacto fiat, discreto obiectivo genere a subiectivo. Quodsi Beckerus relicta simili, quam antea in libro *Organism* cet. commendaverat, sententia nuper Indicativum cum Coniunctivo itemque Optativo et, quem adiunxit, Conditionali uno genere comprehendendum esse censuit, alterius autem generis potissimum fecit Imperativum Modum, secundum hunc ex parte Coniunctivum et Optativum: primum mirum quantum offendit duplex ista Coniunctivi et Optativi in duobus generibus collocatio, quorum ipse professus est manifestam esse diversitatem. Quae offensio quum ultro suspicionem moveat alicuius erroris, quoniam vix credibile est ausam esse linguam temere miscere, quae ipsa accurate discrevisset diversa omnino genera: haec suspicio nescio an confirmetur, ubi accuratius exploraveris, num recte vir praestantissimus et secundum naturam omnem illum Modum *logicum* eiusque partes Indicativum et Coniunctivum constituerit. Retulit Modum logicum omnem §. 95. ad intelligendi facultatem ita, ut Indicativo declarari velit quae vere esse iudicentur, Coniunctivo quae posse esse iudicentur ab eo qui loquatur. Nos quum logici illius iudicatorum Modi comparationem supra vicerimus in hac disputatione admodum fallacem esse; quae quidem adeo, quod imperaretur, simpliciter iudicari necesse esse persuadere conata sit: primum rogamus, ut mittere interea liceat quam fere varietatem ponunt iudicii logici. Deinde simplicius praeceptum illud sic complectimur: qui Indicativo modo loquatur, eum se intel[illegible], dicere vere rem esse, qui Coniunctivo, se intelligere poss[illegible] esse. Sed in hac definitione iam perspici velimus, spe[illegible] quidam

similitudinis induta esse, quae revera sint disparia. Etenim Indicativo refertur, quod reapse est sive reapse esse intelligitur, Coniunctivo, quo nomine iam simul Optativum graecum complectimur, declaratur, quod mente fingitur esse vel sumitur: quae adeo diversa ratio est, ut uni utramque generi subiicere certe non liceat. Id autem facillime patebit, si, quam in hac re vim habeat totum istud intelligere, accuratius consideraveris. Etenim quodam modo sane omnia, quaecunque pronuntiantur, intelligi et sentiri dicenda sunt, ita ut eorum, quamquam nonnunquam obscurius, nobis conscii simus: atque hoc modo etiam quae optantur et petuntur aut aliquo modo finguntur, ad intellectum pertinent, si quidem nec λάβε, nec λάβωμεν, nec λάβοιμεν, nec λάβοιμεν ἄν aliter dicuntur, nisi ut intellectus quidam sit earum rerum in mente eius, qui eas verbis edit. Verum quum hac intelligendi ratione haec quae modo posuimus nihil differant ab indicativa oratione λαμβάνεις, ἔλαβε, in promptu est, alio modo dici orationem aliquam esse intelligentis. Scilicet quum in pronuntiatis Modus verbi ad intellectum referri dicitur, hoc sentitur, Praedicatorum cum Subiectis coniunctionem talem institutam esse, quam mens esse intellexerit, hoc est perceperit tamquam sibi obiectam. Atqui percipi quum omnino non possint, nisi quae reapse sunt, sive ea in solius mentis, sive etiam in corporis sensum cadant, nec coniunctio istiusmodi Praedicati cum Subiecto percipi ulla poterit alia, nisi quae reapse sit. Praeter perceptam autem hanc, quam mens reapse esse intellexerit rerum coniunctionem, non superest alia nisi ea, quam fingit mens arbitrio suo. Haec igitur ubi accuratius expendis, num dubium esse potest, quid statuendum sit de Beckeri sententia, Coniunctivo et Optativo ad intellectum relationem fieri ita, ut ii Modi eiusdem sint generis atque Indicativus, eoque uno diversi, quod hic verum iudicium, illi possibile iudicium indicent? Videlicet fefellisse videbitur virum doctissimum nimia, quam in hac disputatione dialecticorum praeceptis illis fidem habuerit. Quid enim? possibilia ista, quae ipse vult logice possibilia esse, hoc est talia, quae omissa ipsarum rerum conditione mente tua cogites fieri posse, ea nonne manifestum est non esse de eo genere, quod percipiatur ac reapse esse intelligatur, sed de eo quod fingatur esse arbitrio mentis? Aut, ut exemplo rem illustremus, quum dicitur ὁ θεὸς οὐκ ἂν ἁμαρτάνοι, utrum sentitur, intelligi hoc et

percipi tanquam rem menti extrinsecus obiectam, non posse deum errare, an qui isto modo utitur haud paullo diversa ratione significat, videri sibi deum expertem esse erroris, ita quidem, ut cum *dei* notione quae instituitur coniunctio Praedicati *errare* aut potius *non errare*, eam mentis arbitrio institui indicetur, denique ut ad τὸν θεόν de Subiecti opinione ac sententia illud ἀναμάρτητον εἶναι referatur? Atque hac ratione, quod modo posuimus, valde differt ab huiusmodi oratione ὁ θεὸς οὐχ οἷός τέ ἐστιν ἁμαρτάνειν sive τὸν θεὸν ἁμαρτάνειν ἀδύνατόν ἐστιν, in quibus ipsum illud *non posse errare* ita expressum est, ut id reapse in deum cadere tamquam perceptum esse indicetur. Verum his expositis quum satis demonstratum esse videatur, eum Modum, quo Beckerus possibile iudicium indicari censuit, ad genus *subiectivum* referendum esse disparemque omnino habendum Indicativo modo, qui est *obiectivus*: unum tantum superest, quod hoc loco nostrae sive defendendae sive commendandae sententiae causa admoneamus. Etenim quod supra suspectum in illius ratione esse diximus, quod eundem modum Coniunctivum partim ad intelligendi, partim ad appetendi facultatem traxisset, quo praeter naturam diversa genera miscuisse videbatur: concedimus sane diversum illum, qui in omnibus, quas nos novimus, linguis occurrit, usum; sed haud levem hanc Modi explicandi rationi commendationem accedere putamus, si eius diversitatis probabilem causam afferre possit. Talem vero quum in Beckeri ratione omnino desideremus, nostra facillime offerre videtur. Qua de re plura deinceps: hoc loco tantum monuisse satis habemus, nostra in ratione diversam illam vim Coniunctivi et Optativi certe non diversis generibus Modorum attribui, sed unius generis subiectivi variis formis: nam discreto genere obiectivo et subiectivo, facile in utroque et Coniunctivi et Optativi usu subiectivam rationem agnoveris, cuius etiam varietas unde nata sit, haud ita difficile videtur explicatu.

Brevius de *Herlingii* ratione disputare licet, a quo minor est dissensio nostra. Qui quum, in Syntaxi linguae germanicae P. I. p. 183, Modum similiter ac Beckerus definiat, ut eo rationem indicari censeat, qua coniunctio Praedicati cum Subiecto ad mentem referatur eius qui pronuntiet, eam coniunctionem tripliciter statuit referri ad mentem posse, ut eam aut perceptam sive apparentem esse intelligatur, aut simpliciter cogitatam, aut denique appetitam; atque hanc triplicem

relationem tribus item, qui omnino sint, Modis linguam exprimere, primam Indicativo, alteram Coniunctivo, tertiam Imperativo. In hac igitur doctrina convenienter naturae Coniunctivum discretum videmus ab Indicativo: sed quod Coniunctivus modus et Imperativus non uno genere comprehensi sunt, minus subtiliter factum existimamus. Quamvis enim diverse animus moveatur eius, qui cogitatam, et eius, qui appetitam Praedicati cum Subiecto coniunctionem eloquitur, tamen communiter uterque talem, quam sua sponte finxerit, coniunctionem instituit, quae diversa est ab ea, quam perceptam mens talem, qualis reapse est, imitatur. Quam rationem vix adduci possumus ut consulto a viro praestantissimo omissam esse credamus: sed fugisse eum videtur, in natura Modorum exploranda non satis esse videre, ad quas potissimum mentis facultates varia Praedicati cum Subiecto coniunctio referretur, sed amplius esse etiam ad causas descendendum, quibus ducta mens variis eam instituere posset coniunctionem: cuius rei indagatio illud ipsum, quod nos secuti sumus, Modi obiectivi et subiectivi discrimen oblatura erat. Neque vere recte dixeris, hanc praeclusam Herlingio, pariterque Beckero, viam fuisse eo, quod, quum p. 182. §. 110. in iis, quae sentirentur et dicerentur, omnino discernendas esse docuisset *relationes* quasdam *subiectivas* et *obiectivas*, — quarum illis, quae sententiam quamque eiusque partes inter atque Subiectum, his, quae inter ipsas sententias earumque partes rationes intercederent varias, contineri definivit, — deinde Modos verbi totos in subiectivis relationibus illis habendos esse iudicasset. Nam facile intelligitur, Modum quum totum fecisset subiectivum, partes eius discernere eum potuisse, uti hodie loquuntur, unam *subiectivo-obiectivam*, alteram *subiectivo-subiectivam*.

Denique de iis, qui *Beckeri* et *Herlingii* praecepta nuper ad veterum linguarum grammaticam adhibuerunt, unius *Kuehneri* rationem paucis perlustremus, qui quae suo iudicio mutavit (gramm. gr. §. 449 sq.), nescio an non meliora fecerit. Nam quod primum Modum eam vult verbi formam intelligi, qua Praedicati cum Subiecto coniunctio ad sensum vel corporis vel animi — appellat *sinnliche und geistige Anschauung* — referatur eius qui loquatur, in ea definitione certe corporis sensus omittendus erat, si quidem, uti omnis oratio, ita vel maxime Modus orationis non corporis, sed animi motum men-

tisque intellectum sequitur. Deinde moveri mentem animum, itemque corpus, dupliciter, — quem motum, appellat *Thätigkeit*, iam eundem ac sensum quem antea dixit intellexisse videtur, — ut aut in cognoscendo versetur, aut in appetendo: quem duplicem motum satis futurum fuisse in lingua duobus item Modis verbi significare, quorum alter ad cognitionem alter ad appetitionem pertineret. Verum non acquievisse linguam in formis ad summum usum necessariis, sed primum cognoscendi rationem duplicem discrevisse, unam, qua simpliciter cognosceretur sive perciperetur — *unmittelbare Erkenntniss, Wahrnehmung* —, alteram, qua cogitatione interposita cognosceretur sive cogitaretur — *mittelbare Erkenntniss, Vorstellung* —; similiterque appetitionis varietatem quandam distinctam esse, ut appetita aliter significarentur, si simpliciter imperarentur, aliter, si cogitatis similiora haberentur. Hinc omnem, quam graeca lingua habeat, Modorum varietatem explicandam esse: nam perceptionem Indicativo, cogitationem Coniunctivo, appetitionem eam, quae simpliciter imperando declaretur, Imperativo, eam quae cogitationis speciem habeat, Coniunctivo indicari. Praeterea Coniunctivi duo esse tempora discernenda: posse enim cogitationem aut in praesenti tempore versari, aut in praeterito; illam cogitationem eo qui a plerisque dicatur Coniunctivo, hanc Optativo significari. In his primum non satis explanatum esse dixeris, qua ratione per Modos ad cognitionem et appetitionem relatio fiat, quod in natura Modi explicanda vel maxime curandum est. Deinde vero in definiendis Modis singulis ubi idoneam auctoritatem secutus est, facile accedas: sed obscure admodum versatus esse videtur in discernendo Coniunctivo ab Indicativo. Indicat enim utroque ad cognitionem referri id quod pronuntietur, sed ita, ut alter in eius, qui se simpliciter rem cognoscere, alter in eius, qui cogitando se cognoscere dicat, oratione ponatur. Id quod nos aut non satis intelligere fatemur, aut in obscuritate verborum errorem aliquem latere putamus. Etenim quid dicat simpliciter cognoscere — *unmittelbare Erkenntniss* —, intelligimus, planumque ipse fecit percipiendi verbo addito: quam vero intelligi velit *mittelbare Erkenntniss*, aut nescimus, aut, quoniam illustrandae notionis causa addidit *Vorstellung*, medium illud quod intercedere vult ipsam liberam mentis cogitationem esse putamus, qua praegressa efficiatur cognitio. Atqui hoc modo

si recte hanc alteram, quam posuit, cognitionis formam interpretati sumus, ista definitio minime apta est ad vim explicandam Coniunctivi: nam quae nos cognita habere dicimus, ea sive percipiendo simpliciter, sive cogitando et concludendo cognoverimus, nullo discrimine Indicativo modo eloquimur. Veluti, quemadmodum adspecto aliquo homine mortuo hanc rem perceptam pronuntiamus Indicativo modo, *hic homo mortuus est*, ita eodem Modo, quod demum mentis cogitatione de communi hominibus moriendi necessitate colligimus, *omnes homines mortales sunt*: licetque utrumque similiter explicare, *novi hoc, hunc hominem mortuum esse, novi hoc, omnes homines mortales esse*; adeoque nec perceptum alterum altero magis esse recte dixeris, quum omnis cognitio sit perceptio. Verum enim vero aliud longe vir doctissimus sensisse videtur, quam verbis complexus est: ac vereor, ne alterum genus cognitionis, ad quod Coniunctivum referri docuit, ipsam illam, quam nos supra opinationem appellavimus, qua non percipi, sed fingi mente ac sumi Praedicati cum Subiecto coniunctionem diximus, intelligi voluerit. Quod ut credamus, facit quod id genus etiam *Vorstellung* appellare placuit, deinceps etiam *blosse Vorstellung*, quippe quo ponerentur, quae in sola opinione versarentur. Sed mireris, ipsum adeo non sensisse, haec opinatio quantum quaque re differret a cognitione, ut utramque fere confunderet unoque genere complecteretur: quarum alterius est obiectam, quae reapse est, Praedicatorum cum Subiectis coniunctionem percipere, alterius mentis arbitrio fictam sumere. Praeterea aegre rationem desideramus, qua in eodem Modo opinationis et appetitionis significatio coniuncta esse videatur. De Optativo autem quam attulit sententiam, eam imprimis ac prudenter iam Herlingius defenderat; cuius non minus, quam Becketi quaestiones, omnem de Modis disputationem subtilissimam ab omnibus iis cognosci velim, qui, quod et ipsi diu fecimus, prae iis, quae in graecae et latinae linguae grammaticis explicata sunt, immerito spernere solent, quae nostri homines ad nostrae linguae grammaticam illustrandam cum magno universae disciplinae grammaticae emolumento attulerunt.

De natura Modorum et partitione ipsi quid sentiremus, supra paucis exposuimus; in comparandis aliorum sententiis veremur ne longius lapsi simus. Superest ut pertractemus, quae nos supra de Modis singulis explicaturos esse promisimus.

CAPUT TERTIUM.

Indicativi ita plerumque facilis habetur explicatio, ut de eo praecipere vix operae pretium ducatur. Nos de eo pauca disputabimus, quibus tum vim eius *obiectivam* amplius illustremus, tum usus eius fines praecipui indicemus.

Vim et potestatem Indicativi supra in eo positam esse diximus, ut perceptam Praedicati cum Subiecto coniunctionem eam, quae reapse esset, indicaret, plane *obiectivo modo*. Eo fit, ut *referat quae sunt*, et tanquam ipsas, quae sunt, rerum actiones, conditiones, rationes loqui videatur. Quamquam enim oratio non ipsa quae sunt, sed quam mens eorum notionem perceptam et tamquam imaginem sibi inscriptam habet, exprimere potest, tamen mens harum imaginum suarum veritati tantam fidem habet, ut ei sit pro ipsarum rerum veritate; quippe qua nisi per notiones suas aliter ne potiri quidem potest, nec pertinent omnino res ad mentem nisi per notiones ipsius, quas percipit rerum. Quare quidquid aliquam mentis quam perceptam habet rerum imaginem exprimit, idem rem ipsam quamque, cuius est mentis imago, exprimere videtur; ac proinde etiam forma orationis ea, qua imago refertur, qua mens rei et actionis coniunctionem talem qualis reapse est imitatur, ipsam eam rerum coniunctionem exprimere dicenda est. Praeterea Indicativus eo fidelior tamquam interpres est eorum quae reapse sunt, quod, quamquam quae refert percepta esse et intellecta a mente oportet, tamen eius perceptionis et scientiae fere omnem vim ipse obscurat ac tantum non tollit. Nam quum dicitur τὸν δ᾽ ἀπαμειβόμενος προσέφη πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς, *Vere florent arbores*, nulla omnino significatio apparet, percepta haec esse, et cognita ab eo qui dicit, sed omissa omnino quavis Subiecti ratione simpliciter res ipsae verbis editae sunt plane *obiectivo modo*. Quodsi nonnunquam secus videtur, caute iudicandum est, ne Modo tribuatur quod ab ipso alienum est. Veluti qui interrogatus, sciatne quo anno obierit Carolus Magnus, sic respondeat, *Obiit Carolus anno* 814., is sane non simpliciter rem ipsam narraverit, sed se scire eam rem significaverit; itemque, qui aliorum de animo humano sententiis explicatis iam suam se traditurum professus sic ordiatur, *Origo animi obscura est*, sane non simpliciter rem ita se habere, sed suam eam sententiam esse indicaverit. Sed in

talibus quae est relatio ad scientiam vel sententiam Subiecti, eam in promptu est non effici Indicativo verbi neque omnino grammatica aliqua ratione, sed modo eo, quo coniuncta istius modi oratio est cum aliis sive dictis sive mente cogitatis: quod aliter se habet in subiectivis Modis, quibus quidquid complectare, facile sentitur Subiecti vel opinione sumtum vel voluntate petitum esse. Quae quum ita sint, non temere nobis eorum definitionem minus probari intelligitur, qui Indicativo ea quae dicantur ad ipsam perceptionem sive cognitionem mentis referri dicunt.

Fungitur autem Indicativus munere suo in duobus maxime dicendi generibus, uno, quo res referuntur vel narrantur, altero, quo rationes rerum iudicantur vel explicantur et demonstrantur. Quodsi in indicando et docendo vel maxime sententiae et opiniones eius, qui docet, proferuntur, Indicativus omnem subiectivae opinionis speciem tollit, obiectivamque rerum rationem reddere videtur. Cuius usus duas causas esse putamus. Aut enim, qui obiectivo modo opinionem suam aliquam profert, ne sentit quidem discrimen obiectivi modi et subiectivi, aut, qui sentit, obiectivo modo eo consilio utitur, ut non opinione tantum sua, sed reapse id, quod dicit, esse videri significet. Illud tum in eos cadit, qui propter ipsam linguae suae inopiam, quae opinionis subiectivae indicandae Modo careat, qualis fere Hebraeorum est, huius subtilitatis sensu destituti sunt; tum in homines indoctos et rudes, qui subtilitate linguae suae recte uti nesciunt, veluti nostros homines de compitis haud facile dicentes audias, *das möchte falsch sein*, *der möchte schwerlich kommen*, sed plerumque, *das ist falsch*, *der kommt schwerlich*, similiaque plurima. Hi igitur utrique quum nullo discrimine, quidquid de opinione sua indicant, eo modo proferant, ut reapse quidque tale habere videantur, quale ipsis visum est esse: alia est doctorum hominum consuetudo, qui etiam lingua utuntur uberiore et expolitiore. Hi enim ubicunque id, quod indicant aut docent, interesse intelligunt ut modeste ad opinionem suam referant, subiectivo Modo utuntur. In quo genere latissime patet apud Graecos Optativi usus cum ἂν particula, apud nostrates usus verborum auxiliarium *es möchte*, *dürfte*, *könnte:* apud Romanos, quum Coniunctivus certe Praesentis temporis in oratione libera sive directa hoc modo minus usitatus sit, alia via eam subtilitatem potissimum M. Tullius multo usu verbi Videri assecutus est; apud quem *Hoc non verum esse videtur* plerumque eandem

prorsus vim habet quam graecum τοῦτ' οὐκ ἂν ἀληθὲς εἴη. Contra ubi huius opinionis subiectivae significatio inutilis aut etiam inepta videtur, adeoque quod profertur iudicium rem ipsam continere intelligi volunt, omnes simpliciter obiectivo Modo utuntur. Illud autem iam supra attigimus, quo pacto Modo hoc obiectivo iudicia logica cuiuslibet Modi proferri possent. Nam quum dicitur οὐχ οἷόν τε ἐστὶ ταῦτα γενέσθαι, ἀναγκαῖόν ἐστι ταῦτα γενέσθαι, possibilitas et necessitas tamquam obiectivae rerum rationes ponuntur, quum obiectiva sit huius modi coniunctio: *ad hanc rem quam Subiecti loco pono, reapse pertinet Praedicatum possibilitatis, necessitatis;* quod quidem Praedicatum non subiectiva opinione tributum Subiecto esse intelligitur, uti hoc modo: οὐχ οἷόν τ' ἂν εἴη, ἀναγκαῖον ἂν εἴη. Tum vero nec in eo quidquam est difficultatis, quod ad indicativam orationem apponi possunt, quae declaratam obiectivam rei rationem nihilominus ad opinionem eius qui loquitur referant: veluti quum ad verba ἡ ἀρετὴ διδακτόν ἐστιν apponuntur ἴσως, δήπου, εἰκότως, ἔμοιγε δοκεῖν, κατὰ τὴν ἐμὴν δόξαν, quibus id, quod verbi Modo indicativo reapse esse declaratum est, tum restringi patet modestius, tum quodam modo confirmari assensu Subiecti: ut explicare alterum genus fere ita liceat: *virtus doceri potest, certe ego ita percepi, ita sentio;* alterum ita: *virtus doceri potest, cuius rei equidem probabilem rationem video.* Qua varietate adhibita in ipsius Indicativi vi obiectiva nihil prorsus mutari in promptu est. Denique Modum indicativum cum Temporibus verbi ceteris, etiam futuro, commune esse, si obiectivam eius naturam spectas, non magis est quod mireris. Nam reapse rerum coniunctionem non minus, quam esse aut fuisse, futuram esse mens intelligere potest, ita ut reapse futuram discernat ab ea, quam arbitrio suo fingat ac sumat futuram esse. Ita quaecunque aeterna et immutabili lege contineri cognitum est, ea, quoniam in ipsis rebus ut omni tempore ita fiant causam inesse intelligitur, etiam futuro tempore secundum eam legem reapse eventura esse et sentitur et verbi Modo obiectivo indicatur. Deinde vero etiam quae finguntur mente, plurima eodem Modo eduntur, ubi iis, quae vel opinamur futura esse vel cupimus evenire, aut consulto tantam fidem habemus quantam rebus reapse futuris, aut omisso discrimine inviti speciem talem in-

duimus: quorum in illis confidentia, in his negligentia quaedam obiectivum Modum Temporis futuri offert.

Praeterea in hac de Indicativo disputatione tres potissimum locos superesse videmus, quorum unus ad Indicativum cum ἄν particula compositum pertinet, alter ad eius in ligata oratione usum, quo graeca lingua valde differt et a latina et a nostra, tertius ad rhetoricum eiusdem Modi usum varium. Sed haec non in animo est hic pertractare, partim infra attingemus.

Venimus ad eos quos *subiectivos Modos* appellavimus, quorum supra diximus hanc posse varietatem esse, ut, quum libero mentis arbitrio Praedicata cum Subiectis ederentur, accurate discerneretur, utrum ex opinione an e voluntate Subiecti ea coniunctio proficisceretur.

Verum hoc loco haud alienum videtur monere, ad summum usum sane duos omnino Modos videri satis futuros fuisse, unum quo aliquid esse, alterum quo te velle esse indicares, confusis videlicet iis, quae reapse esse, et iis, quae te opinari esse intelligeres, quorum etiam in hac maiore copia Modorum multa ac varia est confusio, ut obiectivo Modo pronuntientur quae vere ad Subiecti opinionem referenda erant. Quin, si accuratius quaeris, etiam Imperativo, quem praeter Indicativum maxime necessarium esse dixeris, quodammodo videtur careri potuisse: cuius quamquam vi in omni lingua opus esse certum est, assequi tamen eam vim oratio sine peculiari eius Modi forma simpliciore via potest, vocis maiore intentione ac singulari modulatione quadam adhibita pronuntiando vel ipsi Indicativo, vel Infinitivo quem nominamus. Et Infinitivi quidem talem usum graeca habet et germanica lingua notissimum, tum multo magis hebraica, cuius Imperativus fere totus Infinitivus est, ita declinatus, ut alterius personae et generis et numeri notatio suffigatur. Indicativi autem similem usum noster fert sermo familiaris; veluti, quum puer puerum iniuriam illaturum arcet, abire iubens notissima formula *du gehst*, pro *gehe*, sive *du sollst gehn*, aut quum ludimagister increpat pertinaces pueros, *ihr kommt gleich her*, *du giebst diesem das Buch zurück:* quamquam etiam in graviore oratione similia multa occurrunt, uti quum imperator in acie praecipit comitibus *das Centrum zieht sich zurück, die Cavallerie rückt schleunigst vor:* quas omnes ne gestu quidem adhibito facillime sentitur imperantium voces esse, non narrantium. Huic quem in veteribus, quas nos no-

vimus, linguis usum comparemus, non habemus: sed quodammodo simile est, quod graeci duntaxat vocis varietate discernere potuerunt, τύπτετε, τύπτεσθε, — λάβετε, λάβεσθε iuberine an narrari viderentur. Quodsi unquam tam inopem linguam fuisse credibile est, quae praeter Coniunctivum et Optativum etiam Imperativo careret, eius rectius, quam unum, nullum omnino Modum fuisse dixeris; quippe quae nec obiectivam nec subiectivam Praedicati cum Subiecto coniunctionem significare potuisset, omissoque omnino hoc discrimine pro *modali* tantum *praedicativam*, quam appellari placet, formam verbi habuisset, qua simpliciter coniunctio ipsa, sive relatio actionis ad Subiectum indicaretur. Sed ita, quamquam forma carens verbi modali, tamen non omni facultate destituta fuisset notionis illius, quam variam Modi exprimunt, declarandae, quoniam vocis varia temperatio, in qua admirabilis est ars naturae, loquentes plurimum adiuvisset in discernendis iis, quae vel esse sentirent, vel vellent fieri: quin etiam ut puto, quae opinarentur esse. Velim enim accurate auribus percipi, v. c. nostrum *das geschieht nicht*, maxime in familiari sermone, cum tanta dubitationis significatione pronuntiari posse, ut vocis naturali diligentia verborum negligentiam omnino compensante nihil aliud audire videare quam οὐκ ἂν γένοιτο. Finximus ista de inopia quae fortasse principio fuerit Modorum: sed nec per se absurdum videtur talia sumere, nec inutile ad veram vim perspiciendam Modorum. Verum quum semel huc digressi simus, etiam aliam dubitationem attingamus, quae ad eundem locum pertinet. Etenim quum de variis quae inventae sunt formis Modi unam aliquam primam exstitisse consentaneum sit, hoc unum dubitari quodammodo potest, Indicativumne an Imperativum priorem fuisse credibile sit. Imperativo hunc honorem eo tribuendum esse dixeris, quod loquendi cum altero necessitatem primum attulisse videatur inopia, ut peterent aut iuberent, quae fieri vellent; narrandi enim voluptatem haud dubie seriorem, necessitatem vero certe minorem primis hominibus quam petendi fuisse. Eamque sententiam lubeat fortasse simplicitate confirmare brevissimarum Imperativi formarum λέγε, λάβε; quae quod in aliis verbis auctae antiquitus fuerint syllaba θι, eam particulam esse videri paragogicam eandem, quae nominibus suffigi soleat loci demonstrandi causa — οἴκοθι, prorsus uti hebraica lingua particula paragogica ה‎ָ‎— eadem sit in Imperativo para-

gogico הָבָה atque in אַרְצָה, quorum alterum fere est *gieb her*, alterum *zur Erde hin*; neque aliam rationem esse videri sanscriticae Imperativi terminationis *d'i*, ad quam referre solent graecam *θι*; esse enim et illam particulam loci significatione praeditam, de qua v. *Bopp. Vergl. Gramm.* etc. Part. II. p. 401. Nobis de hac re fere sic videtur. Simplicissimam sane verbi formam fuisse antiquitus Imperativum et fortasse primam, sed eam talem, quam vix ad declinationem sive coniugationem verbi referre liceat, utpote particulae similiorem quam verbo, denique Interiectionem quandam, qua exclamaretur quod quis fieri ab altero vellet. Tales maxime apparent linguae germanicae Imperativi *komm*, *halt*, *kip* = *gieb*, tum antiquiores illi latini *dic*, *duc*, *fac*, *fer*; quibus quodammodo accenseri posse dixeris graecos *κατάβα*, *παράστα*; in quibus ipsum simpliciter thema verbi nulla flexione adhibita gravius pronuntiatum est: sed uti in nostra lingua, ita in graeca et latina deinde iuvandae pronuntiationis causa levissimus sonus *e* adhibitus est; qui nullam praeterea vim habuisse videtur, *ἄγε*, *φέρε*; *lege*; in aliis etiam aucta vis est suffixa themati particula locum monstrante *φάθι*, *sag da*, *sag her*, *τέθναθι*, *stirb hin*. Sed ut Modus inde iustus exsisteret quique declinabilis esset, demum post inventum Indicativum factum videtur: nam ex hoc petita omnino est, a qua coeptus est declinari Imperativus, secunda persona pluralis *φά-τε* (et dualis *φά-τον*); tum vero reliquae formae omnino producendis ortae videntur Indicativi formis, pro levioribus vocalibus graviore *ω* recepta, *τιθε-τι-τω*, *τιθε-τον-των*, *τιθε-ντι-ντω* = *ντων*. Ipsam igitur declinationem verbi coeptam fieri probabile est in Indicativo, sed qui primo simpliciter praedicativus esset: nam eam vim modalem, ut reapse aliquid esse significaret, non potuit ante induere quam ceteri Modi discreti essent. Proxime vero ab Indicativo Imperativum inventum credimus declinabilem illum, multo fortasse postea Coniunctivum et quam graeca lingua habet Optativum, quibus ut opus esse sentiretur, amplius iam excultas mentes hominum esse oportebat ad subtiliora percipienda discrimina.

Iam vero de ipso *Coniunctivo* et *Optativo* graeco quae supra promisimus, paucis persequamur. Et formas quidem utriusque varianda paullo Indicativi forma natas esse in promptu est. Videtur autem ea, quam secuta est lingua, varietas tamquam

sponte ita orta esse, ut, quae non simpliciter esse dicerentur, sed cum animi motu quodam ab ipsis loquentibus ponerentur esse, paullo gravius ac prolixius pronuntiarentur. Immorari enim paullo diutius cogitur mens, et cum mente lingua, in versandis iis, quae se optare vel expetere vel dubitare vel consultare vel aliquo modo sua sponte demum fingere esse sentit, quam in iis, quae simpliciter esse percipit aut eadem fere, quae in perceptione est, simplicitate et confidentia esse cupit. Inde productiores paullo, quam Indicativus et Imperativus, Coniunctivus et Optativus formas sortiti esse videntur, sed eas modeste ac prudenter ita ductas ab Indicativo, ut vocalis ea, qua mutata nec temporis nec personae nec alius rei notatio obscurari posset, partim simpliciter produceretur, λέγομεν — λέγωμεν, λέγετε — λέγητε, partim ι adhibita vocali in diphthongum declinaretur τιθε — τιθει, ἱστα — ἱσται —.

Sed plus interest, de potestate utriusque Modi ut quaeramus. De qua re haud levis hodie dissensio est: alii enim, quod antiquitus traditum est, diversum utrumque Modum esse defendunt, alii ad eundem Modum referunt unoque temporis discrimine alterum ab altero differre volunt: quam nos componere litem hoc loco non audemus, sed ad componendam quae utilia videntur pauca conferre placet. Liceat autem eo modo progredi, qui nobis ad exquirendum id quod verum est aptissimus videtur, ut in utramque partem disputantes primo videamus, possitne, si diversos illos Modos esse statuatur, ratio omnis atque usus utriusque ita explicari, ut nihil omnino offendat, quod ab inveterata iam opinione discedere cogat; deinde vero accurate alterius sententiae argumenta expendamus, numquid ea et quantum ad illius labefactandam fidem valere videantur.

Sumamus igitur primo diversos Coniunctivum et Optativum Modos esse, ab eaque profecti opinione videamus, quid de vera utriusque vi usuque vario statuendum esse videatur.

Usum utriusque simpliciter spectantibus primum, quam supra indicavimus, similitudo occurrit, quod uterque duplici illa vi praeditus est, ut et in appetitione et in opinatione Subiecti ponatur. Nam ἐς δ' ἑκατόμβην θείομεν volentis est, ἥν ποτε δασμὸς ἵκηται opinantis; pariterque ὑμῖν μὲν θεοὶ δοῖεν volentis, μέγα κεν κεχαροίατο θυμῷ opinantis: ut utroque Modo tum opinando tum volendo Praedicatum ad Subiectum referatur.

Hinc vero triplex oritur quaestio: una, quo modo diversa illa vis in utraque forma coniuncta esse videatur; altera, quae ratio intercedere videatur inter utramque illam vim Coniunctivi et Optativi; tertia, appetitiva vis Coniunctivi et Optativi qua re differat ab Imperativo.

Iam quod duplicem uterque, de quo quaerimus, Modus potestatem habet, consentaneum est, alteram priorem fuisse, alteram secutam esse. Quare quum deinceps, utram priorem fuisse credibile sit, quaeri oporteat, ad gravissimam quaestionem de primitiva vi Coniunctivi et Optativi delati sumus. Eam vero quo modo instituamus circumspicientibus ratio sic praecipere videtur: primitivam utriusque potestatem eam habendam esse, quae in usu appareat simplicissimo: reliquum autem usum ab illo profectum accurate quaerentibus haud dubie vestigia ostensurum esse primitivae potestatis paullo primum variatae, deinde amplius mutatae. Iam simplicissimum utriusque Modi usum quem haberi oporteat, iterum res ipsa commendare videtur: eum puto, qui et in oratione est simplicissima, et ipsum Modum reddit simpliciter nulla, quae ipsius Modi vim aliquo modo variare possit, particula addita. Itaque hoc consecuti sumus, ut primitiva vis et Coniunctivi et Optativi in oratione libera quaeque ἄν particula careat quaerenda esse videatur: quam quidem communis usus *appetitivam* esse arguit, si quidem ἴωμεν, ἔλθοι simpliciter ita posita animi appetitum quendam declarant, ut eatur, veniatur; in quibus non credibile esse dixeris ellipsin statuere licere, quae et aliena sit haud minus quam ab Imperativo, nec facere quidquam videatur ad rationem explicandam, quoniam etiam adhibitis formulis quibusdam, quam ob causam post eas Coniunctivo vel Optativo opus sit, rationem reddi oporteat, quam nisi in ipsorum vi eorum Modorum idoneam haud reperias.

Deinceps antequam de reliquo utriusque Modi usu videamus, quaque eum ratione a simplicissimo illo ductum esse probabile sit, discerni opus est, quid intersit inter primitivam, quam invenimus, vim Coniunctivi et Optativi. Patet autem, quum commune utrique sit ut actionem ad voluntatem Subiecti referant, discrimen totum ad diversum quendam modum, quo quum vult animus movetur, pertinere. Etenim velle et ita possumus, ut simpliciter animo cupiamus aliquid fieri nullo adiuncto studio nostro, quo ad perficiendum feramur; quam

voluntatem immanentem et tamquam passivam dixeris, quod eius vis omnis in animo cuiusque manet neque ad agendum progressura videtur: possumus vero etiam ita velle, qui haud paullo diversus modus est maioremque longe vim habet, ut, quod fieri cupimus, ad id perficiendum magno studio duci nostraque opera enisuri videamur. Priore modo quum volumus, *optare* dicimur: alterius modi quum non certum nomen usitatum sit — nos apte distinxerimus *wünschen* et *streben* —, proprium esse tenendum est vim quandam expetendi ita, ut ad voluntatem consilium et studium accedat efficiendae eius rei quam velis fieri. In hac igitur diversa voluntatis facultate discernenda omne iam dicimus discrimen versari, quod interest inter communem Optativi et Coniunctivi potestatem appetitivam. Nam ἴωμεν et ἴοιμεν hac sola re differre videntur, quod quum utramque itionem in voluntate Subiecti positam indicet, illud etiam studii significationem addit, quo is qui loquitur etiam ad perficiendam itionem ipse cum ceteris, quos secum complectitur, properaturus videatur; alterum vero tali significatione carens ita retentam in loquentis animo voluntatem indicat, ut is sive inertia sive impotentia impeditus nihil sua vi facturus videatur, quo efficiatur, quod vult, ut eatur. Nos eodem modo discernimus *gehen wir* h. e. *lasst uns gehn*, et *möchten wir (endlich) gehn:* latine illud est *eamus;* alterum, ut plane dicatur, aegre carebitur particula, *utinam tandem eamus:* quorum alterum recte pronuntiabit, qui cum aliis diu alicubi moratus velit quidem abiri, nec tamen audeat impedimenta superare, quae vel ipsius pigritia vel rerum aliqua iniquitas obiecerit. Verum hoc ut probabiliter constitutum dicas, mirum sane videri potest, quod Coniunctivi hic, de quo quaerimus, usus arctioribus quam Optativi finibus circumscriptus est; constat enim, in libera oratione appetitivo modo Optativi omnes personas usurpari, λάβοιμι, λάβοις, λάβοι, pariterque duali et plurali numero, Coniunctivi vero veteribus graecis nonnisi primas personas probatas esse, λάβωμεν, λάβω. Cuius rei rationem quaerentibus primum fortasse hoc in mentem venerit: videri, quemadmodum Imperativi omnino probabile sit secundas personas ante tertias inventas esse, ita Coniunctivi primas personas ante ceteras inventas esse, deinde autem iis solis illam vim mansisse, etiam quum secundae et tertiae personae ad primarum similitudinem quandam effictae essent. Sed est

illa probabilior ratio in ipsa quam modo illustravimus notione Coniunctivi posita. Quae quum eo spectaret ut aliquid expeti indicaret cum ipsius cuiusque studio et consilio perficiendi, consentaneum videtur eum in iis tantum rebus adhibitum esse, quas quis semet ipsum facere velle diceret sive solum sive cum aliis: nam rei ab aliis efficiendae non potest meum aut nostrum consilium et studium tale esse dici, quale rerum a nobismet ipsis perficiendarum. Ac nescio an similem ob causam lingua graeca, quum non ausa sit probare φύγῃς, φύγῃ, φύγητε, φύγωσι, non dubitarit in prohibendo usurpare μὴ φύγῃς, μὴ φύγῃ, μὴ φύγητε, μὴ φύγωσι, haud minus quam μὴ φύγωμεν: sensisse enim videntur, consilium nostrum et studium quamquam nullum esse possit efficiendae rei ab aliis, posse esse et esse rei non efficiendae ab aliis, hoc est, quantum in nobis sit impediendae. Denique, ne id neglexisse videamur, quod eum, de quo diximus, Coniunctivi usum plerumque *adhortativum* appellant, non ineptum nos quidem id nomen esse putamus, sed intelligi volumus, hortandi vim ita inesse in eo Modo appetitivo, ut studii illa et consilii capiundi significatio, quam ei propriam esse vidimus, speciem induat excitationis animi et exhortationis. Tum vero, quod ab hortativo usu *deliberativum*, quem dicunt, accurate discernere solent, huius intelligendum est eandem prorsus atque illius rationem esse, sed ut non exclametur, sed interrogetur: nam quum dicitur ἴωμεν ἢ μένωμεν, pariter studii et consilii significatio inest, sed non eius, quod iam susceptum sit, sed quod sitne suscipiendum necne tamquam dubium etiam quaeratur; quare nos quoque simili utrumque modo, *wollen gehn! wollen* s. *sollen wir gehn?*

Sequitur ut videamus, quomodo cum hac appetitiva potestate Coniunctivi et Optativi altera, quam *opinativam* diximus, coniuncta esse, quoque modo haec ab illa ducta esse videatur. Consentaneum est autem, si modo appetitivam recte constitutum est primitivam fuisse, opinativam minuenda illius vi et attenuanda exstitisse, ut, quae utroque Modo indicaretur et appetitio et opinatio, eae non genere, sed magnitudine, sive gradu quem plerumque appellamus, differre visae sint. Etenim quum observare liceat, quemadmodum mentis opinatio vehementer aucta facile in appetitionem transit, ita appetitionem animi minutam ac debilitatam facile in opinationem abire, ut acquiescat mens in sumendis ac fingendis iis, quae appetitioni

obiecta erant: lingua, hanc imitata rationem, opinationem iisdem atque appetitionem formis complexa esse videtur, sed eo discrimine, ut, quum liberum esset praeterea alias notas adhibere, graviorem vim appetitivae orationis vocis intentione ac singulari modulatione distingueret, opinationem autem, quae tamquam attenuata et depressa esset appetitio, attenuata voce notaret. Hoc vero non solum ad graecam, sed etiam ad ceteras linguas, quarum similis est Coniunctivi usus, pertinere intelligitur: veluti in nostra quae simillime dicuntur *möchte das geschehn* et *das möchte geschehn*, appetitivam orationem ab opinativa non una collocatione verborum, sed etiam vocis intentione et modulatione discerni constat; quibus rebus latina solis, si quando particularum opem omittit, indicare potest, *veniat amicus* optantisne sit et cupientis, an sumentis simpliciter et opinantis, *veniat fortasse* an *utinam veniat.* Verum graeca lingua quum in duobus Modis opinativam potestatem cum appetitiva coniunctam habeat, quaeritur deinceps, opinativa utriusque quid differre, quoque modo attenuanda appetitiva utriusque potestate orta esse videatur. Appetitivam Coniunctivi et Optativi potestatem supra eo maxime differre ostendimus, quod quum Coniunctivus maiorem haberet vim appetendi adiuncta studii significatione, quo ad perficiendum impelli videretur, Optativus debilem indicaret voluntatem et ab agendo alienam, quae rem fictam sola mente versaret. Ab hoc discrimine totum pendere videtur id quod inter attenuatam utriusque Modi potestatem interest opinativam. Etenim in Coniunctivo quae est studiosae appetitionis significatio, ea, abeunte appetitione in opinationem, transfertur ad *exspectationem* indicandam, cuius partes sunt spes et metus: quam autem Optativus indicat carentem agendi studio fingendisque rebus totam occupatam voluntatem sive optationem, ea in *meram* abit solius *mentis opinationem et fictionem.* Cognata haec natura esse, quae modo comparavimus, et ita coniuncta, ut altero vehementius, altero debilius animus moveatur, in promptu est. Cognata est studiosae appetitioni exspectatio, in qua manet animi studium quoddam rerum efficiendarum, sed id non tantum, ut ad agendum abrepturum videatur, sed quod in desiderio acquiescat rerum vel eventurarum vel non eventurarum, ut sperentur bonae, metuantur malae: denique iners quaedam et tamquam actione carens appetitio esse dicenda est exspectatio, siquidem

petuntur quodammodo animo quae exspectantur, sed ut intra animum contineantur quae vel spes petat vel fugiat metus. Et similiter quae optantur, depressa vi voluntatis in meram assumtionem mentis et fictionem transeunt. Etenim simillimum optanti primo facit, qui permittit et concedit vel voluntati vel opinioni: qui autem aliquid esse concedit vel sibi vel alteri, parum aut nihil differt ab eo, qui sua sponte aliquam rem esse ponit, sumit, fingit: quam similitudinem maxime senseris comparatis nostris formulis huiusmodi: *möchte diess so sein; diess möchte allenfalls so sein; diess möchte wohl so sein.*

His autem expositis superest ut paucis memoremus, quibus fere legibus variae huius Coniunctivi et Optativi potestatis usum lingua temperaverit. Constat autem, antiquitus eam libertatem fuisse usus, ut utrumque Modum utraque potestate, et appetitiva et opinativa, simpliciter ponere liceret in oratione libera et nulla addita particula; sed hoc modo quum varietatis distinctio fere omnis tum pronuntiandi arti loquentium, tum interpretandi audientium permissa esset, usum severiores deinceps leges scripsisse, ut in libera oratione nisi ἂν particula addita neuter Modus opinativam potestatem haberet, in ligata oratione autem opinativa ita dominaretur, ut ἂν particula addita ea plerumque sola teneretur, sine ἂν particula autem, partimque etiam ubi ea addita esset, utra esset potestas accuratius definiretur coniunctionibus iis, quae ligatam quamque orationis partem connecterent cum parte libera; veluti εἰ ad opinationem rem refert, ἵνα ad appetitionem. Sunt igitur duo potissimum horum Modorum potestatis temperamenta, quorum unum etiam ad Indicativum pertinet, alterum *ἂν particulae accessio*, alterum *ligatio verborum:* quorum utrumque graviorem vim ipsorum Modorum paullo deprimit. Id primum in promptu est in ligatione. Etenim in libera oratione quum integram servet vim suam appetitiva et Coniunctivi et Optativi potestas, quippe impetu animi, cuius petita et optata verbis efferuntur, nulla re impedito, contra est in ligata oratione: quae quoniam non libere positos, sed coniunctos habet Modos per coniunctiones aut coniunctiva pronomina cum alius verbi notione quod partis liberae Praedicatum est, quo vel sentiri vel cupi aliquid indicatur, necessario fit, ut intercedente huius nexus cogitatione attenuetur et deprimatur vis Modorum. Itaque quum plerumque in ligata oratione opinativa potestas occurrat, tum, ubi

tenetur appetitiva, eam certe haud paullo deprimi sentimus. Veluti in hac oratione λέγω ταῦτ᾽ ὅπως ἴωμεν manet appetitiva potestas Coniunctivi quae est in ἴωμεν, sed valde attenuata, quoniam praemissa verba λέγω ὅπως mentis cogitationem interponunt de ratione, qua eundi voluntas vel consilium ad λέγω illud referatur; quum altero, ἴωμεν, ipsa animi appetitio nulla eiusmodi cogitatione affecta libere eoque gravius edatur: idemque cadere intelligitur in φοβοῦμαι μὴ ταῦτα γένηται et μὴ ταῦτα γένηται. Accedit, quod in ligata oratione plerumque non ipsius eius qui loquitur, sed alius Subiecti, de quo narratur, appetita poni solent, quo et ipso imminuitur vis appetitorum notationis, quippe intercedente alterius personae cogitatione. — Deinde *ἄν particula* quam in temperanda horum Modorum potestate vim habeat, tam subtiliter et copiose disputatum est a G. Hermanno, viro illustri, ut id hoc loco praetermitti posse videatur: sed tamen pauca placet ad eam quoque rem illustrandam adiicere. Quum enim ad perspiciendam eius vim particulae haud parum profectum iri constet, si qua possit nostra dicendi formula inveniri, qua illius potestatem ita possimus assequi, ut certe intelligere idem et mente sentire liceat: haud absurdum videtur praeter nostrum *etwa* haec comparare: *eintretenden Falls, vorkommenden Falls, allenfalls.* Quorum nolim dissimilitudinem rideri ante quam similitudinem expenderis. Nam dissimilitudo fere omnis in eo est, quod nostra illa et explicatiorem notionem habent et maiore paullo cum vi tam ad mentem quam ad aures accidunt, quum graeca unius syllabae particula brevissima et levius multo et paullo obscurius audientes moveat; cui coniunctum est, quod expeditae ἄν particulae usus facillimus latius longe patet, nostrae istae graviores formulae et molestiores rarius usurpantur, ubi magis opus videtur. Praeterea vero his propria illius vis satis accurate exprimi videtur. Positam enim hanc in eo esse constat ut quod dicatur ad conditionem aliquam referatur: quam quidem conditionem intelligendum esse putamus aut certam quandam et perspicuam esse, quae nunc diserte sit apposita nunc e reliqua oratione facile colligi queat, aut incertam ac parum definitam esse et fere communem aliquam, cuius obscuriore quodam sensu mens levius ita moveatur, ut tantum non simpliciter rem esse, sed ex conditione aliqua pendere sentiatur. Quodsi plena est conditionalis quae vocatur oratio,

qualis est εἰ δύναιτο, ποιοίη ἄν, quodammodo sane sibi respondere dici possunt εἰ et ἄν; sed tenendum est, quum duplex in εἰ particula vis insit, ut et conditionem significet et pariter ac ceterae coniunctiones relativae copulandae orationi inserviat, denique fere hanc vim habeat *qua conditione*, ἄν particulam ad solam conditionis significationem referri, eius ut notionem ad alteram quae e conditione pendeat actionem repetat et quodammodo confirmet, nec vero simul ad relativam potestatem εἰ particulae pertinere, quasi eam tamquam correlative quodam modo excipiat: quod contra est in nostris particulis *wenn* — *so*, quarum altera, conditionis significatione omni carens, mere est correlativa et tamquam articuli instar orationis parti suae praemissi. Quamquam malim sic statui, graecum ἄν non tam ad εἰ particulam referri, quam ad ipsam totam rem, quam ut positam et sumtam εἰ particula introducit: nec ineptum videtur rem ita comprehendere, ut ἄν particulam caussae fictae fictum effectum indicare dicamus. Sed minime omittendum esse putamus, quod supra discriminis esse diximus inter duplicem modum, quo per ἄν particulam ad conditionem relatio fieret, id fere totum assequi nobis licere illis quas commendavimus nostris dicendi formulis. Etenim ubicunque certa respicitur conditio, sive adiecta ea est per εἰ particulam sive mente colligenda e superiore oratione, fere omnino respondent nostra, sine pondere dissimilia, *eintretenden Falls*, *vorkommenden Falls*; in quibus quamquam quaedam est sive correlativa sive demonstrativa potestas — habent enim hanc vim: *für diesen Fall*, *tritt dieser Fall ein* —, tamen id fere omnino latet: sin ad incertam aliquam conditionem ἄν refertur eamque nec verbis indicatam et omnino obscurius cogitatam, plane eius vim exprimit nostrum *allenfalls*, modo quod in hoc maius est pondus detraxeris. Admonent autem quae modo exposuimus, ut ad quam nuper hac via suspicionem de origine particularum ἄν et κέν adducti sumus, hoc loco paucis adiiciamus: quam valde gaudebimus si doctis probare contigerit. Videtur enim ἄν ductum esse a vetere pronomine ἀμός, quod fere eandem ac τίς potestatem habuisse constat: inde adverbium antiquitus factum esse sive ἀμά sive, quod probabilius esse infra patebit, ἀμῇ s. ἀμῆ; hinc detrita abusu ultima vocali — ἀμῆ, ἀμέ, ἄμ —, ortum esse ἄν, fere uti nostrum *etwa* ex *etwas*, ea potestate, ut fere idem, sed paullo levius quiddam

sonaret, quam *aliquo modo* et *quodammodo*, aut, quoniam haec latina non satis apta sunt, quam nostra *im gewissen Fall* h. e. *vorkommenden Falls* et *in irgend einem Fall* h. e. *allenfalls*. Atque hanc coniecturam qui non omnino reiiciendam putaverit, etiam ad κέ sive κέν particulae originem inveniendam viam apertam habebit. Eam enim ab eodem illo antiquo pronomine esse suspicamur, a quo ducta sunt quae cum aeolica ionica dialectus retinuit κοῦ, κότε, κοῖος pro ποῦ, πότε, ποῖος. Quod pronomen — fuisse videtur κός — quum eandem fere vim habuisse manifestum sit ac τίς, etiam eo, quod varie pronuntiatum et pro interrogativo esset et pro indefinito, uti testantur derivata — κῶς τοι δοκεῖ, εἴ κως, quibus praeter πῶς δοκεῖ et εἴ πως, reapse non diversa, confer τί δοκεῖ, εἴ τι —: adverbium inde factum κέ eandem fere intelligitur vim habere debuisse atque ἄν factum ex ἀμός = τίς. Sed serio de hac re cogitantibus videndum erit, ne antiquissimam huius particulae formam accuratius dorica dialectus servasse videatur: quae quum in κά suo α vocalem producat, nescio an ipsum illum quem indicavimus a pronomine κός ortum etiam magis prodat. Nam αἴκα quid aliud esse dicemus, si non ipsa potestate, certe reapse et τῷ ἐτύμῳ, quam εἴ πη sive εἴ πῃ? Quod si non temere sumtum est, eodem omnino modo κε ex κῃ, quo ἄν = ἀμέ ex ἀμῇ natum esse probabile erit, celeriore videlicet levioris utriusque particulae pronuntiatione; κέν autem, ν adscito, tum demum exstitisse videbitur, quum originis voculae sensus iam omnino obscuratus esset. Denique hoc modo quum mira alioquin prosodiae diversitas in ionico κέ et dorico κά facillimam explicationem habeat, tum etiam accentus diversa ratio, quae in ἄν et κέ particulis potestate simillimis offendere potest, minus difficilis habebitur. Etenim ἀμός pronomen uti forma ita potestate longe gravius fuisse videtur, ut semper esset ὀρθοτονούμενον; κός autem, ubicunque indefiniti pronominis potestate usurparetur, levissime pronuntiatum esse consentaneum est reiecta accentus vi sua in praecedens quodque vocabulum: eam autem diversitatem etiam mirum esset si particulae utrimque ductae ἄν et κέν non essent sortitae. Ad ea autem quae supra de nostra ἄν particulae potestatis significatione exposuimus, quae imprimis nobis apta visa sunt ad rem obscuriorem pueris perspicue explicandam, hoc loco unum restat ut addamus; etiam ubi cum particulis relativis, quas

coniunctiones appellamus, ἂν componitur, veluti in ἐάν, ὅταν, ἕως ἄν, πρὶν ἄν, ceteris, optime et vim particulae et legitimam eius ita compositae cum Coniunctivo constructionem perspici comparato nostro *eintretenden Falls*. Etenim quum Coniunctivus exspectatae rei assumtionem indicet, ἄν particulae accessio, per se non necessaria, ita confirmat vim Coniunctivi repetita diserte assumtionis significatione, ut e. c. εἰ et ἐάν ita differant uti nostra *wenn* et *wenn eintretenden Falls*, sive quod brevius dicimus *falls* — nam in *wenn etwa* peculiaris vis paullo minus apparet —: veluti ἐὰν τοῦτο ποιήσῃ, σωθείη ἂν plane nos ita expresserimus: *falls er das thun sollte, möcht' er allenfalls gerettet werden;* in qua interpretatione fere una πρόληψις temporis omissa erit. Quamquam in plerisque talibus et particulis et pronominibus, veluti ὅπου ἄν, ὃς ἄν, οἷος ἄν, usus noster magis fert *etwa* particulam, *wo etwa*, *wer etwa:* in quibus etiam quod arctius ἄν cum relativis vocabulis coniunctum est, perspicua causa est: est enim ὃς ἄν *der etwaige der*, ὅπου ἄν *an dem etwaigen Orte wo*, quo ipsum vel hominem vel locum non certum quendam intelligi indicatur, ad quem pertineat quae Coniunctivo verbi significatur actio sumta, sed illum quoque sumtum aliquem per conditionem et fictum: tum ὅστις ἄν est *wer irgend* — h. e. *welcher irgend einer* — *etwa*, ὅστις ἂν οὖν *wer nur irgend etwa*. Denique nostra lingua incredibili modo apta est ad omnem fere quae in ἄν particulae usu est varietatem ita exprimendam, ut certe sentire nobis cum graecis simillima liceat. Secus latina: in qua quod fere unum comparari potest *forte*, id, quamquam nonnunquam graecae ἄν particulae potestatem reddere videtur, tamen et in paucis satis aptum est, et longe alio modo inventum et effictum esse patet.

Sed iam in viam redeundum est, ut videamus, ad Modos ipsos, de quibus quaerebamus, quam ἄν particula vim habeat. Quoniam autem omisimus supra *Indicativum cum ἄν particula compositum*, non alienum videtur eum etiam hoc loco attingere.

Ac primo intelligendum est, Indicativum, ubi ἄν apponitur, omnino tueri eam quam supra inesse demonstravimus potestatem Modi obiectivi: quam nec tollit nec mutat ipsam particulae illius accessio quamvis quodammodo assumtivae; nam haec non efficit, ut ipsa actio sumta et ficta a Subiecto esse videatur, sed id quod reapse esse intelligitur non simpliciter

ita esse indicat, sed eo modo ut ad conditionem vel temporum rationem quandam referendum sit. Id facillime patet in epico, illo Futuri cum ἄν compositi usu: veluti illud παρ' ἔμοιγε καὶ ἄλλοι, οἵ κέ με τιμήσουσι hanc vim habet, ut primo sit τιμήσουσί με καὶ ἄλλοι, id quod reapse futurum esse rex confidit; deinde autem κέ particula addita eam rem non simpliciter, sive semel sive omni tempore, futuram esse significatur, sed si quid aliud contingat, quod saepius contingere posse sentitur: ut sententia sit, *honorabunt me et alii, si opus erit, si mihi gratum erit*, nostro modo, *ich habe noch andre, die allenfalls*, sive *vorkommenden Falls, mich ehren werden.* Quamquam in hoc genere non opus est ubivis rem futuram saepius repetitam cogitari, sed potest ea quovis alio modo ad conditiones varias referri, uti in illo ὁ δέ κεν κεχολώσεται, in quo conditio diserte addita est, *si quem aggrediar*, ὅν κεν ἵκωμαι: atque ubi post coniunctiones relativas Indicativus futuri cum ἄν ponitur, veluti ὅτε κεν συμβλήσεαι αὐτῷ Iliad. XX. 335, plerumque minimum ratio differt ab ea, quae est post easdem coniunctiones Coniunctivi cum ἄν; nam tantillum interest inter ea quae, si quid aliud contigerit, reapse futura esse, et quae eadem conditione exspectari fore indicatur, ὅν κεν ἵκωμαι *zu dem ich etwa kommen sollte*, ὅν κεν ἵξομαι *zu dem ich etwa kommen werde.* Huic autem futuri simillimus est historicorum Temporum usus, ubi indicativo Modo cum ἄν ita ponuntur, ut rem aliquam reapse factam esse narrent non simpliciter, quasi vel semel vel omni tempore facta sit, sed quoties conditio quaedam vel causa praecessisset: εἶτα πῦρ ἂν οὐ παρῆν, *dann war allenfalls kein Feuer da*, hoc est, deerat si quando opus esset. Cuiusmodi in oratione quum constet, ubicunque conditio ipsa per εἰ, ὅτε, ὅπου, alias coniunctiones adiecta est, eam optativo Modo declarari, in promptu est Optativi non hanc vim esse, ut ipsam rem totam sumtam aut fictam esse indicet; sed tuetur is quamquam in re facta tamen potestatem suam assumtivam vel opinativam, quum rem saepius fieri solitam non omnem intelligi, sed de crebra eius rei actione unam quampiam alteramve sumi mente et fingi indicet: quam nobis rationem omnino assequi licet, veluti εἴ τις αὐτῷ — ἀντιλέγοι —, ἐπανῆγεν ἂν πάντα τὸν λόγον ὧδέ πως, Xenoph. Mem. IV. 6, 13, proprie est *wenn sive so oft ihm jemand widersprechen mochte;* singularique modo nos discernimus particulas

wann et *als*, nam ὁπότε ἀντιλέγοι est *wann er widersprach*, ὁπότε ἀντέλεγεν *als er widersprach*. Sed hoc in genere, quod additum hoc modo habet conditionem, plerumque in altera parte ἄν non adiicitur utpote fere supervacaneum: nec mentiri videatur, qui de singulis millibus talium locorum vix denos ἄν particulam habere contenderit; sed plerumque dicitur, uti Xenoph. Mem. III. 14, 1. ὁπότε — πολὺ ὄψον φέροιεν, ἐκέλευεν — non ἐκέλευεν ἄν — ὁ Σωκράτης, hoc est, *omnino solebat iubere*, ut in eo nulla ad singula quaedam tempora certasque conditiones relatio repetita sit. — Quod autem eorundem Temporum historicorum Indicativi cum ἄν praeterea alio longe modo ita usurpantur, ut rem non fieri aut factam esse intelligendum sit, illud quidem post planissimam G. Hermanni demonstrationem iam a nemine dubitari credimus, huiusmodi orationem ab eo de quo modo diximus genere Graecorum auribus nulla alia re differre visam esse, nisi singulari quadam pronuntiandi ratione, qua, quod vel e reliquis verbis vel ex ipsa rerum ratione aliunde nota colligi posset, sumta quae non essent poni, non narrari facta, id etiam idonea vocis temperatione quodammodo indicaretur. Nam ἐποίουν ἄν τοῦτο prorsus ut nostrum *das that ich allenfalls* ipsis verbis ambigue dictum est, solita res fieri intelligenda sit an non facta: quam ambiguitatem quum nos vocis tantum modulatione quadam et plerumque gestu quodam vel tollere vel certe minuere soleamus, graeca lingua secus quam nostra sententiae diversitatem etiam Modi diversitate notat ubi in altera parte conditionem addit, εἰ ἠδυνάμην, εἰ δυναίμην; quorum nobis, quamquam licet alterum accuratius exprimere *wenn ich's im Stande sein mochte*, tamen plerumque pariter utrumque dicimus *wenn ich's im Stande war*. Sed quum in omni hoc genere duae maxime res animadversione dignae sint, tum qua ratione in re sumta Indicativum usurpare placuerit, tum quomodo Tempora praeterita potissimum probata sint, etiam ubi res futurae spectarentur, nos, quamquam causae utriusque rei ita praeclare apertae sunt a G. Hermanno, ut immodeste facturus videatur qui praeterea aliquid desideret, tamen hoc subeamus periculum, quum illum, si modo aliquid haud improbabile ad illustrandum hunc locum attulerimus, facile veniam daturum esse speremus. Videtur autem nobis in hac re *duplex ratio* adhibenda esse, quarum una ad solum Tempus pertinet, altera cum Tempore

etiam Modum complectitur. Illam, quam tantum alio modo ab ipso Hermanno propositam esse videmus, paucis explicabimus. Etenim ubicunque sumitur factum aliquid esse quod non factum esse intelligitur, duae sunt partes discernendae, quarum fit mente comparatio quaedam. Unum est id ipsum, quod quamquam non factum esse intelligis sumis tamen factum esse; alterum est quod huic est contrarium, quod vere esse intelligis: appellemus illud brevius rem falso sumtam, hoc rem veram. Harum autem rerum quamquam simul utriusque in cogitatione mens versari videtur in omni istiusmodi assumtione, ut rem falso sumtam, v. c. *fecissem*, omnino cogitare nequeat, quin simul rei verae, *at non feci*, sibi conscia sit: tamen eas non tantum duas et diversas esse intelligit, sed etiam *temporis intervallum* quoddam, quod inter utramque aut potius inter perceptionem utriusque suam intercedat, sentire videtur. Videlicet ipsum quod sumtum est aut eius perceptio tempore prius videtur, ubi comparatur cum eo quod deinde intelligitur vere esse, quo posteriore prius illud arguitur falsum esse atque ipsum tollitur. Quare quum quaecunque isto modo falso sumta sunt, praecedant quamvis parvo intervallo conscientiam eius, quod vere est, adeoque praeterlapsa iam in mente sint, quum sequitur intellectus veritatis rei: ipsa natura rei fert, ut falso sumta ista omnia, quippe comparata praesenti conscientia veri, in omni oratione praeteritis Temporibus declarentur. Itaque aut fallor, aut haec causa est, cur omnes, quas equidem novi, linguae in rebus falso sumtis ita, ut assumtionem falsam veritatis conscientia comitetur, — quamquam in Modis variant, quem partim subiectivum, partim obiectivum adhibent. — Temporibus certe communiter omnes praeteritis utantur. Quodsi consecutionem istam temporum, quam commendavimus, valde eo labefactari dicas, quod nihil impediat quominus recte dicatur: *non venit* sive *intelligo eum non venisse; sed venisset, si potuisset*: hoc quidem facile est reiicere. Scilicet nihil impedit, quominus mens antea, quamvis brevi et obscuriore fortasse cogitatione, haec sola complexa, *venisset fortasse*, *at iam intelligo non venisse*, deinde hoc alterum potius spectans prius ponendum tradat linguae, *intelligo eum non venisse:* quae libertas naturalem cogitationum ordinem invertendi latissime patet. Is vero, quem nos supra demonstravimus in mente ordinem esse rei falso sumtae et rei verae, haud minus videtur

ab ipsa natura praescriptus esse, quam eadem fert natura, ut in intellecto errore praecedat error, sequatur errorem intellectus veritatis. — Verum haec ratio nescio an sola ad explicandum illum Praeteritorum usum non omnino sufficiat: sed suspicamur praeterea, praeterita ista Tempora *non simpliciter praeterita* habenda esse, sed quae ad futurum spectantia tempus significent, praeterito tempore aliquid futurum fuisse. Posse hoc ita esse certum arbitramur. Nota enim res est et plerisque, qui de Temporum usu accuratius praeceperunt, dudum observata, et praesens Tempus et praeterita nonnunquam ita poni, ut non quae iam fiant aut facta sint intelligi oporteat, sed quae futura sint aut futura fuerint. Ab hoc autem usu quominus illius, de quo iam quaerimus, explicationem repetamus, quid tandem impedit, nisi forte quod nimium haec opinio ab ea, cui diu omnes addicti fuerunt, sententia discrepare videatur? Quid enim dubitemus, ut nostro aliquo exemplo utamur, quin, quemadmodum nos plerumque dicimus *wenn ich darf*, *so komme ich*, ut id sit *si licebit*, *veniam*, simili omnino ratione hoc alterum dicatur *wenn ich durfte*, *so kam ich*, in hanc sententiam, *si liciturum erat*, aut potius, *si licebat*, *venturus eram*, quod sane latine solet dici, *si licuisset*, *venissem*. Ab hac autem ratione, si quid video, fere nihil differre existimanda est ea quam secuta est graeca lingua. Nam ἐποίουν ἄν, εἰ ἠδυνάμην prorsus uti nostrum, *wenn ich konnte*, *so that ich's*, hanc vim habet, *facturus eram*, *si poteram:* neque, ut mihi quidem videtur, temporis ratio diversa est, sive addita sive omissa est ἄν particula, de qua re secus statuit G. Hermannus de p. ἄν l. I. p. 71.: cuius omissionem particulae quum nonnunquam sane confidentiae orationis tribuendam esse concedam, aliis locis ad negligentiam quandam, aliis etiam ad simplicitatem quandam referendam esse puto, qua conditionis significatio ut minus necessaria facile omittitur. Qui autem factum sit, ut Praeterita hoc modo usurparentur, causa non obscura est. Etenim coegit ita naturalis quaedam necessitas, quod idonea via alia nulla pateret. Nam hoc ipsum *facturus eram*, *ich war thun werdend*, et quasi *ich wurde thun*, quoniam ἦν ποιήσων et ἐγενόμην ποιήσων usus minus ferret et alio certe modo probaret, non habebat lingua qui apte exprimeret, nisi auxilio uti placeret verbi μέλλειν: sed hoc ipsum ἔμελλον ἂν ποιεῖν primum paullo aliam saepe vim habere videbatur, ut

esset *in eo eram ut facerem*, non simpliciter *futurum erat ut facerem*; tum vero, quod haud parum valuisse credimus, multis locis etiam molestius ac languidius videri debebat, quum in multo istiusmodi formulae usu vel maxime brevitate et gravitate opus esset: quam ob causam etiam latinos scriptores fere fugisse credibile est talia, *si transeuntibus flumen supervenisset, haud dubie oppressurus fuit incompositos*, in quo sane *oppressurus fuit* nonnihil omnino differt ab *oppressisset*. Praeterea ad hanc rationem vel illustrandam vel commendandam tria monenda esse putamus. Ac primum quidem quod Imperfecta et Aoristos itemque Plusquamperfecta dupliciter usurpari reperitur, et in re facta et in re infecta, causa huius diversitatis iam planissima occurrit: etenim in re facta posita Tempora illa proprie posita sunt, ut ad res praeteritas pertineant, in re infecta minus proprie, ut ad ea, quae futura fuerunt, referantur. Deinde haec rei infectae declaratio simplicissimam et Temporis et Modi rationem habet. Nam quod futurum fuit, nisi deinceps factum esse additur, infectum mansisse necessario intelligitur: ex quo eius rei, quam etsi non factam esse scias tamen sumas factam esse, haec aptissima nascitur significatio, qua eam tantum futuram fuisse indices; quo sane accedit, quod praeclare a G. Hermanno est disputatum, conditionem, cuius plerumque per ἄν particulam significatio apposita est, non impletam intelligi. Modi autem indicativi non magis, opinor, obscura explicatio est. Etenim ubi futuri potissimum temporis notionem menti obversari reputaveris, facile occurrit, eo assumtionis non tantum speciem omnem tolli, sed revera mentem plane obiectivo modo non tam quae sua sponte sumat facta esse quamquam non facta sint cogitare, sed narrare quodammodo tamquam percepta ea, quae reapse futura fuerunt, ita quidem, si quid aliud accidisset. Ex quo etiam latina lingua si quando in hoc genere ipso futuro Tempore utitur, plerumque indicativum Modum tuetur, uti in illo: *Cacus — si agendo armentum in speluncam compulisset, ipsa vestigia quaerentem dominum deductura erant*, h. e. reapse futurum erat ut vestigia eum deducerent; nostra lingua, *die Spuren mussten ihn hinleiten*, non *sie würden*, quo res ad Caci opinionem referretur. Quod autem plerumque in hoc genere cum latina lingua tum nostra Coniunctivis utuntur, eae omissa obiectiva ratione subiectivae opinionis rationem adhibent, ut sumtam totam rem esse manifesto indicent: quam

demum ubi interest tollere assumtionis speciem, quo certior res videatur, amplectuntur obiectivum Modum, sed fere constanter nonnisi in rebus praeteritis, ut *ich that es*, *wenn ich konnte* eadem temporis ratione dicatur qua *ich hätt' es gethan wenn ich gekonnt hätte*, et *Caecina circumveniebatur, ni prima legio sese opposuisset* eodem fere tempore ac *circumventus esset;* a qua ratione perraro deflectitur, uti in Ovidiano illo, quod *F. Haasius* ad Reisigii Praelect. §. 289. attulit, *Solus eram, si non saevus adesset amor*, h. e. solus essem, sive omnino desertus essem. Praeterea vero nolim omitti, quod in hoc genere altera pars orationis habet Praeteritum, quae conditionem continet, id simpliciter Praeteritum habendum, non et ipsum videri ad futurum tempus referendum esse, ut εἰ ἠδυνάμην, ἐποίουν ἄν explicandum sit, *si poteram, consecuturum erat ut facerem:* ad quam legem et Francogallorum et nostra quaedam consuetudo accommodata est, *si je pouvois* — non *pourrois* —, *je le ferois;* quod *ferois* omnino est *eram facturus*, uti *je ferai sum facturus:* et similiter nos *wenn ich könnte* — non *können würde* —, *so würd' ich es thun.* — Superest ut ostendamus, quo maxime hanc quam proposuimus de Praeteritorum illo usu opinionem commendari putamus, optimam ea rei alioquin obscurioris explicationem commodari, quo discrimine in illo genere Graeci Imperfectum et Aoristum usurpaverint. Etenim quemadmodum ubi facta narrantur, quod nos communiter dicimus *ich that*, graece accurate discernitur in ἐποίουν, quo durans necdum perfecta, et ἐποίησα, quo perfecta et absoluta actio declaretur: ita etiam in re infecta, ubi quae futura fuerunt spectantur, utrumque Tempus eodem prorsus ac solo eo modo discernitur, nulla praeterea ratione habita varii temporis eius, in quod contrarium rei praeter veritatem sumtae incidere intelligitur, sed unius praesentis eius quo iam reperitur rem eam, quae futura fuerit, secus esse, sive non evenerit, sive non eveniat, sive non eventura sit. Itaque ἐποίουν ἄν, accuratius si rem expendis, hanc vim habet, *eram quodammodo facturus*, ἐποίησα ἄν *fui quodammodo facturus:* quorum in utroque nullum omnino est indicium, contrariumne sit cogitandum *at non feci*, an *at non facio*, an *at non faciam;* sed ea temporis ratio tota colligenda permittitur audientibus e rei cuiusque conditione, satisque habetur in re infecta, quatenus futura quodammodo fuerit, absolutionem discernere actio-

nis et durationem. Atque hanc rationem secuta etiam latina lingua in hoc genere nonnunquam Imperfecta habet, ubi Plusquamperfecta exspectabantur, cf. *Reisigii* Praelect. de gramm. lat. §. 301.: nam in illo *Neque enim Homerus — tantum laudis in dicendo Ulixi tribuisset, nisi iam tum honos esset eloquentiae* Imperfectum *esset* eam ob causam positum est, quod res durans intelligitur, *at iam tum erat honor*, non *fuit*; plane uti graece *οὐκ ἂν προέλεγεν, εἰ μὴ ἐπίστευεν ἀληθεύσειν*, hoc est, *at, uti nunc scimus, praedicebat, solebat praedicere*, non *praedixit*. Quodsi a grammaticis observatum est, solere sane a Graecis Imperfectum saepe ita poni, ut, quemadmodum latinum Plusquamperfectum, ad rem praeteritam pertineat — *ἐλάνθανεν ἂν latuisset, at non latuit* —, nec vero Aoristum ita, ut quemadmodum Imperfectum latinum, ad rem praesentem aut quae in praesentia futura sit referatur, — quasi *ἔλαθεν ἂν* esset *lateret, at non latet aut latebit* —: eius rei causam hanc esse putamus, quod, quae revera praeterita sunt, quoniam ipsa possunt et durantia et absoluta cogitari, eorum mens etiam in contrariis et durationem et absolutionem spectare potest — compara v. c. *Uti nunc intelligitur, non fecit, οὐκ ἐποίησεν; at quodammodo facturus fuit, ἐποίησεν ἄν; non faciebat, οὐκ ἐποίει; at facturus erat, ἐποίει ἄν* —: quae autem revera praesentia sunt aut ex praesenti tempore futura, quoniam natura sunt ipsa nondum absoluta, eorum etiam quae ponuntur contraria mens ut non absoluta videtur spectare debere et proinde etiam lingua eo tempore indicare, quo solet imperfecta, — compara, *Non facio, non faciam, οὐ ποιῶ, οὐ ποιήσω; sed quodammodo facturus eram, ἐποίουν ἄν* —. Quamquam non mirer equidem, si etiam hoc altero modo *ἔγραψα ἄν*, ut esset *scriberem*, reperiatur, quod credo equidem posse dictum esse simili *προλήψει* ac *non dixerim* usurpatur pro *non dico, non dicam*. Sed haec hactenus.

Dehinc institutum postulabat, ut iam ad subiectivos Modos rediremus, Coniunctivum et Optativum. Quorum quae supra de duplici utriusque potestate exposuissemus, ea iam ita exemplis illustrare propositum erat, ut etiam, quam tum *ἄν* particulae accessio, tum ligatae orationis nexus in temperanda utriusque Modi potestate varia vim haberet, accuratius per-

sequeremur. Nunc, quum iam urgere acceperimus typographum, ut omnis huius disputationis vela contrahi necesse sit, de hoc loco unam tantum rem attingere placet, quae ad ἄν particulam pertinet. Quod enim a multis quaesitum est, utrum eius adiectio particulae confirmare ipsorum vim illorum Modorum, an infirmare dicenda esset, nobis de ea re sic statuendum videtur; partim ἄν augere partim minuere vim in ipsis Modis illis insitam, sed certa lege eaque tum ipsius tum Modorum potestati consentanea. Etenim appetitivam utriusque Modi potestatem addita conditionis significatio debilitat, opinativam confirmat. Nam quae appetuntur, ita maiore cum vi appetuntur, si simpliciter et sine conditione appetuntur, quam si ad conditionem aliquam, ex qua pendeat appetitio, referuntur: contra quae quis aliquo modo opinatur, sive exspectando futura, sive libere fingendo mere opinabilia, eorum confirmatur quodammodo opinatio apposita conditionis significatione, quippe quae causae cuiusdam admonet, qua nitatur opinatio. Itaque illud ἐγὼ δέ κεν αὐτὸς ἕλωμαι minus longe graviter dictum est, *ich will mir allenfalls selbst nehmen*, quam esset omisso κέν; pariterque in illo ὥς κέ οἱ αὖθι γαῖα χάνοι particulae adiectio minuere videtur vim detestationis, *ihn mag allenfalls die Erde verschlingen;* quo longe graviorem habet optandi vim Τεθναίης, ὦ Προῖτ', ἢ κάκτανε Βελλεροφόντην Iliad. I, 137. VI, 281. 164.

De magna autem eius, qui praeterea supererat, loci copia vellem certe capita rerum accuratius exponere liceret. Constitueramus enim de iis, quae in Coniunctivo et Optativo maxime controversa essent, in contrarias partes disputare, quo deinde quid verum esset melius pateret. Itaque quum duo maxime ambigua viderentur; unum, diversine omnino illi Modi habendi essent, an ad eundem Modum ita referendi ut una temporis ratione differrent; alterum, quum duplex utriusque Modi potestas esset, utram in utroque primitivam esse quoque modo profectam esse alteram ab altera iudicandum esset: adhuc nos alteram tantum huius quaestionis partem et ne eam quidem totam persecuti sumus, ut et diversos illos Modos esse, et primitivam utriusque potestatem appetitivam, opinativam autem huius attenuatione quadam ortam defenderemus. Restabat igitur ut contra deinceps exponeremus, quibus rebus altera sententia commendari videretur, Optativum a Coniunctivo revera nihil differre nisi temporis ratione, primitivam

autem potestatem utriusque vel potius unius huius Modi eam esse, quam opinativam appellavimus. Eius vero loci explicationem ne totam reliquisse dicamur, certe paucis quid omnino sentiamus, iudicabimus.

Consentaneum supra videbatur, primitivam utriusque quem discernebamus Modi appetitivam potestatem esse, quippe quae in usu cerneretur simplicissimo, quum propria ipsius vis nulla omnino re, nec ἄν particulae adiectione nec ligatione ulla verborum, variata appareret. Istam vero quamvis non uno modo probabilem rationem tamen credimus speciosam magis quam veram esse. Occurrit primum, quod in antiquissimo Homeri sermone uterque Modus sine ἄν particula in libera oratione positus etiam opinativam nonnunquam potestatem habet, veluti in illis, *καί ποτέ τις εἴπῃσι, ῥεῖα θεός γ᾽ ἐθέλων καὶ τηλόθεν ἄνδρα σαώσαι.* Deinde valde incredibile est, triplicem antiquitus formam unius Modi appetitivi inventam esse: quae non tollitur dubitatio eo, quod quodammodo triplicem appetitionis rationem discernere licet. Denique vero, quum duplicem illam utriusque Modi potestatem fuisse certum sit, via et ratione, quam usus secutus sit, accuratius explorata omnino persuaderi videtur, potius appetitivam adaugenda vi opinativae, quam opinativam attenuanda vi appetitivae natam esse. Cuius rei ut unum nunc argumentum firmissimum attingamus, qua tandem alia ratione factum dicamus, ut in graeca pariter atque in aliis linguis optata eodem prorsus modo quo ea, quae per conditionem quandam sumuntur, efferri soleant? Scilicet *εἴθε γένοιτο, εἴθε ἐγένετο, wenn das doch geschähe, wenn doch das geschah, O mihi praeteritos referat si Iupiter annos*, haec, quibus optantes utuntur, a simplici assumtione *εἰ γένοιτο wenn es geschähe, εἰ ἐγένετο wenn das geschah*, nulla re alia differunt, nisi quod graviorem quandam et adauctam assumendi et fingendi vim habent talem, ut ad meram mentis cogitationem aut fictionem etiam animi sensus quidam et quasi desiderium, denique ethica quaedam vis accedat, quae assumtioni simul appetitionis speciem quandam ac vim conciliet. Tum vero in istiusmodi optatis *εἰ γένοιτο, εἴθε ἐγένετο* facile intelligitur imperfectam esse orationem sive *ἀποσιώπησιν* quandam; si quidem sentitur simul quod verbis non editur, *valde id gratum fuerit, quantopere gauderem*, similia: sed ea animi sensa, quorum in apodosi significatio fu-

tura erat post positam protasin, gravius longe reticentur solaque mente versantur, quam possent verbis edi. Atque ex hoc fonte non dubitamus quin omnis illius varietatis explicatio ducenda sit, quae in duplici utriusque Modi potestate cernitur. Discretio autem utriusque generis specie simillimi, quamquam multis modis adiuvari potest oratione varie conformanda, nonnunquam una efficitur pronuntiandi ratione, et ubi addita et ubi omissa est particula assumtiva: veluti *εἰ γένοιτο* simpliciore et leviore quodam modo pronuntiatur quemque quasi languidior ipsius mentis cogitatio afferre videtur, ubi simpliciter sumitur, *si veniat;* contra graviore longe modo quique intimi animi commotionis cuiusdam significationem habet, ubi intelligitur, *utinam veniat:* pariterque sine particula quod nos dicimus *käme er doch* diverse pronuntiatur, prouti aut hoc sentimus, *qui si tamen veniat;* aut hoc, *utinam veniat.* Sed haec hactenus.

Nam profitendum est praeterea, cogere videri rationem, ut Coniunctivum et Optativum revera Modum ipsum eundem esse statuamus opinativum vel assumtivum, erroreque factum esse quamvis antiquo, ut diversis nominibus tamquam dispares secretae sint formae, quarum utraque opinationem vel assumtionem, sed eam altera e praesenti, altera e praeterita cogitatione aptam declaret. Quam sententiam hodie multis probatam partim certe et subtilius et copiosius defendi et commendari posse credimus, quam adhuc a nonnullis factum est, etsi nova omnino argumenta vix videantur proferri posse. Unum argumentum haud contemnendum ratio hoc offert, quod permirum esset, si una lingua ex omnibus opinativi Modi duplicem formam haberet: id quod etiam incredibile videri necesse est, si demonstrari possit, quod nos posse demonstrari putamus, unum et simplicem Modum opinandi non tantum satis esse, sed plures ne posse quidem esse, qui autem dicantur duo esse graeci, eorum discrimen nihil omnino pertinere ad id in quo ipsius vis et natura posita sit Modi, sed totum ex alia re pendere, cuius accessione Modorum ratio varie temperetur. Hanc vero, ut modeste loquamur, suspicionem quum sponte ac ne quaerentibus quidem ratio movere videatur, duae res occurrunt, quae communi testimonio suo gravissimo nihil aliud quam temporum varietatem esse confirmant, ex qua omne illud duarum, quas in graecae linguae grammatica unius Modi opina-

tivi fecerunt, partium discrimen explicandum sit, qua vel neglecta vel non satis intellecta temporum ratione omnem illum de Coniunctivo et Optativo errorem ortum ac propagatum esse. Sunt autem testimonia illa in ipsorum horum, quos discreverunt, Modorum tum *specie* et *forma*, tum *usu* et *constructione:* quorum utrumque tantum non clamat, Coniunctivum ad praesentis, Optativum ad praeteriti temporis rationem referendum esse. Melius hodie quam ullo tempore intellectum est, in formis verborum effingendis non nescio quam temeritatem ac licentiam, sed admirabilem quandam rationem et quasi naturalem sapientiam hominum ingenia quamvis nescia tamquam divinam aliquam ducem secuta esse. Quod cui persuasum est, qui tandem casu factum putet, ut Optativis terminationes personales tributae sint simillimae ac partim eaedem atque Praeteritorum quae historica appellantur Indicativis, Coniunctivis autem fere eaedem ac Praesentis temporis eorumque quae ab hoc pendent temporum Indicativis? quod si non casu, sed ratione factum esse concedi oportet, idonea ratio alia certe excogitari nequit, nisi quod intellectum est quamvis obscure, Optativos illos, quos appellare placuit, ad ipsius praeteriti temporis, Coniunctivos ad praesentis temporis rationem quandam pertinere, adeoque ἱσταίην ad ἵστην, διδῶτον ad δίδοτον referendum esse. Et quum in hoc genere variarum linguarum similitudinis comparatio non minorem saepe utilitatem quam voluptatem afferat, unam hoc loco rem satis, ut puto, memorabilem attingere lubet, quae nescio an alios latuerit. Doceri solet, Optativi Modi tamquam χαρακτῆρα esse ι vocalem. Eius qui originem quaerere audeat, nimis videri potest curiose facere. Tamen quid nobis in mentem venerit, dicamus. Neque enim consentaneum videtur, aliunde invectam illam ι vocalem ac tamquam de coelo delapsam esse, sed facillimam duxisse originem putamus certis quibusdam vocalibus leniter declinandis eodem prorsus modo, quo nostra lingua ex *kam*, *bog* Coniunctivos fecit *küme*, *böge*. Quod quo magis pateat, antiquissimae quae fuisse videtur coniugationis in μι exemplum adhibendum est: ἱστα — ἱσται, τιθε — τιθει, διδο — διδοι —. Quae si accuratius inquiras non tantum hoc docent, Optativi fingendi causa non tam novam vocalem adhibitam, quam eam quae esset paullo declinatam esse, uti in nostro *kam* — *küme;* sed etiam, quod magis praeter exspectationem accidit, nota-

tionem Optativi, sive Opinativi temporum praeteritorum, pariter ac nostra in lingua antiquitus non adsciticia aliqua syllaba effectam esse, sed varianda vocali tali, quae cuiusque verbi propria esset: nam quod in ἵσται — est αι, id iam ortum esse apparet α vocali, quae ipsa propria est ἱστάναι verbi et radicalis, leniter declinata, uti nostrum *a* in voce *lag* declinatur in *ä*: inde etiam ex ἔην factum est εἴην. Verum hanc rationem qui probarit, praeterea simplicissima intellexerit graecam linguam lege usam esse in discernendo per vocalium varietatem praesentium et praeteritorum Temporum Modo opinativo, ut in Praesentium Opinativo *produceret* simpliciter ultimam vocalem τιθε-τον, τιθη-τον, διδο-τον, διδω-τον, in Praeteritorum Opinativo autem eandem *declinaret* ἱστα-μην, ἱσται-μην, ἐδιδο-μην, διδοι-μην: declinationem autem eandem intelligi volumus quam nostri grammatici dicunt *Umlautung*. Haec autem quum antiquissima lex fuisse videatur, quibus modis ab ea deflexum sit, nunc nihil attinet quaerere: certe in iis verbis, quorum themata non in vocales desinerent, simile quiddam instituere placuit, ut eas vocales, quas ad connectendas terminationes personales cum ipso themate cuiusque verbi adhiberi necesse esset, similiter temperarent, λεγ-ο-μεν, λεγ-ω-μεν, λεγ-οι-μεν, sed ut in Imperfecti hoc Opinativo sive Coniunctivo non fieret ex λεγ-ε-τε, λεγ-ει-τε, sed servata ο vocali λεγ-οι-τε. — Quod autem Coniunctivum et Optativum, qui dicuntur, unius Opinativi diversa Tempora esse etiam *ex usu et constructione* utriusque apparere diximus, id ut accurate demonstretur et repugnantibus persuadeatur, ita longam nobis quidem explicationem poscere videtur, ut hoc loco ne attingere quidem audeamus. Et quaedam sane etiam breviter indicata si non persuadere, certe viam ad persuadendum aperire poterunt tutissimam. In his unum est iam diu illud quidem per omnes grammaticas decantatum, sed minime omnium contemnendum, quod, si a confusione quadam temporum discesseris quae nec ipsa ratione caret, constanter ita, quae opinativo Modo ad praeterita Tempora referuntur, Optativo, quae ad praesentia, Coniunctivo declarantur: ex quo genere sunt illa οὐκ ἔχω ὅποι τράπωμαι, οὐκ εἶχον ὅποι τραποίμην. Huius vero consuetudinis audacter contendimus, utcunque in peculiari et sua aliqua utriusque formae potestate qualicunque defendenda te verteris et torseris, idoneam quaeque rationi ab

omni parte consentanea sit explicationem nulla arte nullaque machina neque elici neque extorqueri posse; sed unam esse rationem simplicem et veram, quae utramque formam uni Modo attribuat opinativo sola temporis diversitate variabili eius, in quam cadit de quaque re opinatio: nec diffitemur, superiorem disputationem nostram, qua ipsum opinandi modum in Coniunctivo et Optativo diversum esse defendere conabamur, vel maxime in hoc loco, si ad eum pervenissemus, laboraturam frustraque, quod sobrie iudicantibus satisfaceret, exquisituram fuisse. Verum enim vero cum huius, tum omnis qui praeterea est Coniunctivi et Optativi usus varii ac multiplicis ratio ut accuratius explicetur, subtiliorem opus est de temporum ratione, quam mens in praeformanda varia opinationis significatione sequatur, disputationem institui; in qua dici non potest quantum prosit vernaculae consuetudinis causas ac leges diligenter inquisivisse, in quibus explorandis unice contingit ut doctrinam per se inopem ac parum valentem is quem ipsa natura animis ingenuit sensus veri ac recti tamquam viva vi sua adiuvet. Hoc vero loco, de quo imprimis Herlingii praecepta nobis placuerunt, diligenter explicato de temporum ratione, vix quidquam fore credimus in Graecorum Modo opinativo, quin facile expediri ac plane intelligi queat. Atque ipsa quae difficillima alioquin videantur, facilem ita explicationem habebunt, praesertim si duae res in hac praeceptione gravissimae accurate observentur, ut et, a quo tempore in opinativo quoque dicendi genere opinatio proficiscatur, prudenter dispicias, nec in Praeteritorum Opinativo sive Optativo, quae usitatissima est, πρόληψιν temporis usquam omittas. Veluti in hoc, *οὐκ ἂν ὁμολογοίην*, opinatio est praeteriti temporis, plane uti in nostro *ich möchte* sive *ich würde nicht beistimmen;* quasi verba ista haec sive praecesserit sive comitetur cogitatio, *modo putabam hoc*, *τὸ ἐμὲ οὐχ ὁμολογεῖν*: *οὐκ ἂν ὁμολογήσαιμι* autem, si non ad rem vere praeteritam pertinet ut sit *non concessissem*, *προληπτικῶς* dictum erit prorsus uti latinum *non concesserim* et fere ut nostrum *ich möchte nicht beigestimmt haben*, quod tamen haud paullo gravius est propiusque accedit ad aliud illud genus poetis tragicis usitatum *οὐκ ἂν ὁμολογήσας ἔχοιμι, ἑλὼν ἔχει πόλιν.* Tum vero Coniunctivum Aoristi totum patebit *προληπτικόν* esse, ut praesentem opinationem talem indicet, in qua res in praesentis temporis conditione

demum futura mentis praeceptione quadam quasi iam acta et praeterita ponatur, uti fit in latino Futuro exacto: ὃς ἂν ποιήσῃ, ζημιωθήσεται, *qui fecerit punietur*, quod ab ὃς ποιήσει, ζημιωθήσεται, *qui faciet punietur*, non differet, nisi quod alterum, ποιήσει, parum illud in hoc genere usitatum, Modo obiectivo et proprio Tempore, ποιήσῃ cum subiectivae opinationis significatione et simul cum temporis futuri προλήψει quadam dictum erit. Οὐκ εἶχεν ὅ τι ποιήσοι autem ab οὐκ εἶχεν ὅ τι ποιοίη eodem modo different quo latina *nesciebat quid faceret* et *nesciebat quid facturus esset*. Denique, de quo genere supra disputatum est, ἔπαιζε ἂν et ποιοίη ἂν dici non potest quam ita similia exsistant nostris *er that es allenfalls* et *er thät' es allenfalls*; quae pariter sunt utraque eiusdem Temporis, sed diversi Modi. Sed haec hactenus.

HERMANNI SAUPPII

PH. DR. PROF. GYMN. TURIC. ET BIBLIOTH. PRAEF.

EPISTOLAE CRITICAE

DUAE.

HERMANNUS SAUPPIUS

S. D.

IOANNI HENRICO NEUKIRCHIO

CURONO

PROFESSORI KIOVIENSI.

Hoc in vero amore dulce solatium est, ut cuius tu imaginem fixam animi penetralibus imis teneas, eum etiam tui non immemorem esse certo confidas. Ita te memoriam Lipsiae ad Borysthenem usque secutam esse scio nomenque meum et amicorum nomina communium, Hermanni Funkhaenelii et Ludovici Rossii, a Mnemosyne, alma matre, haud raro tibi non invito insusurrari. Num quid igitur miraris, me nunc per literas facere, quod Lipsiae domi tuae prope aedem S. Nicolai caldum chinense sorbentes saepissime fecimus, ut quod quisque vel opera sua invenisse videretur vel in quo sibi ipse parum satisfaceret, cum amicis communicaret?

Agam vero tecum de loco Platonis, quo ordinem huius rerum naturae omnem compluries mutatum et conversum esse exponit, Politici p. 268. E. sqq. Quam valde enim Platonem ames et quam accurate eum pertractaveris, et ego novi et quis nesciat qui Quaestiones philologicas tuas legerit.

Postquam Eleates et Socrates adolescens acriter dividendo artem regiam denique invenisse sibi visi sunt (p. 267. B.), Eleates denuo dubitare incipit atque se timere dicit, ne hominem politicum, qualis sua aetate sit, non invenerint. Quum enim armentarius in curando grege sibi ipse sufficiat, partem curae gregis humani sibi vindicare agricolas, partem medicos, partem alios (p. 267. E. sqq.). Se videri potius deum aliquem humani generis moderatorem et curatorem informasse, quam hominem eorum quorum curam gereret ipsum simillimum (p. 274. E.).

Fuisse enim quidem aetatem, qua rectores humani generis dii ipsi fuerint vel daemones naturae divinae multo quam humanae similiores (cf. p. 271. E.), sed eius aetatis vix obscuram memoriam superesse fabularum popularium involucris obumbratam. Aptissime contuleris, quae de legg. IV. p. 713. D. exponuntur: *φήμην τοίνυν παραδεδέγμεθα τῆς τῶν τότε μακαρίας ζωῆς — ἀπειργάζετο γένη.* Adde Critiae p. 109. A. sqq. et Zeller. stud. platon. I. p. 45. Eam vero aetatem cur re vera aliquando fuisse credere nos oporteat et qualis fuerit, Eleates, Zenonis et Parmenidis sectator (Sophist. p. 216. A.), accurate explicat.

Eodem semper manere loco neque unquam vel moveri vel mutari non est nisi naturae divinae; in quibuscunque corporei aliquid inest ea moventur, sed ut motu eo constantiore atque simpliciore ferantur, quo minus in iis corporei insit. Atque mundus multis quidem ab auctore virtutibus eximiis ornatus est, sed cum corpus habeat non potest non moveri. Fertur vero motu simplicissimo, circulari. Cf. A. Boeckh. de platonico systemate coelestium globorum p. IV. sq. Per se autem nihil semper movetur, nisi summa omnis motus caussa, Deus. Cum igitur mundus neque unquam possit non moveri neque semper per se ipse moveri, res ita instituta est, ut modo Deus cursum mundi dirigat, modo ubi ad certum pervenerit terminum, cursum eum, quem a Deo rectus confecerat, se ipse dirigens repetat, ita ut motu priori illi contrario feratur. Ita ubi ad eum locum, unde moveri Deo moderante coeperat, redierit, Deus denuo habenis collectis cursum moderari incipit. Quoties vero cursus mundi ita invertitur, fieri non potest quin etiam ea quae in mundo sunt valde turbentur et immutentur. Ita quum postremum Deus ipse mundi imperium recuperasset atque mundus iamiam motu et priori et ei, quo nunc per se ipse fertur, contrario ferri inciperet, hominum subito aetas stetit neque in posterum indies maiores et aetate provectiores, sed indies et minores et iuniores fiebant. Mundi enim motu mutato etiam hic motus in aetatis humanae progressu conspicuus inversus est. Tum igitur mors aderat, ubi et corpore et animo ad primam infantiam pervenissent. Corporis denique tam parvi facti, ut prorsus evanesceret, atomos terra suscipiebat. Corpora vero eorum, qui in priore mundi cursu mortui neque alii a Deo sorti destinati essent, (p. 271. B.: *ὅσους μὴ*

θεὸς αὐτῶν εἰς ἄλλην μοῖραν ἐκόμισεν, cf. Phaedr. p. 249. A. *πλὴν ἡ τοῦ φιλοσοφήσαντος ἀδόλως ἢ παιδεραστήσαντος μετὰ φιλοσοφίας· αὗται δὲ τρίτῃ περιόδῳ τῇ χιλιετεῖ, ἐὰν ἕλωνται τρὶς ἐφεξῆς τὸν βίον τοῦτον, οὕτω πτερωθεῖσαι τρισχιλιοστῷ ἔτει ἀπέρχονται.* Timaei p. 42. B.: *καὶ ὁ μὲν εὖ τὸν προσήκοντα βιοὺς χρόνον, πάλιν εἰς τὴν τοῦ ξυννόμου πορευθεὶς οἴκησιν ἄστρου βίον εὐδαίμονα καὶ συνήθη ἕξοι.*) pristinam sub terra formam recipiebant et resuscitata e terra prodibant ea ipsa aetate, ad quam pervenerant cum moverentur. Deinde denuo indies iuniores facti denique denuo terram subibant. Quoties vero quisque ita terram subire ex eaque prodire posset, a Deo constitutum erat. Haec erat aetas aurea. Uti enim Deus totum mundum moderabatur et dirigebat, sic singuli quidam Dii minores atque Genii singulis mundi partibus praeerant, quorum quisque iis, quorum sibi cura demandata esset, omnia quae necessaria essent suppeditaret. Uti mundus Deo motus curam gerente omnis curae atque laboris ipse immunis erat, ita homines quoque, nulla vel liberos et gignendi et educandi, vel victus parandi, vel vitae ab hostium bestiarumque impetu tuendae cura vexati perpetua perfruebantur felicitatis aequabilitate. Sed cum homines illi, quos terrae filios nominant, toties terram subiissent, quoties ut subirent constitutum erat, atque mundus a Deo ad terminum constitutum perductus esset, Deus remissis frenis permisit, ut mundus se ipse dirigens iter modo decursum repeteret: in quo quidem repetendo etiam nunc occupatus est. Ab initio memor adhuc divini regiminis accurate et ordine processit, sed magis magisque naturae corporeae turbulentia pristina, quae fuerat priusquam Deus hunc rerum ordinem instituit, divino regimine vix repressa, rursus valere coepit (cf. Tim. p. 30. A. *ὁ θεὸς — πᾶν ὅσον ἦν ὁρατὸν παραλαβὼν οὐχ ἡσυχίαν ἄγον ἀλλὰ κινούμενον πλημμελῶς καὶ ἀτάκτως, εἰς τάξιν αὐτὸ ἤγαγεν ἐκ τῆς ἀταξίας*). Motu vero mundi mutato etiam aetas atque vita animantium aliter moveri coepit. Quorum corpus tam parvum factum erat, ut iamiam evanescere et terram subire vellent, ii mutato rerum ordine adolescere et senescere coeperunt; si qui vero eo ipso tempore, quo motus mundi immutaretur, sub terra resuscitati senili aetate prodibant, vivere non poterant, sed statim rursus mortui sunt. Sed uti mundus se ipse dirigit suumque cursum ipse moderatur, ita homines quoque ipsos gignere, ipsos omnia

acquirere oportet; quod cum primum nescirent quomodo efficerent, Deorum beneficio artes iis concessae sunt. Olim vero mundo ad carceres revoluto Deus eum rursus regere incipiet ac *toto surget gens aurea mundo* (Virgil. ecl. 4, 9.).

In hac Eleatae narratione multa scis inesse, mi Neukirchi, vel parum emendata vel haud recte explicata.

Primum p. 270. A. haec leguntur: *τοτὲ δ' ὅταν ἀνεθῇ, δι' ἑαυτὸν αὐτὸν ἰέναι, κατὰ καιρόν, ἀφεθέντα τοιοῦτον ὥστε ἀνάπαλιν πορεύεσθαι πολλὰς περιόδων μυριάδας διὰ τὸ μέγιστον ὂν καὶ ἰσορροπώτατον ἐπὶ σμικροτάτου βαῖνον ποδὸς ἰέναι.* In his primum *δι' ἑαυτοῦ* ex Eusebii praep. evang. IX. 32. iure recepit G. Stallbaumius. Deinde cum F. Schleiermachero Stallbaumius, Bekkerus, triumviri turicenses verba *κατὰ καιρὸν* ad ea quae praecedunt pertinere sibi videri interpungendo indicarunt. Quo sensu? Schleiermacherus vertit *so gut sie kann;* graece igitur *κατὰ καιρὸν* sic dici potuisse videtur existimasse, uti nos dicimus *nach Gelegenheit.* Sed noctuae atticae graviter renuunt. Deinde ea quae sequuntur ita valde inconcinna sunt. Nam post *τοιοῦτον ὥστε* non ea leguntur, quae ratione aliqua dimittendi efficiantur, sed ad naturam mundi perpetuam pertineant. Parum recte igitur dicitur *ἀφεθέντα τοιοῦτον, ὥστε.* Sed in itinere describendo primum vel spatii vel temporis mensuram requirimus, deinde is qui iter faciat quomodo eat indicandum est. Prius illud hic indicatur verbis *κατὰ καιρὸν ἀφεθέντα τοιοῦτον, ὥστε — μυριάδας,* *e o t e m p o r e dimissus est mundus, ut iter emensum remetiendo multa milia annorum consumat.* Quam celeriter progrediatur, iis quae sequuntur exprimitur. Atque possis putare, post *διὰ* libros ΧΓΔΠΣΥ recte particulam *δὲ* addere, ita ut sensus hic sit: *ut —, quod vero maximus sit et quam maxime aequilibris, lentissimo gradu procedat.* Nam et neutrum *ὂν — βαῖνον* pro eo quod exspectabas *ὄντα — βαίνοντα*, ita defendere possis, ut *τὸ πᾶν* scriptoris animo obversatum esse dicas, et ipsum illud participium *ὂν* infinitivi fere loco positum locis satis idoneis tueri queas. Vide sis Thucyd. V. 7: *οὐ βουλόμενος αὐτοὺς διὰ τὸ ἐν τῷ αὐτῷ καθημένους βαρύνεσθαι ἀναλαβὼν ἦγεν.* IV. 63: *διὰ τὸ ἤδη φοβεροὺς παρόντας Ἀθηναίους.* VIII. 105: *διὰ τὸ κρατήσαντες ἀδεῶς ἄλλοι ἄλλην ναῦν διώκοντες* — sic enim cod. ABF pro *διώκειν.* Poppo proleg. I, 1. p. 150. Plato ipse de legg. IX. p. 831. E.: *αὕτη*

μὲν, inquit, — *μία κεῖσθω διακωλύουσα αἰτία τοῦ — ἐῶσα δοκεῖν*, ubi Astius *τοῦ* delevit, Bekkerus iure retinuit. Civit. I. p. 346. B. pari modo dixit: *διὰ τὸ ξυμφέρον αὐτῷ πλεῖν ἐν τῇ θαλάττῃ*, testibus codd. ΧΘΠΦDKvt et pr. Ξ. Quod cum parum intellectum esset, substituerunt *ξυμφέρειν*. — Sed si locum Politici sic explicare volueris, rationem valde contortam sequi iure dicaris. Quare dico scribendum esse *διὰ δή*, hoc sensu: *quippe quod id, quod maximum est et quam maxime aequilibre, lentissimo gradu procedens eat.* Haec verba vero *ἐπὶ σμικροτάτου βαῖνον ποδὸς ἰέναι* ex poeta videntur desumta esse.

p. 271. D. *τότε γὰρ αὐτῆς πρῶτον τῆς κυκλήσεως ἦρχεν ἐπιμελούμενος ὅλης ὁ θεός, ὡς νῦν κατὰ τόπους ταὐτὸν τοῦτο ὑπὸ θεῶν ἀρχόντων πάντῃ τὰ τοῦ κόσμου μέρη διειλημμένα· καὶ δὴ καὶ τὰ ζῷα κατὰ γένη καὶ ἀγέλας οἷον νομῆς θεῖοι διειλήφεσαν δαίμονες.* In his verbis aliquid turbatum esse recte viderunt F. Schleiermacherus et Stallbaumius, sed ne si quidem intellexerunt, de daemonibus qui nunc singulas terrae partes tueantur et regant certe hic cogitari non posse. Cf. p. 272. E.: *πάντες οὖν οἱ κατὰ τοὺς τόπους συνάρχοντες τῷ μεγίστῳ δαίμονι θεοί, γνόντες ἤδη τὸ γιγνόμενον, ἀφίεσαν αὖ τὰ μέρη τοῦ κόσμου τῆς αὐτῶν ἐπιμελείας.* Verba igitur *ὡς νῦν* corrupta sunt. Corrigo *εἶτ' ἦν*, ita ut *πρῶτον — εἶτα* sibi respondeant. Cf. p. 299. B. — In iis quae sequuntur A. Iahnius, vir amicissimus, symbol. philostrat. p. 127. *διειλήχεσαν* scribi voluit, coll. Ruhnk. ad Tim. p. 80., eamque coniecturam in anecdot. graec. fasc. I. p. 87. sqq. testimonio Damascii (comment. in Plat. Parmen. cod. monac. 5. fol. 287. b.) confirmare studuit: *οἶδε τὸ τοιοῦτον εἶδος τῆς προνοίας ὁ Πλάτων, ἐν πολιτικῷ τοὺς τὰ μέρη τοῦ κόσμου διαλαχόντας ἐν τῇ Κρόνου περιόδῳ δαίμονας εἰσηγούμενος.* Mihi vero *διειλήφεσαν* non magis displicet, quam *διειλημμένα*, quod praecessit, eodem sensu dictum. Cf. Alcib. II. p. 140. B.: *ἔχουσι δ' οὖν διειληφότες δημιουργίας μέρη.* Lysias 12. §. 7.: *διαλαβόντες δὲ τὰς οἰκίας ἐβάδιζον.* Demosthenes 34. §. 37: *οἱ δ' ἐν τῷ Πειραιεῖ ἐν τῷ νεωρίῳ διελάμβανον* (sic Σ) *κατ' ὀβολὸν τοὺς ἄρτους.* Damascium, quem apparet haec memoriter referre, verbo quod est *διαλαγχάνειν* usum esse non miror neque me sollicitum habet. Saepissime enim philosophos eius aetatis de mundo inter daemones distributo hoc verbo usos esse memini.

p. 272. E. apud Bekkerum haec leguntur: *καὶ τὸ γήϊνον ἤδη πᾶν ἀνήλωτο γένος, πάσας ἑκάστης τῆς ψυχῆς τὰς γενέσεις ἀποδεδωκυίας, *καὶ ὅσα ἦν ἑκάστῃ προσταχθέντα, τοσαῦτα εἰς γῆν σπέρματα πεσούσης.* G. Hermannus ad Viger. p. 739.: In Politico p. 272. E., inquit, *ψυχὴ* dicitur *σπέρματα πεσοῦσα εἰς γῆν* i. e. vita recidisse in terram sic, ut semen esset alius vitae, et sic deinceps saepius. Eum sequitur E. Schneider ad Pl. Civit. t. 2. p. 295, sed neque Phaedon. pag. 104. A.: *ὄντος οὐχ ὅπερ τῆς τριάδος*, neque ea exempla, quae Schneider collegit, efficiunt, ut credam praedicatum genitivis quos dicunt absolutis additum casu nominativo poni posse. Plato Phaedonis l. d. scripsit *οὗπερ*, quod Heindorfius voluit; Civit. VII. p. 527. B. aut *τοῦ ποτὲ γιγνομένου καὶ ἀπολλυμένου* aut, quod malim, *τοῦ ποτέ τε γιγν. καὶ ἀπολλ.* legendum est, Origenes scripsit *ἔργου*: apud Galenum *οὐδὲν* accusativus est, quem dicunt adverbialem. Alii homines docti *πεσούσης* corrigi voluerunt: I. Cornarius Eclog. p. 33. *διδούσης*, H. Stephanus *δούσης*, Fr. Astius *νεμούσης* coniecit. Atque errat quidem F. Schleiermacherus, qui p. 519. dicit, cum terrae filii non iam futuri sint, semina cur in terram demittantur non intelligi: nam olim redibit hoc terra satum hominum genus: cf. p. 273. D. Sed haec omnia falsa sunt, quia terrae illi filii gignendi prorsus nullam gerunt curam: p. 272. A.: *ἐκ γῆς γὰρ ἀνεβιώσκοντο πάντες*, cf. p. 274. A. Videamus igitur quid libri scripti habeant. *Καὶ* ante *ὅσα* et *προσταχθέντα τοσαῦτα* debentur I. Cornarii coniecturae. Libri MSS. omnes *καὶ* omittunt, deinde *ΧΓΔΛΞΣΥ* et pr. *ΠΒ προσταχθέντος αὐτά*, *E προσταχθέντος αὐτὰ* (ῆ), *F προσταχθέντος* (α) *αὐτὰ*, *CH*, corr. *ΠΒ*, et aldina *προσταχθὲν τοσαῦτα.* Atque hoc, quod libri habent, una literula mutata verissimum est. Concedes enim me recte sic legendum esse vidisse: *πάσας ἑκάστης τῆς ψυχῆς τὰς γενέσεις ἀποδεδωκυίας, ὅσα ἦν ἑκάστῃ προσταχθέν, τοσαῦτα εἰς γῆς σπέρματα πεσούσης.* cf. Phaedon. p. 83. D.: *ὥστε ταχὺ πάλιν πίπτειν* (*τὴν ψυχὴν*) *εἰς ἄλλο σῶμα καὶ ὥσπερ σπειρομένη ἐμφύεσθαι.* Verba *ὅσα — ἦν πεσούσης* eorum quae praecedunt *πάσας — ἀποδεδωκυίας* explicationem continent. *Γηγενεῖς* illi adulti e terra prodibant, iuvenescebant, terram subibant, deinde resuscitati prioris vitae immemores rursus adulti prodibant. Ita per omne tempus ille

rerum ordo durare potuisset, nisi constitutum fuisset, quoties quaeque anima in corpus intrare deberet. Vides, quam apte haec cum iis cohaereant, quae Plato aliis locis de periodis illis mille annorum exposuit: Phaedr. p. 249. A. Civit. X. p. 619. C. *Γηγενεῖς* vero illi quin recte *γῆς σπέρματα* dicantur (de plurali cf. Soph. Oed. Col. 1270: *ὦ σπέρματ' ἀνδρὸς τοῦδε.* Plat. Legg. IX. p. 853. C.: *ἀνθρώπων σπέρμασι νομοθετοῦμεν.*) certe tu non magis dubitabis, quam quin praepositio *εἰς* ante *ὅσα* per leges sermonis graeci bene abesse possit. Valde vero gaudeo, quod triumviri turicenses Platoni emendando hanc meam coniecturam assensu suo illustraverunt. Paullo post (p. 273. A.) cum Simplicius taurinensis A. Peyronis (Empedoclis et Parmenidis fragm. p. 12 sq.) *ξυμβαλλὼν* habeat, auctor sim ut legatur: *ὁ δὲ μεταστρεφόμενος καὶ συμβαλὼν ἀρχῆς τε καὶ τελευτῆς ἐναντίαν ὁρμήν, ὁρμηθεὶς σεισμὸν — ποιῶν — ἀπειργάσατο.* Sic enim haec distinguenda sunt.

Sed cum ita de singulis viderimus, alia eaque gravior quaestio restat. Quaeris enim quomodo Plato fabulam pulcherrimam composuerit, utrum ex fonte ingenii sui uberrimo hauserit, an fabulis quibusdam popularibus vel Graecorum vel aliorum eam superstruxerit. Atque Plato ipse tres narrationes fabularum graecarum testes illius rerum conversionis exstare et per vastos temporum gurgites memoriam alius rerum ordinis ad nos propagasse dicit. Ad illum enim ordinem huic nostro contrarium pertinere ea, quae de solis cursu Atrei temporibus mutato, de aurea aetate, de hominibus terra satis narrentur (p. 269. A.). Sed nisi fallor alia quaedam prima quasi semina continet, ex quibus lepidissimi inventi germina assurrexerunt.

In hoc aequabili temporum decursu homines ipsa naturae suae fragilitate admoniti et quasi coacti sunt, ut inciderent et certis terminis fixis particulas quasdam temporis includerent. His inter se iunctis temporis sempiternam aequabilitatem metiri eiusque decursum mente comprehendere posse sibi videbantur. Et ad quod faciendum homines natura sua ipsorum impulisset, eius quasi imaginem sidera motuum vicissitudinibus referre videbantur. Sed cum ita diebus, mensibus, annis tempus metiri didicissent, intelligere coeperunt postea, harum minutarum temporis particularum coniunctione magnas quidem quasdam atque diuturnas partes effici posse, sed quae ad

aeternitatem aliquam temporum, de qua cogitare coepissent, minimae essent. Aeternum enim esse aliquid, cum sensus quidam pectoris humani obscurus cupere iubet, tum temporum praeteritorum diuturna memoria facit ut speremus. Sed quid hoc sit quod est aeternum, nec quisquam unquam homo mortalis mente concipere potuit neque unquam poterit. Magna quaedam et maxima temporum spatia parvis mente coniunctis efficimus et maximorum illorum spatiorum longa serie coniuncta etiam maiora, sed quae finibus quibusdam inclusa sint: nam infinitum aliquid finibus circumscripta natura humana cogitare non potest. Atque siderum accurata et perpetua contemplatio facile invenit, etiam in siderum motu esse quasdam his minutis spatiis maiores periodos: de qua re bene exposuit I. W. Pfaffius in diurnis matutinis a. 1832. 211 sqq. Ita primi Aegyptii et periodum canicularem, quae annis vulgaribus MCCCCLXI. vel tribus periodis Phoenicis annorum vulgarium circiter quingenorum constaret, constituerunt (cf. L. Ideler chronol. vol. I. p. 124 sqq.), et Apidis periodum viginti quinque annorum (Ideler l. d. p. 182.), et utraque periodo coniuncta magnum annum annorum vulgarium 36525 (Ideler p. 191.). Haec cogitatio magni anni deinde per omnem antiquitatem propagata est: cf. H. Lindenbrog. ad Censorinum p. 97 sq. Quando vero magnum annum finiri aliumque incipere cogitaverint, docet Cicero de Nat. deor. 2. §. 51: quarum ex disparibus motionibus magnum annum mathematici nominaverunt, qui tum efficitur, cum solis et lunae et quinque errantium ad eandem inter se comparationem confectis omnium spatiis est facta conversio. Cf. Censorinus de die nat. c. 18: est praeterea annus, quem Aristoteles maximum potius, quam magnum appellat, quem solis, lunae vagarumque quinque stellarum orbes conficiunt, cum ad idem signum, ubi quondam simul fuerunt, referuntur. De annorum vulgarium numero maxima dissensio erat, cum alii aliis eum finibus circumscriberent; sed esse aliquem magnum annum vel annum mundanum, etiam graecorum philosophi antiquissimi fere omnes consentiebant. Sic Heraclitus octodecim milibus annorum vulgarium eum constare arbitratus est: cf. F. Schleiermacher. de Heraclito p. 397. Empedoclem de periodis tricenis milibus annorum absolutis cogitavisse Th. Bergkius docuit in Zimmermanni diurnis ant. lit. 1837. p. 447 sqq. Eandem fuisse Melissi Samii sententiam

A. Brandis hist. philos. gr. vol. I. p. 401. e corruptis Simplicii verbis felicissima coniectura eruit, nunc confirmata testimonio Simplicii oxoniensis de Coelo fol. 49. r. (v. The philolog. Mus. 2. p. 601.). De quo numero cur cogitaverint, facile est ad intelligendum, si memineris, Graecos eo in rebus omnibus iis, quarum multitudinem ingentem esse indicare vellent, designandis usos esse. Cuius consuetudinis ignoratio cum multos errores et falsas opiniones genuisset, eam verbo monstravit M. Leakius travels in the Morea 2. p. 535, exemplis ego illustravi in commentatione ea, quam de magnitudinis Athenarum et labis causis iisdem Turici a. 1836. edidi p. 4 sq. Tot enim Genios esse dicit Hesiodus E. 252, tot cives atticos Aristophanes Eccles. 1132. et Herodotus 5. 97, tot spectatores in theatro attico Plato Conviv. p. 175. E., tot grues venisse e Lybia nuntius prior Aristophanis Av. 1136, tot falcones missos esse nuntius alter v. 1179, tot drachmarum litem minatur Cleo isiciario Equit. v. 836. (cf. v. 1161.), tot mystarum chorum Eleusine venientium sibi videre visus erat Demaratus Herodoti 8. 65, tot cinaedos Demosthenis similes prae decem milibus militum Philonis similium contemnit Aeschines 2. §. 151.

Siderum vero conversionem, quali supra vidimus magnum annum finiri creditum esse, Aegyptii compluries in historia sua factam esse videntur narravisse. Herodotus 2. 142: ἐν τοίνυν τούτῳ τῷ χρόνῳ τετράκις ἔλεγον ἐξ ἠθέων τὸν ἥλιον ἀνατεῖλαι· ἔνθα τε νῦν καταδύεται, ἐνθεῦτεν δὶς ἐπαντεῖλαι, καὶ ἔνθεν νῦν ἀνατέλλει, ἐνθαῦτα δὶς καταδῦναι. Qui quidem locus obscurissimus est, sed nisi quid vitii inest, videtur mihi vero non inesse, sensus non potest esse alius nisi hic: solem quater his temporibus non solito loco, i. e. quo nunc soleat, ortum esse (cf. Theoduli eclog. p. 147, 10. R.: ἐξ ἠθέων — ἤγουν ἔξω τῆς συνηθείας), atque in his quatuor cursus vicissitudinibus duas tales fuisse, ut cursum huic nostro contrarium sequeretur. Num quid in hac narratione veri insit, vel quomodo orta sit, non meum est quaerere, quamquam video L. Idelerum chronol. vol. 1. p. 138 sq. errare. Nam etiamsi statuas duo cursus solis posteriore loco ab Herodoto commemoratos non contineri quatuor iis, de quibus antea dixerat, certe non octo vicissitudines, sed sex commemorantur. Sed utut hoc est, teste Herodoto Aegyptii narrabant, solis cursum memoria populi sui saepius mutatum, bis huic nostro contra-

tium fuisse. Iam cum etiam Platonem de magno anno similiter statuisse locus Timaei doceat p. 39. D.: *ἔστι δ' ὅμως οὐδὲν ἧττον κατανοῆσαι δυνατόν, ὡς ὅ γε τέλεος ἀριθμὸς χρόνου τὸν τέλεον ἐνιαυτὸν πληροῖ τότε, ὅταν ἁπασῶν τῶν ὀκτὼ περιόδων τὰ πρὸς ἄλληλα ξυμπερανθέντα τάχη σχῇ κεφαλὴν τῷ τοῦ ταὐτοῦ καὶ ὁμοίως ἰόντος ἀναμετρηθέντα κύκλῳ*, mihi iure videor coniicere, fabulae Politici lepidissimae radices imas in Aegyptiorum narratione quaerendas esse. Quum vero considero, quomodo Plato fabulam narraverit, tria mihi admirabilia visa sunt, primum quam sapienter eam cum fabulis Graecorum popularibus coniunxerit, deinde quam scite demonstrare studuerit veram aliquam memoriam hoc fabularum involucro tegi, denique quam lepide eam exornaverit. Atque cum narrationis festiva hilaritate, qua conversionem omnis animantium vitae factam esse exponit, cum voluptate conferas ea, quae commentus est nobilissimus ille Fridericus Hardenbergius Novalis. In fabula enim romanensi, qua Henrici Ofterdingensis vitam enarrat, in regionem deducimur, ubi lux est, quae nobis umbra videtur esse, umbra, quam nos lucem dicimus. Atque etiam similiora platonicorum excogitavit et mirum quam festive enarravit Gustavus Fechnerus Mises in Stapelia mixta p. 83 sqq. Quod Plato p. 272. C. dicit, aevo saturnio animalia cum hominibus sermones miscuisse et commercium habuisse, eam sententiam late apud Graecos sparsam fuisse pulcre docuit Th. Bergkius de com. att. reliqu. p. 278 sqq. cf. A. Meinekius com. graec. vol. 2, 1. p. 237 sqq. Neque iniucundum est meminisse, etiam medio quod dicunt aevo homines similia credidisse et dixisse. Aetate enim hac nostra feliciore aliquid factum esse significaturi dicere solebant *en ce tems que les bestes parloient* vel *quando le bestie parlavano.* Vide quae Iac. Grimmius Reinhardi vulpis p. V sq. exposuit.

Scis vero, mi Neukirchi, quam saepe Plato in rebus gravissimis edocendis fabularum testimonio utatur. Caussa mihi esse duplex videtur. Primum enim Plato ingenii sui indole prorsus poetica eo adactus est, ut, quae certe est primaria poetae facultas, ea quae mentis acies invenisset, corpora et formas induere vellet, quorumque notionem animo concepisset, eorum vivam quasi imaginem contemplari cuperet. Deinde hoc artificio auditorum lectorumque animos demulcire atque retinere posse sibi videbatur; iam tum enim de philosophando

valebat Ennianum illud *nam omnino haud placet.* Simul vero etiam hoc secutum esse Platonem multa mihi videntur docere, ut et doctrinam suam cum iis, quae cives sui a patribus accepta crederent, coniungendo firmaret et fidem eorum, quae de diis historiaeque originibus traderentur, iamiam labefactatam leviter immutando et interpretando restitueret et corroboraret. De qua re bene exposuit I. Koppius in diurnis academiae literarum bavaricae 1840. 1. p. 37.

Habes, mi Neukirchi, quae ad fabulam pulcherrimam melius intelligendam conferre posse mihi videbar. Gaudebo, si assensum tuum tulerint, gaudebo, si te impulerint, ut meliora proferas; maxime vero gaudebo, si fecerint, ut literae aliquando tuae spem meam te mei memorem vivere non falsam esse testentur. Vale.

Scrib. Turici nonis augustis a. MDCCCXL.

HERMANNUS SAUPPIUS

S. D.

LUDOVICO ROSSIO

HOLSATO

PROFESSORI ATHENIENSI.

Bene memini Lipsiae nos saepe inter nos iocari, quo fortunae turbine acti in unum convenissemus, Holsatus, Curonus, ultimae Thules saxonicae civis, ego ipse cuiatem me esse dicerem iam tum nescius. Non mirum igitur nobis accidit, cum post iucundissimi commilitii spatium in diversissimas Europae regiones abeundum esset. Atque dies quidem incaluit, et spei cantilenae laetissimae, quae adolescentium animos demulcebant, inter officiorum strenuos sermones conticuerunt, sed quo tunc bonarum literarum amore incensi vires ingenii acriter exercebamus, is perdurat in virorum pectore cum eoque perdurabit grata recordatio Godofredi Hermanni et temporum lipsiensium. Quod cum tu ipse nuper in his societatis graecae commentariis publice testatus sis, non aegre feres, me ad te, Athenarum atticarum civem, antiquitatum atticarum indagatorem felicissimum, aliquid perscribere, quod ad haec ipsa studia tua pertineat. Nimirum *non cuivis homini contingit adire* — coruscam Palladis urbem, omnium minime mihi, qui Alpes contueor et elementa latina docens fremo quidem interdum, *sed obstinata mente perfero, obduro.*

Marcellinus in vita Thucydidis §. 16 sq. (p. 3, 25. Bk.) haec scripsit: *μὴ ἀγνοῶμεν δὲ τοῦτο ὅτι Ὄρολος* (*ὅλορος* cod. palat.) *ὁ πατὴρ αὐτῷ ἐστι, τῆς μὲν πρώτης συλλαβῆς τὸ ρ̄ ἐχούσης, τῆς δὲ δευτέρας τὸ λ̄· αὕτη γὰρ ἡ γραφή, ὡς καὶ Διδύμῳ δοκεῖ, ἡμάρτηται· πρὸς γὰρ ταῖς Μελιτίσι πύλαις καλουμέναις ἐστὶν ἐν Κοίλῃ τὰ καλούμενα Κιμώνια μνήματα,*

ἔνθα δείκνυται Ἡροδότου καὶ Θουκυδίδου τάφος· εὑρίσκεται δῆλον ὅτι τοῦ Μιλτιάδου γένους ὄντως· ξένος γὰρ οὐδεὶς ἐκεῖ θάπτεται, καὶ Πολέμων δὲ ἐν τῷ περὶ ἀκροπόλεως τούτοις μαρτυρεῖ· ἔνθα καὶ Τιμόθεον υἱὸν αὐτῷ γεγενῆσθαι προσιστορεῖ. In his multa turbata esse non difficile est ad intelligendum.

Patrem Thucydidis eiusque maiores cognomines cum multi nominaverint, omnes nomen esse Ὄλορον consentiunt. Neque Marcellinus ipse hoc nomen aliter scripsit §. 2. 11. 28. Quidquid igitur de aliis scriptoribus statueris, Marcellinum hoc nomen in uno eodemque satis brevi libello aliis locis aliter scripsisse, aliter scripsisse atque ipse scribendum esse testimoniis complurium scriptorum allatis evincere studet, hoc certe nemo quisquam credet. Aut igitur loci ii, quos indicavi, aut ea verba quae supra adscripsi corrupta sunt. Haec posteriora vero corrupta esse cohaerentia verborum docet. Quem enim putant ostendere voluisse Ὄρολον veram nominis formam esse, non potest addidisse αὕτη γὰρ ἡ γραφή, ὡς καὶ Διδύμῳ δοκεῖ, ἡμάρτηται. Quare L. Preller Polemon. p. 39. post verba τῆς δὲ δευτέρας τὸ λ̄ excidisse quaedam putat, οὐκ Ὄλορος vel simile quid. Sed Didymus patrem Thucydidis Olorum nominavit: Schol. Pind. ad Nem. 2. v. 19. (p. 438. Boeckh.): Δίδυμος δέ φησιν, ὅτι ἴσως ἄμεινον λέγειν, ὅτι εἰς Αἴαντα ἀνέφερε τὸ γένος, ὥσπερ καὶ Μιλτιάδης καὶ Κίμων καὶ Ἀλκιβιάδης καὶ Θουκυδίδης ὁ συγγραφεὺς ὁ Ὀλόρου. Ut huic testimonio in tanta corruptionis facilitate non multum tribuas, sanumne est locum, quem corruptum esse non possis non concedere, ita emendare, ut et omnium aliorum testimoniorum consensui unus adversetur et locos alios complures corrigi oporteat, an satius est ratione facillima corrigere ita, ut cum reliquis consentiat? Hoc perspexit Guil. Grauertus, qui in Niebuhrii museo rhenano (vol. I. p. 176.) hunc locum sic scribendum esse vidit: μὴ ἀγνοῶμεν δὲ τοῦτο ὅτι Ὄλορος, οὐκ Ὄρολος ὁ πατὴρ αὐτῷ ἐστι, τῆς μὲν πρώτης συλλαβῆς τὸ ρ̄ ἐχούσης, τῆς δὲ δευτέρας τὸ λ̄· αὕτη γὰρ ἡ γραφή (Orolus), ὡς καὶ Διδύμῳ δοκεῖ, ἡμάρτηται· ὅτι γὰρ Ὀλορός ἐστιν, ἡ στήλη δηλοῖ — ἔνθα κεχάρακται Θουκυδίδης Ὀλόρου Ἁλιμούσιος. Neque enim Ὄρολον in monumento sepulcrali scriptum fuisse fidem faciunt Antyllus Marcellini §. 55. et anonymus de vita Thucydidis p. 15, 14 Bk. Cur C. W. Krueger (de vita

Thucydidis p. 3.) a Grauerto etiam sedem literarum ϱ et λ mutandam fuisse dicat, non perspicio. Abeat igitur Orolus — ad Neapolitanos: qui cum *crelo* dicere malint quam *clero*, *lepubbreca* quam *republica*, *grolia* quam *gloria*, *ardellego* quam *alter ego*; Olorum factum esse Orolum certe exsultabunt.

Sed sequuntur apud Marcellinum non minus corrupta. Herodoti corpus in Philaidarum monumentis conditum fuisse! — Quid illuc rei est? Putabam, Thuriis mortuum esse Herodotum. — At cenotaphium fuit, aiunt Fabricius bibl. gr. II. 20. p. 662, P. Wesselingius praef. p. VIII, Larcher. de vita Herodoti p. XCI, C. G. L. Heysius de Herodoti vita p. 81 sqq. — Sed Marcellinus: ξένος γάρ, inquit, οὐδεὶς ἐκεῖ θάπτεται. Nam ut Io. Hudsoni concedas, quod non puto concedi posse (cf. Demosth. c. Eubulid. §. 28.), etiam alienos monumentis familiarum illatos esse, hoc apparet, a Marcellino vel Didymo, qui eo quod Thucydidis monumentum in Cimoniis exstaret evinci putabant, Thucydidem ad hanc gentem pertinuisse, mentionem Herodoti hic fieri non potuisse. Et cur commemoraret Marcellinus Herodotum? Cui bono? Iure igitur suo Dahlmannus (de Herodoti vita p. 215.) haec ad Herodotum pertinere negavit. Atque miror Th. Bergkium reliqu. com. att. p. 183. scribere potuisse: „in quibus (Cimoniis monumentis) nobiles Athenienses sepeliebantur. Thucydidis et Herodoti sepulcra illic fuisse testatur Marcellinus.“ A. Coraes vero Plutarch. t. 3. p. 390. locum sic corrigi voluit: ἔνθα δείκνυται Ἡρώδου καὶ Θουκυδίδου τάφος ... Μιλτιάδου γένος ὤν· τῶν ξένων γὰρ οὐδεὶς ἐκεῖ ἐθάπτετο. Herodem Atticum enim Philostrato teste a Miltiade et Cimone originem duxisse. Haec coniectura multis placuit et nomen Herodis iure repositum esse censent G. H. Schaefer ad Plutarch. vol. 5. p. 141. C. W. Krueger de vita Thucydidis p. 52. A. Meinekius fragm. com. att. vol. II, 1. p. 105. Sed Philostratus vit. sophist. 2. c. 15. (p. 565. Ol.) ait: ἔθαψαν (Athenienses Herodem) ἐν τῷ Παναθηναϊκῷ, ἐπιγράψαντες αὐτῷ βραχὺ καὶ πολὺ ἐπίγραμμα. Quid igitur? Legendum est ἔνθα δείκνυται Ὀλόρου καὶ Θουκυδίδου τάφος. Cum enim in iis quae praecedunt nomen Olori corruptum esset et legeretur Ὄλορος, supra versum aliquis nomini quod erat Ὀλόρου adscripsit ἢ ϱ, ita: ΟΛΟΡΟΥ (with ΗΡ written above). Quod deinde quam facile in tanta literarum Λ et Δ similitudine et

nominis herodotei claritate iuxta Thucydidem, historiarum scriptorem, in *ΗΡΟΔΟΤΟΥ* abire potuerit quivis intelligit. Deinde apud Marcellinum *εὑρίσκονται δηλονότι τοῦ Μιλτιάδου γένους ὄντες* legendum esse viderunt Heysius et Schaefer ll. dd., nescius hic, locum iam antea ab Heysio sic emendatum esse. Confirmatur haec coniectura cod. palatini testimonio, in quo non est *ἄντως*, sed *ὄντος*.

Haec monumenta cimonia ante portam melitensem fuisse testatur praeter Marcellinum Pausanias 1. 23, 9: *καί οἱ* (Thucydide Olori F.) *δολοφονηθέντι ὡς κατῄει μνῆμά ἐστιν οὐ πόρρω πυλῶν Μελιτίδων.* quem locum cum evolvo, cum gaudio memini, quam pulcre Epicharini statuam ibi commemoratam nuper illustraveris in diurnis artium Stutgardiensibus (1840. 12.). Non recte vero C. W. Krueger (de vita Thucyd. p. 6.) cum hac portae melitensis mentione coniungendum esse putabat testimonium Plutarchi Solon. c. 10. (hunc enim locum videtur indicare voluisse): *τὸν δὲ Σόλωνά φασιν ἀποδεῖξαι τοῖς δικασταῖς, ὅτι Φιλαῖος, καὶ Εὐρυσάκης, Αἴαντος υἱοί, — κατῴκησαν ὁ μὲν ἐν Βραυρῶνι τῆς Ἀττικῆς, ὁ δὲ ἐν Μελίτῃ.* Nam Schol. ad Aristoph. Avium v. 872: *οἱ γὰρ Μυρρινούσιοι Κολαινίδα ἐπονομάζουσι τὴν Ἄρτεμιν, ὥσπερ Πειραιεῖς τὴν Μουνυχίαν, Φιλιάται δὲ τὴν Βραυρωνίαν,* hoc scholion, inquam, docet Melites mentionem apud Plutarchum ad Eurysacem pertinere, Philaeum, a quo Philaida originem ducebant, Braurone consedisse. Cf. Tib. Hemsterhusius ad Polluc. p. 1046. C. O. Mueller Orchomeni p. 309. C. L. Grotefend de demis Atticae p. 21.*): *ἐν Κοίλῃ* vero illa monumenta cimonia fuisse

*) Miror Mart. Leakium, ubi de demis Paraliae exponit, nihil dixisse de Philiadis. Nam Stuartus antiqu. att. 3. p. 16. narrat, pago alicui eius regionis nunc esse nomen *Φιλιάτι* eoque loco recte videtur coniicere demum Philiadarum situm fuisse. Inde apparet cur scholiastes Aristophanis *Φιλιάται* scripserit. G. Gellium (the itinerary of Greece p. 71.) puto errare. — Etiam hoc miror, Leakium ibi, ubi de situ montis et demi *Κορυδαλλός* disputat, non eius locis mentionem fecisse, de quo Mich. Fourmontius apud A. Boeckhium corp. inscr. vol. I. p. 31. dicit *ἐν τῷ χωρίῳ τοῦ κουρσαλας.* Hic enim locus, quem medium inter Athenas et Thriam situm fuisse titulus docet ibi repertus, vix dubitari potest, quin nomen demi antiqui *Κορυδαλλὸς* leviter depravatum conservaverit. Titulum illum ipsum mihi sic legendum videri: *τῇδ' ἕστηκε Θρίης τε καὶ ἄστεος ἐν μέσῳ Ἑρμῆς,* dixi in iis, quae I. G. Baiterus vol. XI. Platonis turicensis minoris praefatus est.

dicunt Antyllus (de quo v. Krueger de vit. Thucyd. p. 37. apud Marcellinum §. 55.: ἔστι δὲ αὐτοῦ (Thucyd.) τάφος πλησίον τῶν πυλῶν ἐν χωρίῳ τῆς Ἀττικῆς ὃ Κοίλη καλεῖται καθά φησιν Ἄντυλλος, ἀξιόπιστος ἀνήρ. et Anonymus de vita Thucyd. §. 1.: αὐτίκα γοῦν ἔνθα Μιλτιάδης περὶ Κοίλην τέθαπται, ἐνταῦθα καὶ Θουκυδίδης τέθαπται. Neque Marcellinus §. 17. videtur suis verbis narrare, sed ea omnia ex Didymi commentariis transscripta esse puto cum Th. Bergkio de com. att. p. 183. et L. Prellero Polemon. p. 39. cf. Marcellini §. 3. et 32. Ambigit Prellerus, ubi Didymum de Thucydidis genere exposuisse dicat; sed quanquam hoc in tanta librorum a Didymo conscriptorum multitudine difficile est dictu, tamen recte mihi videor coniicere, eum in commentariis pindaricis eo ipso loco, quem supra commemoravi, ad Nem. 2, 19. de his rebus egisse. De Didymi commentariis pindaricis v. A. Boeckh. praef. vol. 2. p. XVII sq. Habemus igitur auctores satis bonos eius narrationis, monumenta cimonia fuisse ἐν Κοίλῃ. Quibus Herodotum 6. 103: τέθαπται δὲ Κίμων (Coalemus) πρὸ τοῦ ἄστεος, πέρην τῆς διὰ Κοίλης καλεομένης ὁδοῦ. non adversari cum C. W. Kruegerus (*epikritischer Nachtrag zu den Untersuchungen über das Leben des Thuk. Berlin*, 1839. p. 28.) recte contra F. Goellerum demonstraverit, non video, cur huic narrationi Kruegerus ipse fidem derogaverit, de vita Thucyd. p. 69. Quod enim sciam, nihil obstat, quominus Laciadas et Coelen et Meliten ita confines fuisse putemus, ut monumenta illa et ante portam melitensem et in finibus coelensibus esse et a Cimonis bonis, quae in Laciadarum finibus essent, non procul abesse potuerint. Pagus enim, cui nomen erat Laciadis, a gente quae ibi habitaverat denominatus, antiquior fuerit, quam Coele, ex regionis natura appellata, Clisthenis demum aetate opinor artificiosa ratione suborta. Quare Laciadarum fines non mirum est si antea partem agrorum coelensium complexos esse statuas. Sed de ea re tu videbis, mi Rossi.

Cimonia illa Plutarchus suo adhuc tempore monstrata esse narrat Cimon. c. 4: μνῆμα δ' αὐτοῦ (Thucyd.) ἐν τοῖς Κιμωνείοις δείκνυται παρὰ τὸν Ἐλπινίκης τῆς Κίμωνος ἀδελφῆς τάφον. et c. 19: μαρτυρεῖ τῶν μνημάτων τὰ μέχρι νῦν Κιμώνεια προσαγορευόμενα. Iniuria vero ad haec monumenta cimonia relatos esse puto versus quosdam Cratini. Scholiasta

enim Luciani vindobonensis ad Alexandr. c. 4, quem Schubartus edidit in Zimmermanni diurnis 1834. p. 1134. et C. Iacobitzius p. 188, haec habet: ὁ Ἀριστόδημος δὲ μιαρὸς καὶ καταπύγων εἰς ὑπερβολήν, ἀφ᾽ οὗ καὶ ὁ πρωκτὸς Ἀριστόδημος καλεῖται. Κρατῖνος Πανόπταις· ἀριστόδημος ὡς ἀρχημοῦ ἐν τοῖς κιμωνιοῖς ἀνερίπια. Hos Cratini versus Th. Bergkius ita correxit com. att. p. 183:

(οὗτος δ᾽) Ἀριστόδημος ὥς ἀσχημονῶν,
ἐν τοῖς Κιμωνείοις ἀνὴρ ἐρειπίοις.

eumque A. Meinekius fere sequitur fragm. com. graec. 2, 1. p. 104 sq., nisi quod Ἀριστόδημος ὢν ἀσχημονεῖ se malle dicit. Utrique hos versus ad monumenta cimonia pertinere putant. Contulerunt Photium lex. p. 166, 1: Κιμώνεια· ἐρείπια Ἀθήνησιν· ἐν οἷς ἀπεπάτουν καὶ ἐπεραίνοντο. quae Bergkius sic distinguenda esse vidit: Κιμώνεια· ἐρείπια· Ἀθήνησιν etc. Etiam aptius contulissent Hesychium p. 261: Κιμώνια· ἐρείπια; (l. Κιμώνεια ἐρείπια·) ἔνθα ἠσχημόνουν περαινόμενοι. et Varinum Phavorinum diction. p. 1055, 23. Bas., qui eadem habet. Haec enim aperte ex scholio versibus Cratini addito transscripta sunt. Sed vox, quae est ἐρείπια, intercedit, ne de monumentis cimoniis cogitemus. Neque enim fieri potuit, ut Cratinus monumenta illa ἐρείπια, ruinas, diceret, in quibus post bellum peloponnesiacum Thucydidem Olori F. sepultum esse scimus. Ruinas illas in Laciadarum finibus fuisse puto aedium cimoniarum, temporum invidia collapsarum. In versibus vero Cratini mihi displicet Bergkii ἀνήρ, atque crediderim potius tale quid scriptum fuisse:

Ἀριστόδημος ὡς ἀσχημονεῖ
ἐν τοῖς Κιμωνίοις ἀρῶν ἐρειπίοις.

Notum enim est, quid significent verba, quale est ἀροῦν, et apud Graecos et apud alios aliorum populorum poetas: ita W. Shakspearius Antonii et Cleopatrae II. 2 extr. de C. Iulio Caesare et Cleopatra: *Er pflügte sie, sie ärntete.* Cf. G. Regis *Shakspeare-Almanach* p. 325 sq.

Fidem certe faciunt hi versus, in solitudine illarum ruinarum turpia fieri solita esse. Quare haud scio, an locus Aeschinis inde aptissime explicari possit. Or. I. §. 84. haec leguntur: ὡς δ᾽ ἐπεμνήσθη (Autolycus, in concione) τῶν οἰκοπέδων καὶ τῶν λάκκων, οὐδ᾽ ἀναλαβεῖν αὐτοὺς ἠδύνασθε. Apparet haec verba ab Atheniensibus in sensum obscoenum detorta et

ad Timarchi vitam propudiosam relata esse. Prius putabam, cum voces quae sunt *οἰκόπεδα* et *λάκκοι* similem sonum fundant atque *ὀρχίπεδα* vel *λακκόπεδα*, de scrotis sibi Athenienses visos esse aliquid audire. Nunc video Athenienses, cum *περὶ τῶν οἰκοπέδων καὶ τῶν λάκκων* audirent sermonem fieri, facile cogitare potuisse, quia de rebus ad Timarchum pertinentibus agatur, sibi narrari aliquid *περὶ τῶν οἰκοπέδων τῶν ἐν Λακιάδαις*. Adde Proverb. append. vat. V, 43: *ὦ Λακιάδαι: ἐπὶ τῶν μοιχῶν. δῆμος γὰρ τῆς Ἀττικῆς οἱ Λακιάδαι, ἐν ᾧ ῥαφανίδες πολλαί, αἷς ἐχρῶντο κατὰ τῶν ληφθέντων μοιχῶν ἐνυβρίζοντες.* et ea quae editores gottingenses adnotaverunt p. 467.

Cum vero semel ad Aeschinem delapsus sim, quaeso permittas, ut locum Aristophanis adhibito loco huius oratoris explicare studeam. Equitum v. 1387. Populus ab Agoracrito pristino vigori restitutus dicit:

μὰ Δί᾿ ἀλλ᾿ ἀναγκάσω κυνηγετεῖν ἐγὼ
τούτους ἅπαντας, παυσαμένους ψηφισμάτων.

In his versibus *κυνηγετεῖν* parum aptum esse visum est G. Hermanno, viro illustri, qui in diurnis Zimmermanni 1837. p. 734. *κυναγχιᾶν* legendum esse coniecit. Aeschines vero 3. §. 255. dicit: *τίνες ὑμῶν εἰσιν οἱ βοηθήσοντες Δημοσθένει; πότερον οἱ συγκυνηγέται ἢ οἱ συγγυμνασταὶ αὐτοῦ, ὅτ᾿ ἦν ἐν ἡλικίᾳ; ἀλλὰ μὰ τὸν Δία τὸν Ὀλύμπιον, οὐχ ὗς ἀγρίους κυνηγετῶν οὐδὲ τῆς τοῦ σώματος εὐεξίας ἐπιμελόμενος, ἀλλ᾿ ἐπασκῶν τέχνας ἐπὶ τοὺς τὰς οὐσίας κεκτημένους διαγεγένηται.* Ex his apparet, adolescentes strenuos et fortes Athenis venando operam dedisse et Populum Aristophanis dicere, se efficere velle, ut adolescentes illi delicatuli desinant garrire apud unguentarios et in concionibus, se eos coacturum esse, ut quod deceat adolescentes, acriter et impigre venentur venandoque corporis vires corroborent et firment.

Sic recte mihi hunc Equitum locum explicavisse videor; sed memini alius loci, de quo pervelim scire quid statuas. V. 319 sqq. Demosthenes haec dicit:

κἀμὲ τοῦτ᾿ ἔδρασε ταὐτὸν νὴ Δί᾿, ὥστε καταγέλων)*
πάμπολυν τοῖς δημόταισι καὶ φίλοις παρασχεθεῖν·
πρὶν γὰρ εἶναι Περγασῆσιν, ἔνεον ἐν ταῖς ἐμβάσιν.

---

*) Malim cum Elmsleio *καὶ γέλων*.

Hos versus P. Elmsleius in diar. class. XI. p. 223. Niciae tribuit, quem Pergasensem fuisse putabat, sed C. F. Hermannus progymn. ad Aristoph. Equ. sched. 3. p. 30 sq. bene ostendit, Niciam Pergasensem prorsus diversum esse ab imperatore cognomine et hos versus a nullo dici posse nisi a Demosthene. Verum cur Pergase commemoratur? G. Hermannus in Zimmermanni diurn. 1837. p. 518: „Demosthenem, inquit, nisi quis ostendat alio demo oriundum fuisse, quid impedit quin et ipse Pergaseus fuerit?“ At nunc ostendi potest, Demosthenem Aphidnensem fuisse. In titulo enim attico, quem abs te Athenis missum M. Meier edidit in diurnis lit. halens. 1838. m. Novembr. 196 sq., haec leguntur v. 18: *ΕΣ ΠΕ]ΛΟΠΟΝΝΕΣΟΝ Δ[ΕΜΟΣΘ]ΕΝΕΙ ΑΛΚΙΣΘΕΝΟΣ ΑΦΙΔ[ΝΑΙΟΙ*. Aphidnam in Diacria fuisse certum est (v. Mart. Leakius, on the demi of Attica p. 124.); qui Athenis Oropum proficiscerentur, Aphidnam tetigisse Dicaearchus docet, apud quem p. 24. Buttm. *ἐντεῦθεν εἰς Ὠρωπὸν διὰ Ἀφιδνῶν* (vulgo *διὰ δαφνιδῶν*) *καὶ τοῦ Ἀμφιαράου Διὸς* (fort. *καὶ Διὸς*) *ἱεροῦ ὁδὸς — σχεδὸν ἡμέρας*. legendum esse vidit Wordsworth, Athens and Attica p. 30. Verum tu videbis, utrum Leakius (l. d.) rectius ibi sitam fuisse dicat, ubi hodie *Βούγα* vel *Μεζεαμπούα* sita est, an G. Finlay (Remarks on the topography of Oropia etc. p. 39.) verum viderit, qui vicum Kapandriti locum antiquae Aphidnae obtinere putat. Satis constat, inquam, ubi Aphidna sita fuerit; ubi Pergase fuerit, quod sciam, non constat. Coniicio igitur, fuisse ad viam, quae Athenis Aphidnam ferret, neque ab Athenis procul abfuisse, ita ut Demosthenes conqueratur, Aphidnam redituro sibi vix parvam itineris particulam emenso pedem laxa in pelle natasse.

Sed idem ille titulus atticus, quem commemoravi, nos in viam, a qua paululum deflexeramus, reducit. Cum enim v. 5. legatur *ΕΠΙ ΕΥΘΥΝΟ ΑΡΧΟΝΤΟΣ* et v. 17. *ΕΠΙ ΣΤΡΑ]ΤΟΚΛΕΟΣ ΑΡΧ[ΟΝ]ΤΟΣ*, apparet archontem Ol. 88, 3. fuisse Euthynum. Errant igitur Athenaeus V. p. 218. B. et Diodorus S. XII, 58, qui Euthydemum eum nominant, rectissime vero Anonymus de vita Thucyd. §. 8. (p. 14, 35. Bk.) *ἐπὶ Εὐθύνου ἄρχοντος* Delum lustratam esse dicit, ubi H. Dodwell (annall. Thucyd. ann. 6.) et Th. Bergkius de com. att. p. 36. *Εὐθυδήμου* reponi voluerunt. Sed ad Marcellinum redeundum est. §. 3. e Pherecydis libro primo historia-

rum stemma Miltiadis transcripsit. Multa corrupta sunt, de quibus cum multi dixerint, ipse alio loco accuratius explicabo; nunc satis habebo, nomen unius viri emendavisse. Nomen, quod est Ἐπίδυκος corruptum esse vidit Grauertus, qui corrigebat Ἐπίδικος. Sed Andocides 1. §. 117. et 3. §. 29. commemorat Epilycum, Tisandri filium, avunculum suum, Plutarchus Pericl. c. 36. Tisandrum, Epilyci filium, Xanthippi Periclis filii socerum: pravam enim esse vulgatam Ἰσάνδρου vidit C. Sintenis. Iam cum nomina Tisandri et Lyceae in hoc ipso stemmate Miltiadis inveniantur, apparet legendum esse Ἐπίλυκος. Idem nomen corruptum est apud Athenaeum VI. p. 234. F.: *Παράσιτοι ἐπὶ Λυκοστράτου Γαργήττιος, Περικλῆς Περικλείτου Πιτθεύς, Χαρῖνος Δημοχάρους Γαργήττιος.* Heringa observatt. s. 32. corrigebat Ἐπίλυκος Στρατίου: sed apparet legendum esse Ἐπίλυκος *Λυκοστράτου Γαργήττιος*, quem pariter atque Epilycum Marcellini putaverim e gente Philaidarum oriundum fuisse; similiter enim Epicurus philosophus fuit τῶν δήμων *Γαργήττιος, γένους τοῦ τῶν Φιλαϊδῶν* (Diog. L. X. §. 1.).

Tantum. — Tu vero, mi Rossi, si quando hae literae Athenas tuas pervenerint, redi paululum in memoriam noctis illius, quam rure lindenavino inter pocula et sermones facetissimos hilares transigebamus, et dierum laetissimorum, quibus tu et Hermannus Funkhaenelius me Bernsdorfiam proficiscentem comitabimini. Bernsdorfiae enim te ultimum vidi. Vale meque ama.

Scrib. Turici idibus augustis a. MDCCCXL.

INDEX SCRIPTORUM.

INDEX RERUM.

INDEX VERBORUM.

CORRIGENDA IN VOL. I.

Pag. 162. v. 25. p. *Apolloniatas ab Apolline* (pro quo debebat scribi *Apollonia*) scr. *Hephaestiadas ab Hephaesto*. P. 355. v. 5. auctor corrigi vult *τῆς σκιᾶς*, p. 356. v. 7. *τῶν βαρέων*, p. 357. v. 29. *πολὺν δὲ*, p. 358. v. 11. *ἐκεῖνο*, ibid. v. 34. *κάμπτειν*, p. 362. v. 23. *ἀπελαύνειν*, p. 368. v. 37. *αὐτῶν*.
